

LIBRARY OF PRINCETON
SEP 16 1901
THEOLOGICAL SEMINARY.

Division SCC
Section 5415
No. v. 31-33

Digitized by the Internet Archive
in 2013

http://archive.org/details/analectahymnicam3133drev

ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

Herausgegeben

von

Clemens Blume und **Guido M. Dreves.**

XXXI.

PIA DICTAMINA.

Reimgebete und Leselieder

des

Mittelalters.

Vierte Folge.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1898.

PIA DICTAMINA.

Reimgebete und Leselieder

des

Mittelalters.

Vierte Folge.

Aus

Handschriften und Wiegendrucken

herausgegeben

von

Clemens Blume
S. J.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1898.

VORWORT.

Band XV unserer Analecta bot die erste Folge der Reimgebete und Leselieder, stofflich gegliedert nach ihrem Inhalte in die vier Teile: de Deo, de Beata, de Sanctis, Diversa. Der weitere reiche Schatz dieser vielfach recht anmutigen Dichtungsart, welche im Vorworte zur ersten Folge kurz charakterisiert wurde, soll in gleicher Ordnung vorgelegt werden. Jedoch schien es geraten, bestimmte Gruppen, die nach ihrer Herkunft oder ihrem eigenartigen Aufbau (Gaude-, Stunden- und Glossenlieder) sich als ein zusammengehöriges Ganzes präsentierten, getrennt herauszuheben. Dieser Gesichtspunkt war maßgebend bei Anordnung der Reimgebete in der 2. und 3. Folge (Band XXIX u. XXX), wie das Vorwort zu den betreffenden Bändchen des Näheren lehrt.

Die vorliegende vierte Folge eröffnet nun den Reigen mit rhythmischen Gebeten und Liedern de Deo und de Beata, und zwar beschränkt sich letztere Gruppe auf die Feste und besondere Geheimnisse der allerseligsten Jungfrau. Eine weitere Folge wird ausschließlich allgemein mariologische Lieder enthalten, ein neuer Beweis, wie die geistlichen Liederdichter mit ganz ausnehmender Vorliebe das Lob der Gottesmutter sich zum Vorwurf ihrer Dichtung wählten. Den Abschluß der Pia Dictamina soll ein Band mit Reimgebeten de Sanctis bilden, denen sich eine Reihe Lieder gemischten Inhaltes als Diversa anfügt.

Getreu den Grundsätzen unserer Publikation sind auch hier wiederum nur Inedita aufgenommen; etwa ein halbes Dutzend von Liedern bildet scheinbar eine Ausnahme, da dieselben in dem einen oder anderen Druckwerke, namentlich bei Morel oder Milchsack, sich bereits vorfinden. Berücksichtigt man indessen die Quellen, aus denen jene Lieder geschöpft sind, und namentlich den Umstand, dafs sie bislang zumeist bruchstückweise mitgeteilt wurden, so wird kaum jemand diesen wenigen Liedern ihren Platz unter den Inedita verargen.

Eine weitere Reihe von Reimgebeten dieses Bandes, deren Zahl verhältnismäfsig gering, erweist sich als eine Art Variation zu anderen Liedern bezw. als eine Compilation aus denselben. Mit nur annähernder Gewifsheit zu bestimmen, ob die kürzere Fassung die Vorlage zur erweiterten Form bildete, oder ob umgekehrt aus dem längerem Liede später das kürzere entlehnt wurde, hielt sehr schwer. In solchen zweifelhaften Fällen sind beide Fassungen des Liedes vorgelegt.

Feldkirch; 12. September 1898.

Clemens Blume.

I.

DE DEO.

1. De ss. Trinitate.

1 a. Summae fons iucunditatis,
De quo cuncta bonitatis
Manant beneficia,

2 a. Tuae, Deus, vox naturae,
Pulchritudo creaturae
Te laudat per omnia;

3 a. Quod sis lux amabilis,
Astrorum fulgentia,
Quod sis delectabilis,
Florum redolentia
Suo modo fatur.

4 a. Tu lumen veritatis,
Caelum sinceritatis,
Locus amoenitatis
. . . . . .
Tu miranda gloria.

5 a. Tu mons excellentiae,
Tu vallis es amoena,
Tu ficus clementiae,
Tu vitis uva plena,
Tu fructus honestatis.

6 a. Tu virgae nux,
Tu summa lux,
Tu noster dux,
Ne hostis trux
Triumphet in conflictu,

7 a. Tu malus es pomifera,
Tu nardus odorifera,
Tu cinamomi calamus,
Tu sponsus es et thalamus,
Et amor et amandus.

8 a. Te vox dulcis philomenae
Organique dulcis sonus
Et humanae cantilenae
Mirus et motivus sonus
Praedicant suavissimum.

1 b. O maiestas unitatis,
O potestas trinitatis,
O summa laetitia.

2 b. Quod amare potest, amat,
Te factura tota clamat,
Tot laudes, quot folia.

3 b. Tuam pulchritudinem
Solis pulchritudo,
Tuam celsitudinem
Caeli celsitudo
Nobis protestatur.

4 b. Tu pomum novitatis,
Oliva pietatis,
Panis saturitatis,
Vinum iucunditatis,
Tu suavis memoria.

5 b. Tu viror decentiae,
Tu lilium candoris,
Tu folium recentiae,
Tu vapor es odoris,
Tu rosa caritatis.

6 b. Tu caeli ros,
Tu pulcher flos,
Tu nostra dos,
Tu pasce nos
Te, summe, suavi victu.

7 b. Tu frutex aromatica,
Piscina tu probatica,
Tu rex es atque Dominus,
Tu regnum nihilominus,
Tu mirum et mirandus.

8 b. Botrus Cypri, suavis stilla
Et dulcedo favi mellis
Lacte fluens et mamilla,
Hoc testatur, quod excellis,
Quidquid est dulcissimum.

9a. Tu venustatis libanus,
Dilectionis clibanus,
Tus flagrans in aestate,
Respirans delicate.

10a. Ebur candoris,
Aurum decoris,
Tu cedrus es altissima,
Cupressus erectissima,
Tu sidus es fulgoris.

11a. Gloriosus imperator,
Donum et doni donator,
Tu diadema gloriae,
Tu signifer victoriae,
Tu salus et salvator.

12a. Tu balsami fraglantia,
Tu mentis abundantia,
Tu pulvis pigmentarius,
Tu cordis unguentarius,
Tu vitae nutrimentum,
Effusum es unguentum.

13a. Tu templum et altare,
Tu puritatis mare,
Tu fumus thymiamatis,
Tu flatus es aromatis,
Tu pictum laqueare.

14a. Leo fortitudinis,
Tu redolens panthera,
Cervus pulchritudinis,
Te quoque pulchra fera
Fatetur laudabilem.

15a. Te patris potentiam
Creaturae magnitudo,
Filii prudentiam
Ordinata pulchritudo,
Spiritus clementiam
Bonitatis multitudo
Evidenter nuntiat.

16a. Haec sunt signa, sed remota,
Quibus quaerit mens devota
Sibi sit dulcedo tota,
Quae tot venis adfluit;

17a. Hauriamus ergo gratis
De torrente voluptatis,
Pleno rivis delicatis,
Ubi satis non est satis
Neque nimis nimium.

9b. Tu mentis es munditia,
Tu vera pudicitia,
Viriditas immensa,
Tu suavitas intensa.

10b. Cena dulcoris,
Tu cella floris,
Tu domus ornatissima,
Gemma pretiosissima,
Tu princeps es honoris.

11b. Tu de milibus electe,
Te dilectum da, dilecte,
Quod te candoris speculum,
Illustrans omne saeculum,
Intueatur recte.

12b. Tu caeli palatium,
Tu decoris spatium,
Tu legis tabernaculum,
Tu velum et oraculum,
Tu mensa deaurata,
Lucerna liliata.

13b. Tu verus iubilaeus,
Per te fit liber reus,
Tu mensis es uberrimus,
Tu dies celeberrimus,
Tu summae pacis Deus.

14b. Laudula, luscinia,
Te pavo speculatus,
Turtur dans suspiria,
Te nisus variatus
Indicat amabilem.

15b. Hinc caelesti hierarchiae
Per novenas acies
Summae relucet sophiae
Gloriosa facies,
De qua nec nocte nec die
Suas flectunt acies,
Quae visa nunc satiat.

16b. Quam ut nos inveniamus,
Huius opem imploramus,
Quo linquente deviamus,
Sicut ipse docuit.

17b. Ibi gustus non torpescit,
Appetitus semper crescit,
Satur fastidire nescit,
Sed [gustatum] plus dulcescit
Inconsuetum gaudium.

Orat. ms. S. Albani Treviren. saec. 15. Cod. Treviren. 199. A. — Orat. ms. Engelbergense saec. 14. Cod. Engelbergen. 159. B. — 1b, 2 Unitatis o potestas A. — 2a, 1 Tu es Deus B. — 2a, 3 laudant B. — 2b, 2 factura tua A. — 3a, 3 Quam sis B. — 3b, 2 a caeli solis pulchritudo B. — 3b, 4 Caeli fehlt B. — 5a, 2 es amoenitatis B. — 5a, 3 fehlt B. — 6b, 5 Tu summe A. — 7b, 3 et Dominus A. — 8a, 1 Tu vox B. — 8a, 2 Organisque B. — 8a, 3 Et fehlt B. — 8a, 4 Virus et B. — 8b, 1 stella B. — 8b, 4 testatur in excelsis A. — 9b, 3 Tu viriditas es immensa A; Tu virus es immensa B. — 10a, 1 castoris B. — 10a, 2 Et aurum es A. — 10a, 4 et rectissima B. — 11a, 2 doni fehlt A. — 11b, 1 O tu de B. — 12a, 5 mite nutrimentum B. — 12b, 2 decorum B. — 12b, 3 regis A. — 12b, 4 Tu verum et B. — 13a, 2 Tu fehlt A. — 13b, 2 sit liber B. — 14a, 1 fortitudinem A. — 14a, 2 sq. fehlen A. — 14a, 5 fatur A. — 14b, 2 Te paulo speculatus A. — 15a, 1 Tu patris potentia A. — 15a, 3 providentia A. — 15b, 7 non satiant A. — 16b, 1 tu nos B. — 17a, 4 ubi salus non A. — 17b, 3 sq. fehlen A.

2. De ss. Trinitate.

1. Tremendus in potentia,
Suavis in amore,
Qui cuncta creat entia
Mirabili decore,
Hic indivisus trinus est
Ac inconfusus unus est
Incomprehenso more.

2. Requirunt naturaliter
Creata creatorem,
Qua valent laude pariter
Eidem dant honorem,
Se clamant pulchre condita,
Suaviter disposita,
Sed ipsum pulchriorem.

3. In corde pater genuit
Aequalem sibi prolem,
Qua polos caeli statuit
Cum astris lunam, solem,
In terra iuga montium,
Abyssum, rivos fontium
Vastique mundi molem.

4. Naturam unigenitus
Non deserens paternam
Ad nostram venit caelitus
Misericors cavernam,
Peccatis nos purificans,
Miseriam mortificans
Et mortem sempiternam.

5. In deitate socius
Est spiritus utrique,
Procedens amor medius
Fert gratiam ubique,
Septenis in muneribus
Purgatos a sceleribus
Saluti dat antiquae.

6. Triformis Deus nomine,
Conformis maiestate,
Virtute par et numine
Sub vocis trinitate,
Personis est proprietas,
Essentialis unitas
Stat in aeternitate.

7. Abyssum tantae gloriae
Non valet quis metiri,
Resiliunt memoriae,
Cordati cessant viri,
Haud ardens Seraph sufficit,
Humana mens hoc deficit
Ad plenum experiri.

8. Sublimis Deus caritas,
O trinitas beata,
Servorum tua bonitas
Indulgeat peccata,
Nociva cuncta remove,
Auxilio nos refove,
Da praemia optata.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — Acrostichon: Trinitas.

3. De sanctissima Trinitate.

1. Fidem sanctam orthodoxam,
Ut vitem aeternam noxam,
Fateor veraciter,
Dicens, quod est unus Deus,
Non plures, ut Manichaeus
Errat damnabiliter.

2. Iste Deus aeternalis,
Pater exstat naturalis
Generando filium
Eundem in deitate,
Sed tamen proprietate
Personali alium.

3. De persona genitoris
Exit per modum splendoris
Dei patris filius,
Ut genitus a gignente,
Sicut verbum a dicente
Et a fonte fluvius.

4. Est in ipsis vis activa,
Quae vocatur spirativa,
Qua procedit tertia
Persona, qua conectuntur
Pater, proles et fruuntur
Coaequali gloria.

5. Sunt unius voluntatis,
Per quam dant rebus creatis
Esse, posse, agere,
Cuncta, quae sunt et fuerunt,
Ab his tribus inceperunt
Esse, sed ex tempore.

6. Mundum purgat a peccatis
Virtus sanctae trinitatis,
Cui se communicat,
Quia, cum sit summum bonum,
Nulli negat suum donum,
Sed omnes sanctificat.

7. Et post huius vitae flatum
Resuscitat integratum
Mortuum de pulvere,
Perducens ad talem statum,
Qui facit ipsum beatum
Sine fine vivere.

8. Adhuc credo sana mente,
Quod angelo nuntiante
Verbum caro factum est,
Mysterium facti tanti
Virtute spiritus sancti
Perfecte completum est.

9. Huic addo fide pia,
Quod de virgine Maria
Iesus Christus nascitur,
Ut loquuntur prophetiae,
Et in libro Isaiae
Manifeste scribitur.

10. Erat homo verus Deus,
Qui ut liberetur reus,
Morti se exposuit,
Iudicatus, flagellatus,
Patibulo condemnatus
Spiritum deposuit.

11. Cuius vita consummata
Anima glorificata
Descendit ad inferos,
Infideles reprobavit,
Iustos omnes liberavit,
Derelinquens ceteros.

12. Exsurgens tertia die
Praesentavit se Mariae
Et suis discipulis,
Probans resurrectionem
Carnis per suum sermonem
Et multis miraculis.

13. Sic opere consummato
Et homine reparato
Die quadragesimo
Super caelos elevatur
Et in throno collocatur
Aequalis altissimo.

14. Tandem ad nos reversurus,
Patenter iudicaturus
Facta iam praeterita,
Malos trudens in infernum,
Bonis dans regnum aeternum
Iuxta sua merita.

Cod. Duacen. 396 saec. 15. — 12, 1 Resurgens — Acrostichon: Fides mea h[a]ec est.

4. De ss. Trinitate.

1. Salveto, sancta trinitas,
Aequalis una deitas,
Rerum creator omnium,
Exemplar et principium.

2. El pater tetragrammaton,
El fili homousion,
El utriusque spiritus,
Trinus et unus Dominus.

3. Tu solus es athanatos,
Unus et idem et Theos,
Agios, Heli, Sadai,
Osanna, Nous, Adonai.

4. Rogamus te devotius,
Esto nobis propitius
Hic largiendo gratiam
Et in futuro gloriam.

5. Angelorum militia
Trina, fretum et sidera,
Te sanctum laudant Dominum
Et nunc et in perpetuum.

6. Cum quibus et nos canimus,
Te verum Deum colimus,
Tibi honor, laus, gloria
Per infinita saecula.

Cod. Guelfenbyteran. Helmst. 1076. saec. 15. — 3, 4 Osanna nos Hs. — Es folgen noch Bruchstücke eines anderen Liedes:

1. Deus creator siderum,
Angelorum et hominum,
Qui rerum vices temperas,
Diem creans et tenebras.

2. Tu sedes super Cherubim,
Te sanctum clamat[!] Seraphim,
Te tremit mors et Phlegeton,
Nostri clemens eleison.

3. Tu es rex regum omnium,
Dominus dominantium
Te unum Deum . . . . .

5. De ss. Trinitate.

1. O paternae gloriae
splendor, per respectum
Tuum benignissimum
respice imperfectum,
In utroque homine
subleva defectum.

2. Verus sol iustitiae,
tu interiorem
Hominem irradia,
da cordi amorem,
Ut te trinum unumque
laudemus creatorem.

3. Praesta, summe pater, patris et unice
Amborumque simul spiritus, annue,
Qui regnas Deus unus
Omni tempore saeculi.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Campolilien. 2. A. — Orat. ms. Novacellense saec. 15. Cod. Oenipontan. 353. B.

6. De sanctissima Trinitate.

1. O regum rex altissime,
Pacifica orbem terrae,
Ecclesiam coaduna,
Corda nostra inhabita.

2. Unum pater, flamen, nate,
In nobis sis, et nos in te,
Ut tibi laudes debite
Reddamus omni tempore.

3. Te unum desideremus,
In quo solum gaudeamus,
De nulloque doleamus,
Nisi quia peccavimus.

4. Nostrasque fac voluntates
Tuae omnino conformes,
Ut simus, quia vocati,
Etiam tui electi.

5. Quare exstirpa vitia,
Virtutibus nos adorna,
In hora mortis ultima
Miserrimos nos adiuva.

Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Cl. Monacen. 20021. A. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20124. B.

7. De sanctissima Trinitate.

1. O trinitas sempiterna
Unitasque sanctissima,
Deus omnium creator,
Rector atque conservator.

2. Visita et illumina
Ab omnique labe munda
Horrida et tenebrosa
Cordis mei latibula.

3. Laudibus tuis mancipa
Nos totaliter et nostra
Caritateque fervida
Mentes nostras in te serva.

4. Ut tibi soli, Domine,
Timeamus displicere
Et studeamus placere
Corde, ore et opere.

5. Quare nos tua opera
In te solum sperantia
Ab omni malo libera
Bonisque omnibus dita.

Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. A. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20124. B.

8. Oratio ad ss. Trinitatem.

Benedicat me imperialis maiestas,
Protegat me regalis divinitas,
Custodiat me sempiterna deitas,
Foveat me gloriosa unitas,
5. Defendat me immensa trinitas,
Dirigat me inaestimabilis bonitas.
Regat me potentia patris,
Vivificet me sapientia filii,
Illuminet me gratia et virtus spiritus sancti.
10. Alpha et O,
Deus et homo,
Sit mihi haec invocatio
Salus et protectio.

Orationale ms. Portugallicum saec. 15. Cod. Sanctae Crucis 483.

9. De ss. Trinitate et Sacramento Altaris.

1. Ave, divina trinitas,
Pater, verbum et spiritus
Atque Christi humanitas,
Plena cunctis virtutibus.

2. Ave, manna dulcissimum,
Fructus Mariae virginis
Atque nostrum refugium,
Christi corpus iudicis.

3. Ave, divina gloria,
Verbum sine principio
Et patris sapientia
Cum spiritu paraclito.

4. Ave, sancta divinitas
Atque una essentia,
In qua Christi humanitas
Aeterna est in gloria.

5. Ave, lumen de lumine,
Patris, verbi et spiritus,
Corpus Christi mirabile,
Natum pro nobis omnibus.

6. Ave, fides credentium
Et caritas sanctissima
Atque spes paenitentium
Cum perfecta laetitia.

7. Ave corona martyrum.
Apostolorum regula,
Confessorum et virginum
Palma atque victoria.

8. Ave, fides ecclesiae,
Honor Mariae virginis,
Quae fuit aula gratiae,
Plena divinis gaudiis.

9. Ave, summa scientia
Atque magister artium,
Dimitte nostra crimina
Propter sacrum mysterium.

10. Ave, caelorum canticum
Et splendor mundi, hodie
Exaudi preces supplicum,
Pater misericordiae.

11. Ave, nostra redemptio,
Fides sine velamine,
Aeterna ab initio,
Ubique sine crimine.

12. Ave, sancta iustitia
Atque sanctorum praemium,
Concede nobis gaudia
Per Christum tuum filium.

13. Ave, decus angelicum
Et trinitatis gaudium,
Honor caelestis curiae
Atque sanctorum omnium.

14. Ave, sacrum mysterium,
Aeternum sine macula
Atque ante luciferum
In maiestatis gloria.

15. Ave, semper in saeculum
Divina sancta hostia,
Animarum fidelium
Nutrimentum cum gratia.

16. Ave, corpus et anima,
Natum de matre virgine,
Atque sanguis in hostia,
Fons pietatis, veniae.

17. Ave, aeterna bonitas,
Gloriosa essentia
Et infinita sanctitas,
Angelorum laetitia.

18. Ave, dulcis memoria,
Iesu, salvator saeculi,
Te collaudat ecclesia
Sancta et mater fidei.

19. Ave, lumen immobile,
Splendor patris ingeniti,
Increatum mirabile,
Lux verbi et paracliti.

20. Ave, divina veritas,
Causa causarum omnium.
Et excelsa humanitas,
Fidelium solacium.

21. Ave, Iesu, amabilis
Ab omnibus fidelibus
Atque a sanctis angelis
Et a cunctis martyribus.

22. Ave, Christe, laudabilis
A sanctis confessoribus
Et a cunctis apostolis
Atque sacris virginibus.

23. Te deprecamur, Domine,
Deus creator omnium,
Concede nobis hodie
Remissionem criminum.

24. Benedicamus Domino,
Laudetur sancta trinitas,
De Christo Dei filio
Deo dicamus gratias.

Orat. ms. S. Servuli Venetiarum saec. 15. Cod. Marcian L III 32. 24, 2 Et laudetur. — Aus der gleichen Quelle bei Huemer, Unters. über d. ältest. lat.-christl. Rhythmen, S. 75, unter dem Titel „De s. trinitate."

10. Ad Deum Oratio.

1. Gratia excelsa regi
referamus pariter,
Qui nos in unum congregavit,
te laudamus, Domine,
Ut possimus invenire
requiem in saeculum.

2. Alta sede postulemus
summo Dei filio,
Ut suum mittere dignetur
angelum perspicuum
Ad expugnandum, expellendum
hostem antiquissimum.

3. Invidus ille temptator,
fallax atque perditus,
Semper cupit discordare
concordantes fratribus,
Ut possit gratiam mereri
ante nequam principem.

4. Dominus atque salvator,
quod suum redemit sanguinem,
In sua semper potestate
reservare animas,
Ut nec unus praeter eum
potestatem habeat.

5. Honor illi et potestas
in aeternum permanet,
Qui nos pastorem super gregem
vocare dignatus est,
Ut salvas oves consignemus
ante eius oculos.

6. Almus ille speculator
sacerdos in populo
Semper astat super gregem,
pugnat contra impios,
Ut nec unam possit ovem
rapere de gregibus.

7. Libare Deo studeamus
hostiam pro fratribus,
Ut ante eum mereamur
portare manipulos
Atque de talentum lucrum
consignemus geminum.

8. Divina templa coeuntes
suspiremus pariter,
Polorum regi obsecrantes
pro nostra facinora,
Ut ipse pius miserator
donet indulgentiam.

9. Vigilemus et oremus
unusquisque pro alio,
Ut possimus invenire
requiem in saeculum
Atque vitam possidere,
quam promisit Dominus.

10. Summo regi postulemus
pro cunctorum scelere
Et de nostro mereamur
invenire veniam
Per eum, qui semper vivit
et regnat in saecula.

11. Te deposco, dulcis frater,
qui canis hunc versiculum,
Ut requiras principales
literas per ordinem,
Sic invenis eius nomen,
qui hunc exposuerat.

Cod. Capit. Veronen. 90. saec. 9. — 2, 1 Ad alta sede. — 2, 3 Ut suo. — 2, 6 hostis antiquissimus. — 6, 3 Semper adstat super adstat supra gregem. — 6, 5 una possit oves. — 7, 3 Populorum regi. — 8, 6 germinum. — 9, 6 quam misit Dominus. — 10, 3 nostra. — 11, 5 Sic invenit. — Nach

Muratori Antiqq. III, 667, bei Migne PP. LL. 151, 769. — Das Akrostich, auf das Str. 11 aufmerksam macht, lautet Gaidbaldus (mit Umstellung von Str. 7 und 8): „qui parochus Veronensi in urbe fuisse videtur." So Muratori.

11. Ad Deum Precatio.

O, qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum caelique sator, qui tempus ab aevo
Ire iubes stabilisque manens disiuncta moveri,
Quem non aeternae pepulerunt fingere causae
Materiae fluctuantis opus, verum insita summi
Forma boni, livore carens, tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens similique imagine formans
Perfectasque iubens perfectum absolvere partes.
Tu numeris elementa ligans, tu frigora flammis,
Arida conveniant liquidis, ne purior ignis
Evolet aut mersas deducant pondere terras,
Triplicis mediam naturae cuncta moventem
Conectens animam per consona membra resolvis.
Quae cum secta duos motum glomeravit in orbes,
In semet reditura meat mentemque profundam
Circuit et simili convertit imagine caelum.
Tu causis animas paribus vitasque minores
Provehis et levibus sublimes curribus aptans
In caelum terramque seris, quas lege benigna
Ad te conversas reduci facis igne reverti.
Da, pater, augustam menti conscendere sedem,
Da fontem lustrare bonum, da luce reperta
In te conspicuos animi defigere visus.
Disice terrenae nebulas et pondera molis
Atque tuo splendore mica, tu namque serenum,
Tu requies tranquilla piis, te cernere finis,
Principium, vector, dux, semita, terminus idem.

Cod. Admonten. 562. saec. 13.

12. Ad Deum Oratio.

(Fragmentum.)

1. Adonai magne et mirabilis,
Adesto mihi, respice placabilis,
Iam me adpremit vulnus insanabilis.

2. Beatus vir, qui semper est pavidus
Et recordatus de die iudicii
Et metuendus de die supplicii.

3. Caelestis rex, qui plasmasti omnia,
Da mihi sensum atque intellegentiam
Ad corrigendum populum in hoc saeculo.

4. Elegit me Deus in suum servitium
Ad offerendum sanctum sacrificium
Et deprecandum pro iustis et impiis.

5. Habui magistrum Adalbertum episcopum,
Ipse me docuit in suo sancto spiritu
Ac me iniunxit in gradum presbyteri.

Cod. Capit. Veronen. 90 saec. 9.

13. Oratio Paenitentis ad Deum.

1. Audi, Deus creaturam,
Tuis factam manibus,
Corporalem plasmaturam,
Sumptam de pulveribus
Spiritumque viribus
Mirandis, tuam figuram,
Imaginem et picturam
Ornatam monilibus,
Salubribus
Evectam instinctibus.

2. Huius tamen creaturae
In natura splendidae
Innumerae sunt pressurae,
Pestes surgunt horridae,
Medullae sunt tabidae,
Multus est lapsus naturae,
Multae membrorum iacturae,
Compages sunt languidae,
Ut morbidae,
Vires sunt invalidae.

3. Sensus gesto pronitatem
Et concupiscentiam,
Intellectus caecitatem
Et insipientiam,
Carnis immunditiam,
Appetitus vanitatem,
Passionum gravitatem,
Cordis inconstantiam
Et variam
Spiritus miseriam.

4. En, homo de matre natus
Brevi vivit tempore,
Multis malis adgravatus
Destitutus robore,
Qui mox habet abfore,
Ut flos nascendo siccatus,
Ut globus umbrae fugatus,
Ut errans in nemore,
In corpore
Repletus dedecore.

5. Ergo, magne Deus, quare
Contra siccum folium,
Quod ad ventum nequit stare
Praeparas iudicium,
Vis inire proelium,
Vis contra victum pugnare,
Vis potentiam monstrare
Contra fratrem vermium,
Fers gladium
Contra spumam imbrium?

6. Ut quid, Deus, aestimasti
Me tibi contrarium,
Cur in me manum armasti
Ut in adversarium?
Ad meum excidium
Vias meas explorasti,
Opera mea notasti,
Meum scribens studium
Et otium
Actuum sequentium.

7. Figule, quare figmentum
Tuum vis conterere?
Domine, quare iumentum
Tuum vis exstinguere,
Pastor, ovem perdere,
Fons, vis negare fluentum,
Dux, vis gregis vexamentum,
Pater, vis nos linquere?
Quid facere
De tuo vis opere?

8. Ego tuus sum, non meus
Nec me ipsum iudico,
Pro tuo te precor, Deus,
Orans pro me modico,
Tua iura praedico;
Tua res sum, quamvis reus,
David vel Iob vel Zachaeus,
Pro tua re supplico,
Me abdico,
Te autem glorifico.

9. Quare, pater, intuere
Alumnum tam anxium
Eiusque morbis medere,
Collapso da brachium,
Lugenti solacium,
Caecum fac lumen videre
Miseroque miserere,
Praebens ei gremium,
Refugium
Paenitentum omnium.

10. Honor tibi non adcrescit
Ex damnatu pauperis,
Tua manus invalescit
In sui rem operis,
Rem tuam persequeris;
Factum per te cor stupescit
Et desperans evanescit.
Nisi tu peperceris
Ac sceleris
Vulnera curaveris.

11. Miserere, miserator,
Quia nimis anxior,
Corruens praevaricator
Spiritus est tristior;
Dolore confodior,
Cernens, quantus sum peccator,
Draconis factus sectator,
Mortuo miserior,
Amarior,
Vivens enim morior.

12. O dulcis fons bonitatis,
O dulcor clementiae,
O piscina pietatis,
Ros misericordiae,
Mihi, iudex hagie,
Parce, parce sceleratis,
Imbrem funde caritatis,
Munus praesta veniae,
Tu gratiae
Largitor es et gloriae.

Cod. Carnoten. 341. saec. 14. — 6, 10 Largitor es et veniae.

14. Pater Noster.

O pater alme, tuum nomen sit sanctificatum,
Adveniatque tuum regnum per saecla beatum.
In caelis stat velle tuum sicut quoque terris,
Tu panem nostrum da nobis cotidianum,
5. Debita dimitte nobis, ut nos inimicis,
Et non permittas, ut nos temptatio vincat,
Sed tutela malo tua nos defendat ab omni.

Cod. S. Iosephi Oenipontani A 35. anni 1450.

15. In Ingressu Ecclesiae.

Salve, sancta civitas,
Benedicat te tota trinitas,
Et omnes sancti, qui sunt in te,
Orent Deum pro me
Cum fidelibus cunctis,
Tam vivis quam defunctis.

Cod. S. Floriani XI 198. saec 17.

16. De diebus tredecim vel quid Dominus in his operam egit.

1. Primo die dixit Deus:
fiat lux, et facta est,
Lucem sempiternam dedit,
qui in illo credidit.

2. Secundo die fecit Deus
duo luminaria,
Sol in die, luna nocte
ordine constituit.

3. Tertia die ipsa maiestas
surrexit a mortuis,
Multas turbas ibi fuit
legionum angelis.

4. Quarta die de sepulcro
suscitavit Lazarum,
Cuius corpus iam foetebat,
ligatus sudarium.

5. Quinta die fecit Deus
magna mirabilia,
De quinque panes et duos pisces
satiavit milia.

6. Sexta die fecit Deus
hominem et omnia
Quadrupedia in terra
et omnes espiritus.

7. Septima die requievit
ab omnibus operibus,
Ipso die benedixit
et sanctificavit illum.

8. Octo annorum erat Iosue,
cum regnare coepisset,
Triginta et uno anno
regnavit Hierosolyma.

9. Decem verba sunt in lege
quos praecepit Dominus,
Qui illa custodit semper
manet in perpetuo.

10. Undecim sunt lunationes,
discutent latercula,
Et ut pascha inveniatur,
sic impletur numerus.

11. Duodecim sunt prophetae,
duodecim apostoli,
Quattuor evangelistae,
qui estant in ordine.

12. Tredecim annorum erat
virgo sancta Eulalia,
Ad martyrium est ducta
et accepit gratiam.

13. Gloria et honor Deo
usquequo altissimo,
Una patri filioque
spiritui paraclito.

Cod. Bruxellen. 8860—67. saec. 10. — 3, 3 Lies Multa turba? — Nach 5, 4 folgt noch: Et fragmenta, quae remanserunt quaterni cofinos. — 6, 4 spiritum. — 9, 3 illos — 11, 1 prophetas. — Nach Str. 12 könnte es scheinen, dafs das Lied spanischer Herkunft wäre. Seine Latinität würde dem nicht widersprechen.

17. Metra de Verbo incarnato.

1. Verbum a principio
Procedens aeterno,
Quod cuncta consilio
Creasti aeterno,
Te rogare cupio,
Tibi me prosterno,
Purgatos a vitio
Salves ab inferno.

2. Lucem, caelum, sidera
Creans per mandatum,
Terram, pontum, aethera,
Cunctis dans ornatum,
Adam et post cetera
Ceteris praelatum,
Nos salva, nos libera
Diluens reatum.

3. Qui das locum proprium
Vitae innocentis,
Formans in auxilium
Costam dormientis,
Lapsos per edulium
Subicis tormentis,
Praebe te propitium
Votis paenitentis.

4. Qui munera simplicis
Abel reprobato
Cain pie respicis
Et Abel necato
Facta Lamech despicis
Henoch hinc translato,
Nos vultui iudicis
Praesenta placato.

5. Qui Noe prae ceteris
Iustum invenisti,
Cui post aquas foederis
Signum tribuisti,
Qui superbi generis
Linguas confudisti,
Nos a labe sceleris
Purga dono Christi.

6. Qui das Abrae titulum
Terrae visionis
Et Sarai lectulum
Paras Pharaonis,
Abram et nepotulum
Multis ditas donis,
Salva nos in saeculum
Ex ore leonis.

7. Sternens reges gentium
Per panem et vinum
Signans sacrificium
Promissum divinum,
Das Abrae conubium,
Dans eidem binum,
Duc nos post exsilium
Ad Abrahae sinum.

8. Circumciso puerum
Spondes, ab ardore
Loth dimittis liberum
Ignis cum foetore,
Sordes punis scelerum,
Abrae pro sorore
Regem, coetus pauperum
Serves a dolore.

9. Qui das Sarae parvulum,
Eicis lusorem,
Temptans patrem vetulum,
Nati dilectorem,
Sarae praebes tumulum,
Isaac uxorem,
Ex hoc et in saeculum
Da tuum amorem.

10. Dans Rebeccae geminum
Benedictione,
Iacob facis dominum,
Foves visione.

Cod. Bernen. 592. saec. 14. A. — Cod. Maihingen. II 1. 8° 7. saec. 15. B. — 1, 4 rogari A. — 1, 8 Serva ab B. — 2, 8 Dilue B. — 3, 8 Votis deprecantis B. — 4, 2 improbato B. — 5, 4 Signa B. — 6, 1 Aben B. — 6, 5 Abiam et Nephtalim B. — 6, 8 draconis B. — 7, 1 Sternis B. — 7, 3 Signas B. — 7, 5 Dans B. — 8, 2 Spondens B. — 8, 4 Igneus foetore A. — 8, 7 coetum B. — Str. 8 und 10 fehlen A. — 9, 7 et fehlt. — In beiden Hss. ist das Gedicht unvollständig. Die Aufschrift bietet B.

18. De Incarnatione Domini.

1. Deus, creator omnium,
Ante mundi principium
Praevidit, ut per filium
Nobis daret consilium.

2. Nox silentium tenuit
Medium, dum sponsus venit
A regalibus sedibus
Donans pacem hominibus.

3. Mirabile mysterium,
Dum virgo parit filium,
Ut sidus profert radium
Intacta nesciens virum.

4. Christi generationem
Quis hominum enarrabit,
Verbi incarnationem
Angelorum quis vestigabit?

5. Verbum, quod pater genuit,
Servile corpus induit,
De matre nasci voluit,
Qui matris creator fuit.

6. De sinu patris prodiit,
Qui lucis auctor exstitit,
Formam hominis induit,
Ne perderet, quod condidit.

7. Maria Christum edidit,
Quae viri thorum nesciit,
Mater Dei efficitur,
Dum Deus homo nascitur.

8. Natus est Dei filius,
Caelorum rex, non alius,
Nasciturque in stabulo
Deus, qui regnat in caelo.

9. Vili iacet praesaepio,
Quem nulla claudit regio,
Apparuit pastoribus,
Qui regnat in caelestibus.

10. Stella fulgens apparuit,
Dum virgo Iesse floruit,
Et reges ferunt munera,
Tus, murram, auri pondera.

11. Maria, virgo virginum,
Quae genuisti Dominum
Sine virili semine,
Verum lumen de lumine,

12. Gratiarum monilibus
Ornaris Christi gratia,
Pretiosis lapidibus
Virtutum fulgens gloria.

13. Tu plena sapientia
Cunctisque charismatibus,
Serva tua potentia
Nos a daemonum insultibus.

14. Tu sempiterno foedere
Caelesti sponso iungeris,
Fac nos illum dulcescere,
Cuius tu mater crederis.

15. Tu verbum vitae tractasti
Tuis sacratis manibus,
Dum Iesum Christum lactasti
Tuis sanctis operibus.

16. Gaudebas magno gaudio
Nascente Christo Domino,
Dum cerneres in stabulo
Deum, qui regnat in caelo.

17. Quem desiderant angeli
Videre et archangeli,
Cui caelestis curia
Laudem reddit in gloria.

18. Throni, dominationes,
Virtutes et potestates,
Principatus et Cherubim
Laudant cum sanctis Seraphim.

19. Laudant sine cessatione
Christum in caelis regnantem,
Quem sine corruptione
Tu genuisti infantem.

Orat. ms. Thosanam saec. 15. Cod. Bruxellen. 4948.

19. De Incarnatione Domini.

1. Ex adflatu divini flaminis
Verus Deus a summis veniens,
Portam vitae nobis aperiens
Subintravit secreta virginis.

2. Gravidatur virtute numinis
Virgo regem laeta suscipiens,
Deum nobis hominem pariens
Primi lapsum purgantem hominis.

3. O quam virgo felix sanctissima,
Salutata per Dei nuntium,
Hortus florens, lux serenissima,
Facta mater gignendo filium.

4. Incorrupta mater piissima
Post et ante hoc puerperium,
Iacob stella, sed splendidissima,
Trinitatis simplae triclinium.

5. Puer nobis datus est hodie
Prophetatus a sanctis patribus,
Summus regnans in throno gloriae
Conversatusque cum hominibus.

6. Nobis datus filius gratiae,
Luce caecis rite sedentibus
In obscuris et umbra sauciae
Iter dedit mundum a sordibus.

7. Felix dies, mater et filius,
Felix mundus mundum suscipiens,
Fecundator felix et nuntius,
Felix homo Deum parturiens.

8. Illustrator sedens superius,
Devotorum corda respiciens,
Pius nobis sit et propitius,
Nos post vitae cursum recipiens.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen) 14343. anni 1351. — 4, 4 simplex. — 6, 2 cetis.

20. De Nativitate Domini.

Nos regat aeternus custos, partus hodiernus,
Nobis placatus de virgine sit generatus,
Nos a peccatis purget flos virginitatis,
In nostra cura stet caelestis genitura.

Caelestis proles nobis superos det honores,
Nostrum peccatum laxet verbum caro factum.
Virgine de feta sint tempora nostra quieta,
Virgineus fructus det nos postponere luctus.
Nos evangelicis purgemur crimine dictis,
A patre nos missi salvet benedictio Christi.
Virgineus partus sibi nostros mancipet actus,
Matris plasmator nos protegat auxiliator.
Nos radix Iesse semper salvos velit esse,
Rex incarnatus benedicat nos miseratus.
Nos de natura Christi fugiant nocitura,
Virgineus natus nos mundet sorde creatus.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19824. saec. 15. — 7 sint nostra tempora.

21. De Natali Domini.

Gaudeat omnis homo, quia nos de sede paterna
Christus dignatur visere factus homo.
Factus homo Dominus de virgine matre fovetur,
Lactat sicut homo, gaudeat omnis homo.
Inter mortales vivit mortalis et ipse,
Ne moriatur homo, gaudeat omnis homo.
Hunc nova stella Deum de caelo clamat, honorant
Reges muneribus, gaudeat omnis homo.
Tres tria dant, tria mystica sunt, colitur tribus unus,
Qui Deus est et homo, gaudeat omnis homo.

Cod. Parisin. 8865. saec. 13. — Überschrift: „Item Petrus de natali Domini versus.“ Verfasser ist Pierre le Peintre, Kanonicus von Saint-Omer, von dem noch andere Gedichte lehrhaften Inhaltes in derselben Hs. stehen, so de decem plagis Aegypti, versus Petri de denario, de excidio Romani imperii et de magnificentia Catonis, de egestate et fame et siti gulae, de inopia mentis et fame et siti animae, libellus Petri de muliere mala.

22. De Nativitate Christi.

Verbum de patre natum,
Lumen de lumine,
Nuper est incarnatum
De matre virgine,
Verbum abbreviatum,
Homo de homine,
Fascia colligatum,
Praesaepe reclinatum
Feni sub tegmine.

Anima mea, plora,
Plora cum virgine,
Caruit illa hora
Pauper iuvamine,
Adcurre et labora
Toto conamine,
Para praesaepi loca,
Simul cum ipsa loca
Iesum in stramine.

3. Custodi, ne discedas,
Custodi parvulum,
Per ipsum enim credas
Salvari saeculum,
Et felix es, si te das
Plangenti baculum,
Si manibus levato
Dederis amplexato
Occultum osculum.

4. Nec osculari vultum
Dico [ut] studeas,
Satis est, immo multum,
Pedes si valeas,
Immo pannorum cultum
Tenere studeas,
Fimbria vestimenti
Sanitatem languenti
Dedit, en, timeas.

5. Redde matri lactandum
Castis uberibus,
Sed resume portandum
Alternis vicibus,
Si dura sit ad dandum
In tuis manibus,
Dic: tuus iste natus
Non tibi soli datus,
Sed datus omnibus.

6. Si miserum causaris,
Venit pro miseris,
Per ipsos exaltaris,
Mater efficeris,
Ergo ne dedignaris,
Quod pro me ceperis,
Quanto magis sum reus,
Tam magis erit meus
Una cum ceteris.

7. Adcurre, gens peccatrix,
Non siccis oculis,
Salvatorem salvatrix
Praesentet singulis,
Thesaurum conservatrix
Nunc offert populis,
Si tantae pietati
Fuerimus ingrati,
Vae nobis miseris!

8. Venit ab arce patris
Natus carissimus,
Ubera suxit matris,
Sicut nos fecimus,
Cuius amorem fratris
Quando recolimus,
Mirum, si tam gelati
Calore nominati
Mox non liquescimus.

9. Venit enim ut ignis
Terram accendere,
Tam exemplis quam signis
Mundum concutere,
Eius donis benignis
Carnem exuere,
Ut hoc igne conflati
Soli iam maiestati
Curemus vivere.

10. Si mihi vis iurare
Iurando foedere,
Quod nil velis amare,
Me solum quaerere,
Promitto caelum dare,
Me tibi iungere,
Cuncta bella domare,
Ut possis superare,
Vires tribuere.

11. In primis cor consulta,
Quod vis eligere,
Ecce, requirunt multa
Tuum diligere,
Sed vide, ne sis stulta,
Cura distinguere,
Et si sum eligendus
Cunctisque praeponendus,
Noli me spernere.

12. Ego natura Deus
De patre prodiens,
Ut mundaretur reus
In matrem veniens,
Factus pauper Hebraeus
In cruce patiens,
Patenter demonstravi,
Quod nimis te amavi
Tam magna faciens.

13. Dicas ad amatores:
Quid mihi facitis?
O carnales amores,
Vos me inficitis,
O vos mundani flores,
Cito deficitis,
O mali suggestores,
Ad aeternos ardores
Vos me conducitis.

14. De me inhil habebis
Nisi solacium,
Nec modicum censebis
Vitale gaudium,
Post aeterne ridebis
In regno caelitum
Beataque tenebis,
Cum mihi adhaerebis,
Intra palatium.

15. Erras, si reperire
Te putas melius,
Cito debet perire
Bonum exterius,
In toxicum redire,
Quod sapit dulcius;
Ergo vitam acquire,
Quae non potest perire,
Vivendo sanctius.

Orat. ms. Italicum saec. 15. ex. Cod. S. Ignatii Londinen. s. n.

23. Ad Christum infantem.

1. Ave, Iesu parvule,
Regnum rex sublimis,
Nobilis infantule,
Deus magne nimis.

2. Ave, admirabilis,
Tam fortis et famosus,
Tam pulcher, tam amabilis
Et totus gratiosus.

3. O mentis desiderium,
Iesu desiderate,
O nobile principium,
O Deus incarnate,

4. Venisti, amantissime,
Propter me venisti,
O Deus, plus quam optime,
Sic me attraxisti.

5. Salve, salus omnium,
Puerule formose,
Candens plus quam lilium,
Rubens instar rosae.

6. Mei cordis gaudium,
Mea tu dulcedo,
Tuae matris gremium
Propter te accedo.

7. Vim magnam cordis patior
Pellente me fervore,
Amore tuo crucior,
Iam veni, flos decore.

8. Da mihi o dulcissima
Tuum da dilectum,
Mea languet anima,
Iam patitur defectum.

9. Quamvis sim pauperculus,
Quamvis sim peccator,
Tuus tamen famulus,
Tuus sum amator.

10. Da, Maria, puerum,
Da, quem debes dare,
Veni, salus pauperum,
Veni, Iesu care.

11. Tange me et effice
Digne te gustare,
Velle meum aspice,
Volo te portare.

12. Te cupio, te sitio,
Modo non morare,
In cordis mei gremio
Debes repausare.

13. O sarcina suavissima,
Mihi coaptare,
In mea prorsus anima,
Quam dulcis sis, appare.

14. O sapor omnis gratiae,
In me velis pausare,
Mecum, precor, hodie
Et semper commorare.

15. Qui te meae formulae
Dignaris conformare,
Animae da tremulae
Te leniter tractare.

16. Totus in me labere,
Omnis fons dulcoris,
Ut te portem, patere,
Flos rosei decoris.

17. Ad veri solis radium
Te aperi, cor meum,
Expande late gremium
Praesentem habens Deum.

18. Te meis in brachiis,
Dilecte mi, amplector
Et totis ex praecordiis
Tibi condelector.

19. Ad tam dulcem gratiam
Me totum distendo,
Si tamen patientiam
Tuam non offendo.

20. Non debet tua bonitas
Inanem me transire,
Sed, quae sit tua pietas,
Fac me plene sentire.

21. Tuum ad pectusculum
Me totum inflecto,
Ubi dulce osculum
Daturus sum dilecto.

22. Cordi meo proximus
Super me repausa,
Non gravet te, quod agimus,
Cum tu sis in causa.

23. Tuae grates gratiae
Refero dilecte,
Tua fruens facie,
Prae milibus electe.

24. Non est tui similis,
Dulcis et decorus,
Iucundus, amabilis,
Quem laudat caeli chorus.

25. Quam magnus, quam parvulus,
Quam tener, quam fortis,
Tu dominus, tu famulus,
Tu consors nostrae sortis.

26. Modo te deosculor
Et brachiis amplector,
Afficior et gratulor
Et plurimum delector.

27. Super hoc pectusculum
Os ac vultum pono,
Figo mentis osculum
Te amans corde prono.

28. Quando hoc caruero
Conturbatus gemo,
Mecum intus confero,
Te mihi tollet nemo.

29. Si tu vis abscedere,
Tunc me cogis flere,
Peto te, rex gloriae,
Mecum permanere.

30. Te nunc inter brachia,
Dilecte, constringo,
Amoris haec indicia
Nec simulo nec fingo.

31. Nil unquam sensi dulcius
Nec ita sum affectus
Nec unquam delicatius
Sum, fateor, refectus.

32. Amore totus aestuo,
Fecisti me ardere,
Prae gaudio iam defluo,
Non possum me arcere.

33. O decore parvule,
Flos nimium formose,
Amabilis infantule,
Figuram gerens rosae.

34. Quid iaces in stabulo
Caeli margarita?
In tam vili lectulo
Tu quid iaces ita?

35. Ubi pulvinaria,
Ubi pluma lenis?
Tibi desunt omnia,
O quam pauper venis.

36. Membra tua tenera,
Costas infantiles
Strata premunt aspera,
Panni tegunt viles.

37. Te arta ligat fascia,
Qui solvis compeditos,
Humiliant praesaepia,
Qui relevas attritos.

38. Hic membra foves tenera,
Pausas et quiescis,
Qui patris sedens dextera,
Quid sit labor, nescis.

39. Pro pluma tibi vilibus
Straminibus subiectis
Exemplum es humilibus,
Egenis et abiectis.

40. Praesaepe tuum floribus,
Purpureo decore
Vestiri modis omnibus
Decebat cum honore,

41. Gemmis, rosis, flosculis
Et liliis vernare
Et praeclaris titulis
Auro fulgurare,

42. Quia in se Dominum
Fert deliciosum,
Universis hominum
Prae filiis formosum.

43. Ut saccum hunc indueres,
Te caritas instruxit,
Ut perditos requireres,
Ipsa te induxit.

44. In lectum tam asperum
Ipsa te locavit,
Pluresque in posterum
Labores procuravit.

45. Accipe nunc osculum,
Indicium amoris,
Tuum ad pectusculum,
O salus peccatoris.

46. Tolle tuum puerum,
O genetrix formosa,
Semper habe gaudium,
Tu lilium, tu rosa.

47. Infantis membra tenera
Casta manu tracta,
Nato praebe ubera,
Hunc pasce, fove, lacta.

48. Mamillis tuis applica,
Virgo, tuam prolem,
O mater deifica,
Caelorum pasce solem.

49. Pasce pascentem omnia,
Virgo, tuum natum
Fove foventem omnia,
In sinu collocatum.

50. Stringe, virgo regia,
Regem amplexatum,
Osculis te satia
Ad os mellificatum.

51. Quam dulcis osculatio
Ad genas parvi Christi
Et labii impressio,
Tu sola, virgo, scisti.

52. O admiranda suavitas,
Gena coniuncta genae,
Quam dulcis haec satietas,
Tu, virgo, nosti plene.

53. Vale, spes fidelium,
Dulcis mater Christi,
Nobis fac propitium,
Quem tu genuisti.

54. Vale, salus omnium,
Salutis cum auctore,
Dans verum nobis gaudium
In vero salvatore,

55. Vale, caeli tripudium,
Vale, valde decora,
Tuum dilectum filium
Pro nobis semper ora.

Clm. Monacen. (ol Tegurin.) 19824. saec. 15. A. — Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. 14/15. B. — Cod. S. Petri Salisburgen. a III 10. anni 1475. C. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. D. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19636. saec. 15. E. — Orat. ms. SS. Udalrici et Afrae saec. 15. Cod. Augustan. s. n. F. — Orat. ms. S. Mariae Magdalenae Hildesheimen. saec. 15/16. Cod. Gotingan. Theol. 233. G. — Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. H.

1, 1 Iesu puer parvule B. — 1, 2 sq. fehlen G. — 1, 2 Caelorum rex BH. — 1, 4 O Deus BG. — 2, 1 desiderabilis G. — 2, 2 Fortis et BH. famosus B; pulcher et formosus G. — 2, 2 sq. fehlen G. — 2, 3 Quam pulcher quam BCH. — 2, 4 Quam totus BH; amorosus CH. — 3, 1 O meum desiderium GH. — 3, 2 O desiderate A. — 4, 3 O fehlt H. — 4, 4 Sic nos BCH. — 5, 2 Parvule C. — 5, 3 sicut lilium G. — 6, 3 Ad tuae BGH. — 7, 1 corde BG. — 8, 1 o fehlt ABH; mihi dulcissima Maria G. — 8, 2 Tuum praedilectum A. — 8, 3 languens H; Languet mea C. — 8, 4 Patior defectum A. — 9, 3 sq. fehlen G. — 10, 1 Dona, virgo, puerum A. — 11, 1 affice CH; perfice A. — 11, 2 Da mihi te gustare B; Volo te portare H. — 11, 3 meum perfice GH. — 11, 4 Volo te gustare H. — 12, 2 Noli te morare A; Noli immorare G. — 12, 3 mei cordis G. — 13, 1 O fehlt A. — 13, 2 adaptare C. — 13, 3 Mea prorsus H; Nam mea prorsus G. — 13, 4 Ardet, tu scis quare GH. — 14, 2 In me hospitare H; resopinare C. — 14, 3 precor fehlt G; Dignare mecum hodie C; Mecum, mecum hodie H. — 14, 4 Dilecte commorare BCH; Debes commorare G. — 15, 2 Digneris H; Dignatus es G; confortare B. — 15, 3 Da mihi tremulo B; Dona mihi tremulae CH. — 15, 4 Celeriter tractare C; Te leviter G. — 16, 1 Et totus in me illabere G. — 16, 2 Totius fons GH. — 16, 3 sq. fehlen G. — 16, 4 Fons B. — 17, 1 Aperi cordis gremium G. — 17, 2 Ad veri solis radium G. — 17, 3 O cor expande nunc late G. — 17, 4 habes C; Sumn praesentem habens Deum G. — 18, 1 Hic te meis B; Te meis hic CH. — 18, 3 ex fehlt G. — 19, 2 Totum me BC; Totam me G. — 19, 3 Tamen si praesentiam GH; Tametsi patientiam B. — 20, 3 Quae sit tua suavitas BH; fehlt G. — 20, 4 Fac me plene scire H; fehlt G. — 21, 2 Totum me BCGH. — 21, 4 Datura G. — 22, 1 Tu cordi meo G. — 22, 3 Non te gravet, quod ago G. — 22, 4 Tu emines in causa B; Tu emines in C; Quia tu es causa GH. — Str. 23 und 24 fehlen G. — 23, 1 Tantae grates BH. — 23, 2 Habeo dilecte B; Te habeo dilecte H. — 23, 3 fruor B, fruens H. — 24, 2 Tam pulcher, tam electe BC; Tam pulcher, tam decorus H. — 24, 3 et amabilis BCH. — 25, 1 O quam G; Quam magnus et quam H. — 25, 2 et quam GH. — 25, 4 nostrae consors GH. — 26, 2 et ulnis te G. — Str. 27 fehlt G. — 27, 2 Os et H. — 27, 3 Affigo BCH; cordis osculum BH. — 27, 4 Te mihi tollet nemo CH. — Str. 28 fehlt CH. — 28, 1 sq. fehlen G. — 28, 3 Te vero hic in brachiis G; Te hic inter H. — Str. 29 fehlt BCGH. — 30, 1 sq. fehlen G. — 30, 1 Te hic inter BC. — 30, 2 Totum ad me stringo BH; Tuum ad me C. — 30, 3 haec fehlt A. — 30, 4 Nec sileo A. — Nach Str. 30 schiebt B ein:

Nunquam mihi melius
In omni mea vita,
Nec unquam sensi dulcius
Nec sum affectus ita.

31, 1 Nec unquam G. — 31, 2 fehlt G. — 31, 3 Nunquam A. — 32, 1 Amore tuo aestuo GH. — 32, 3 In lacrimis eu defluo C; In lacrimis iam GH. — 32, 4 me continere G. — Nach Str. 32 schieben BGH ein:

Non possum te dimittere,
Digneris hic manere,
Et si vis discedere
Me cogis post te [pro te H] flere.

Hierauf folgt in GH. Str. 34; in B dagegen:

Da mente excedere,
Da tibi inhaerere,
Ac si me relinquere
Vis et hinc abire,
Dona sic te quaerere,
Ut possim invenire.

Str. 33 fehlt B. — 33, 2 Flos multum A. — 33, 3 puerule CG. — 33, 4 Formam gerens A. — Str. 34 steht nach Str. 32 G. — 34, 1 Quid tu in hoc stabulo C; Quid tu hic in BGH. — 34, 2 Caelorum GH. — 34, 3 vili tugurio G. — 34, 4 Quid tu CGH; Cur Iesu iaces ita B. Nach Str. 34 schiebt H ein:

O decore parvule,
Flos nimium formose,
Amabilis puerule
Figuram gerens rosae.

35, 1 pulminaria H. — 36, 1 Tua membra BCGH. — 37, 3 Te humiliant G. — 38, 2 Dum quiescis G. — 38, 3 Qui in patris dextera B; In paterna dextera H. — 38, 3 sq. fehlen G. — 39, 1 Pro pluma fehlen G. — 39, 3 sq.: Illud praesepe, quod in se ferebat Dominum universae terrae puerum deliciose universis hominum prae filiis speciosum, vestire etc. G. — 41, 1 rosis fehlt G. — 41, 4 In auro BCGH. — Str. 42 fehlt G. — 42, 1 Quod in se Dominum H; Quod in se ipsum B; Quod in se ipso C. — 42, 2 Affert H. — 43, 2 attraxit A; induxit H. — 44, 4 instruxit H. — 44, 1 In lectum hunc tam BH; In loco isto aspero G. — 44, 3 Tibi plures in B; Et plures in C; Et plurimos in H; Qui tibi postmodum labores G. — 44, 4 Plurimos procuravit G. — 45, 3 sq. fehlen G. — 46, 1 Solve tuum G. — 46, 2 O fehlt G. — 46, 4 Lilium et rosa A; Tu lilium cum rosa B. — Nach 46, 4 hat G noch: In his, quae ago, non te impedio nec sum tibi taedio. — 47, 1 tenera costas infantiles G. — 47, 2 pertracta B; Tu casta mater tracta G. — 47, 4 Hunc fehlt G. — 48, 3 Mater tota deifica B; Et mater tu deifica C; O mater virgo caelica GH. — 48, 4 Caeli pasce A. — 49, 2 Pasce virgo natum BH. — 49, 4 In fehlt A. — 50, 2 Parvulum amplexatum G. — 50, 3 Et osculis BG; socia H. — Nach 50, 4 fügt B noch bei:

Et labris tange labia
Ad os deificatum.

51, 1 Quam dulcis mellificatio H. — 51, 2 Ad os parvuli Christi G. — 51, 3 labiis G. — 51, 4 Tu virgo sola B. — Str. 51 und 52 umgestellt G. — Str. 53 ff. fehlen G. — 52, 1 miranda A. — 52, 2 iuncta A. — 53, 2 O dulcis BH. — 53, 3 Et nobis fac BH. — 53, 4 peperisti C; Quem virgo genuisti B. — 55, 3 Et tuum pium filium H.

Oratio devota ad Dominum Iesum sub forma pueruli in matris gremio sedentem. A; Explicit oratio melliflua de infantia salvatoris. B; Soliloquium beati Bernhardi ad puerum Iesum. G; Oratio beati Bernhardi ad puerum Iesum in gremio matris residentem. H.

24. De Nomine Iesu.

1. Salve, nomen salvatoris,
Salve, gemma redemptoris
Illapsa nobis caelitus,
Salve, nomen sanctum Dei,
Salve, robur nostrae spei,
Largire dona spiritus.

2. Iesu sanctum nomen novum,
Nomen Dei virtuosum,
Esto nostrum refugium,
Iesus salvat, Christus ungit,
Cristus nobis se coniungit,
Plenus sanctorum gaudiis.

3. Iesus amor salvatoris,
Christus sanctus et suavis,
Spiritalis unctio,
Iesus Christus, lux Mariae,
Grandis honor matris piae,
Iesu, nostra redemptio.

4. Iesus tremor infernorum,
Christus amor beatorum,
Viatorum solacium,
Iesus porta salvandorum,
Laus et splendor angelorum,
Pietatis palatium.

5. Per hoc nomen inflammamur,
Inflammati sublevamur
Ad aeterna sidera,
Per hoc nomen coronamur,
Coronati gloriamur
In paradisi gloria.

Orat. ms. Capit. Toletani 34—71. saec. $^{15}/_{16}$. — 5, 3 aeterna caeli sidera.

25. De Epiphania Domini.

1. O nata lux de lumine,
Miro clarescens ordine,
Apparuisti hodie
Homo natus de virgine.

2. Et magi stella lucente
Veniunt de oriente,
In Ierosolymis quaerunt
Te Christe, quem natum credunt.

3. Tunc Herodes se turbavit
Et scribas ad se vocavit,
Quatenus sciscitaretur,
Ubi Christus nasceretur.

4. Responderunt, ut est scriptum
Et a prophetis praedictum,
Quod de Bethlehem exiet
Dux, qui plebem Dei reget.

5. Tunc Herodes tempus stellae,
Fingens adorare velle,
Sub dolo a magis quaerit,
Dum Christum necari cupit.

6. Transite, inquit Bethlehem
Et quaerite Christum regem,
Diligenter indagate
Et invento nuntiate.

7. Cumque Herodem audissent
Et ab eo recessissent,
Stellam iterum viderunt
Et puerum invenerunt.

8. Gaudebant magno gaudio,
Dum cernunt in tugurio
Christum, qui regnat in caelo
Iacentem in praesaepio.

9. Videntes adoraverunt
Et munera obtulerunt,
Ad regem non redierunt,
Sed Herodi illuserunt.

10. Monitique ab angelo
Iubente Christo Domino
Ad propria redierunt
Per viam, quam non venerunt.

11. Gloria tibi, Domine,
Qui stella duce regibus
Apparuisti hodie
Devote te quaerentibus.

Orat. ms. Thosanum saec. 15. Cod. Bruxellen. 4948.

26. De Transfiguratione Christi.

1. O cor meum, confortare,
Christo sponso conformare
In mortali corpore,
Ut post tristes nunc agones
Subsint consolationes
In futuro tempore.

2. Vide regem hic despectum,
Sputis litum, spinis tectum,
Non habentem speciem,
Ut levatum celso throno
Cernas cum immenso dono
Facie ad faciem.

3. Corpus tuum reformabit
Suaeque configurabit
Claritatis corpori,
Quod in suo demonstravit,
Ipsum quando transformavit
Divo suadens operi.

4. Quodvis asperum, quod artum,
Quamvis cum dolore partum,
Non evacuabitur,
Laetam spem dat splendor vultus
Christi, noster labor multus
Inde praemiabitur.

5. Adest patris vox contestans,
Lucem nubis sibi gestans
Spiritus paraclitus,
Quod sit filius dilectus,
Doctor verus, doctor rectus
Sibique complacitus.

6. Inter legem et prophetas
Complens utrorumque metas
Salvator apparebat,
Testem habens utrobique
Suae mortis, quam inique
Iudaea infligebat.

7. O amator plasmatorum,
Consolator orphanorum,
Rex aeternae gloriae,
Quos ad sortem regni ducis,
His fulgorem tuae lucis
Dignaris praeostendere.

8. Ut illuminato corde
Et detersa mundi sorde
Lumen cernant lumine,
Ad te tendant fontem vitae,
Voluptatis concupitae
Debrientur flumine.

9. Quam sit bonum ibi esse,
Contestati sunt expresse
Viri evangelici,
Qui praesentes adfuerunt,
Quam sit dulcis praesenserunt
Sapor regni caelici.

10. O mi Deus, nos conforta,
Nos infirmos hic supporta,
Nobis illucescere,
Benedic et miserere,
Qui dixisti lumen vere
De tenebris splendescere.

11. Cognoscamus viam tuam,
Agat quis salutem suam,
Dum tempus hic habemus,
Ut cum apparebis iustis,
Videamus te cum istis,
Ad nuptias intremus.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. 4° 29.

27. Incipit prologus rigmaticus in iubilum alaudae mysticae in nomine Domini.

1. Lucis in principio
Tempore brumali
Semel fui gaudio
Permotus spiritali,
Coepi mente volvere,
Quid sit post futurum,
Quoniam hoc tempore
Nihil est securum.

2. Coepi puericiam
Hic mente retractare,
Pastorum laetitiam
Antiquam ruminare,
Et quam transitoria
Sit haec res mundana,
Et quam vana gloria
Corda caecat humana.

3. Puer pastor ovium
Saepe fui laetus,
Et concentus avium
Sedabat meos fletus,
Sed inter aviculas
Una praecellebat,
Quae me post oviculas
Saltare faciebat.

4. Illa septem vicibus
Sursum volitabat
Et praeclaris vocibus
Sic Deum collaudabat,
Clamans magnis vocibus
. . . . . .
Exemplar hominibus
Sic est suo cantu.

5. Haec est illa nobilis
Humilis alauda,
Grisea cum pennulis
Ac alis, ventre, cauda;
Niger corvus crocitat
Clamens semper cras, cras,
Piger sic procrastinat,
Sic transit ver et aestas.

6. Quid tu, rudis cucule,
Quid nescis cantare,
Nisi semper simile
Kukuk reciprocare;
Pica satis saltitat,
Sed non valet cantus,
Quia multum garrulat,
Hoc fugat omnis sanctus.

7. Sic se gerunt homines,
Ut quivis consuevit,
Et sic cantant volucres,
Ut eis rostrum crevit,
Ergo modum volucris
Primae praecelegi,
Quae sit tantum alacris,
Huic similem non legi.

8. Grates, Christe, milies,
Qui sic me vocasti,
Quod in die septies
Laudare te donasti,
Ut alaudam mysticam
Tibi praeparasti,
Ad turbam minoricam
Tam sanctam adgregasti.

9. Et quod sic sum griseo
Panno decoratus,
In hoc multum gaudeo
Alaudae similatus,
Ut alauda quaerito
Grana per plateas
Et hinc liber visito
Caelestium choreas.

10. Iam propinquo senio
Ad modum alaudae
Magno desiderio
Virescit cor in laude;
Nunc, alauda mystica,
Tempus est cantandi
Et nos laude caelica
Parum laetificandi.

Bene cane canticum
Iubilum amoris,
Ut tandem angelicum
Decantes in choris.

Incipit iubilus alaudae mysticae in septem ascensiones distinctus cum pausis totidem correspondentibus.

I.

1. Regem Christum hodie,
Fratres, honoremus,
Laudes suae curiae
Ad mentem revocemus.
Ibi mille milia
Cantant cum Maria,
Dicunt cum laetitia,
Cum dulci symphonia:

2. Nunc cantemus Domino
Multum gloriose,
Toto cordis organo
Multum affectuose,
Omne quod iuraverat
Patribus daturum,
Nihil irritaverat
Hoc denotat futurum.

* * *

3. Nunc, alauda nobilis,
Modicum quiescas,
Ne fatigata debilis
Effecta contabescas,
Sed resume citius
Laudes, ne tepescas,
Semper, semper dulcius
In cantu convalescas.

II.

1. Cum regina sapiens
Vidit Salomonem,
Sensu fit deficiens,
Hunc protulit sermonem,
Clamat famam vincere
Visam veritatem
Et beatam dicere
Suam societatem.

2. Ut cervus desiderat
Ad fontem aquarum,
Sic cor meum properat
Ad Christum regem carum,
Gloriosam praedicat
Sanctam civitatem,
David cum laetificat
Totam societatem.

* * *

3. Lauda, lauda Dominum
Semper tu, alauda,
Nullum sacrificium
Est gratum sine cauda,
Semper sursum teneas
Cor, alauda pia,
Christo laudes offeras
Cum dulci melodia.

III.

1. Civitas gratissima,
Quando te videbo,
Cur infelicissima
Tamdiu te carebo?
Heu, quod prolongatus est
Talis incolatus!
Ergo maestum factum est
Cor, sum attaediatus.

2. Ibi cum spiritibus
Congaudent omnes sancti,
Senes cum iunioribus
Corde desideranti,
Ibi in cubilibus
Suis laetabuntur,
Iubilus in faucibus,
His semper implebuntur.

* * *

3. Nunc, alauda, iubila
Dulci melodia,
Canta tuo modulo
Laus Christe voce pia,
Lauda pium Dominum
Regem saeculorum,
Salvatorem hominum
Cum choris angelorum.

IV.

1. Plateae Ierusalem
Auro consternentur,
Per cantum mirabilem
Tunc aures informentur,
Hic est cantus mellicus
Alleluia dulce,
Hoc resument crebrius
Nunquam tamen insulse.

2. Quam grande convivium
Fecerat Assuerus,
Multo plus magnificum
Rex praeparavit verus,
Ibi merum caelicum
In auro potatur
Et panem angelicum
Mens edens saturatur.

* * *

3. O felix avicula,
Ales spiritalis,
Sursum cor in saecula,
Ubi laus aeternalis,
Non est inter volucres
Laudans ut alaudae,
Hoc nos reddat alacres
Nunc in divina laude.

V.

1. Ut victores incliti
Ibi laetabuntur,
Capta praeda dediti
Quieti iocabuntur,
Ibi regem Dominum
Vident in decore,
Salvatorem omnium
Collaudant in amore.

2. Ibi super omnia
Bona statuentur,
Qui ad transitoria
Amore non tenentur,
Ibi in caelestibus
Dantur mansiones,
Pro bonis operibus
Habent pausationes.

* * *

3. Ach, amoris canticum,
Iubilus alaudae,
Sis dulce viaticum
In tua laeta laude,
Quia caput tremere,
Visu caligare
Coepi, corde gemere
Ac gressu declinare.

VI.

1. Non est comparatio
Digna passionum,
Clara revelatio
Ostendet omne bonum,
Quod non vidit oculus
Nec aures intravit,
Hoc exspectat populus,
Hic Iesum qui amavit.

2. O vos Christi pugiles,
Certetis constanter,
Sitis modo vigiles,
Rependet abundanter,
Fertis momentaneam
Tribulationem,
Tunc rex dabit auream
Remunerationem.

* * *

3. Nunc ad Christi gloriam
Simus ut alaudae,
Ad caelestem curiam
Volemus dulci laude,
Quia vires defluunt,
Et capilli cani,
Et nil plus reficiunt
Amores hi mundani.

VII.

1. Tunc absterget lacrimas
Deus miserator,
Passiones plurimas
Delebit recreator,
Nova fient omnia
Caelum, terra, mare,
Iudicabis somnia,
Quae soles nunc amare.

2. Exsul in exsilio,
Iesu, clamo: veni;
Dicis: cito venio.
Amore non praeveni,
Alleluia resono
Saepe resumendo,
Dulces laudes persono
Et gaudeo canendo.

3. Facit laudis terminum
Defectus sermonis,
Hic sit finis carminum,
Qui regnat caeli thronis,
In caelesti curia
Iesus et Maria
Laudetur per saecula
In trina hierarchia.

* * *

Cod. Londinen. Reg. 2 A II. saec. 15. — Prolog. 3, 4 Cedebat meos fletus.

28. De Christo.

1. Splendor patris, fons, sol, ares,
Languent oculi solares,
Quae nos salvet, tu sola res,
In te clavis laesos lares
Tutos nobis pares; ha, res
Mira! Deus patri pares,
Minor patre patri par es,
Nobis vitae mensam pares.

2. Crux est vitis, hac in vite
Botrus Cypri, botrus vitae
Floret, cuius vinum rite
Sumptum sobrium et mite
Et laetum cor reddit. Ite,
Sitientes, et haurite,
Dulcis potus, hunc sitite,
Qui vos sitit, et venite.

3. Cerno portantem dolores,
Corvi per quem in olores
Mutantur, nobis dolor es,
Nostra salus, nostrum cor es.
Homo miser, quid dolo res
Quaeris? tui proditor es,
Est iactura gravis
praeclaros perdere mores.

4. Orat pro nobis patronus,
Cuius est in caelo thronus,
Se pro suis pastor bonus
Dedit nostrum ferens onus,
Colit hunc civis colonus,
Orbis isti servit pronus.

5. En in crucis aret ara,
Munda caro, mundo cara,
Labis expers et ignara,
Obscuratur lux praeclara,
Fecundatur tandem Sara;
Ha, quid quaeris, mens avara?
Quod instat, foro te para,
Amor rarus, fides rara,
Spes exilis, sors amara.

6. Vera salus infirmatur,
Sitit fons, risus tristatur,
Innocentia damnatur,
Vita vivens morti datur,
Dum securitas turbatur,
Tremit orbis et miratur,
Princeps mundi triumphatur,
Caput Sisarae foratur,
Aman perit, superatur
Golias, Eglon necatur.

7. Surgit vita victa morte,
Gazae confringuntur portae,
Philistaeorum cohorte
Iam prostrata dira sorte
Multus illustrat decor te;
Miserere, rex, precor te,
In me sunt tot pestes ortae,
His demptis sequar, dulcor, te.

8. Inexhausta tu dulcedo,
Tibi, quod in me dulce, do;
Dicet quis: Quid? Nihil cedo,

Verbis saepius excedo.
Dulce manna semper edo,
Cum te sumens recte credo.
Fer opem, tibi me dedo,
Fremit mundus, saevit praedo,
Carnis blanditur putredo;
Hanc pestem, Iesu, vix sedo,
Seda tu, mundum ex foedo,
Agnum faciens ex hoedo.

9. In diversa flecto mentem,
In conclavi residentem
Cerno virginem decentem,
Mundam mundum fugientem,
Partem bonam eligentem,
In superna spe tendentem;
Angelum cernit praesentem,
Verbum dulce proponentem,
Sed attende respondentem
Et ancillam se fatentem,
Dictis fidem adhibentem.
CernoChristum descendentem,
Servi formam induentem,
Deum cerno vagientem,
Fontem vitae sitientem,
Veste solem indigentem,
Vitam cerno morientem,
Sed agnosco resurgentem
Et cum suis convescentem,
Dehinc caelos ascendentem,
Suos secum adducentem,
Pro nobis intercedentem,
Suis opem conferentem.

10. Quo praecessit, nos sequemur,
Si tamen sequi meremur;
Igitur, ut exaltemur,
Decet, ut humiliemur;
Sic sic Christum imitemur,
Ut cum ipso coronemur.

Cod. Cantabrigen. Gg. VI. 42. saec. 13.

29. De Vita Christi.

Ave, salus nostrae spei,
Iesu Christe, fili Dei,
Qui de caelo descendisti,
Incarnari dum coepisti.
5. Ab angelo nuntiatus,
Ex intacta matre natus,
In praesaepi reclinatus,
Absque domo hospitatus.
Tu a magis adoratus
10. Et in templo praesentatus,
In Aegyptum es fugatus,
Post Herodem revocatus
Et ut homo conversatus,
In Iordane baptizatus,
15. A columba protestatus,
Post ieiunas tu temptatus,
Sed nequaquam superatus,
Ab angelis ministratus,
Post haec mira operatus,
20. Praedicando fatigatus,
Siti, fame maceratus
Et a multis exprobratus,
Adorando cruentatus
Et a Iuda venumdatus,
25. Ab iniquis accusatus
Et iniuste iudicatus,
Absque causa condemnatus,
Caesus, sputus, alapatus,
In derisum purpuratus,
30. De spineto coronatus,
Genu flexo adoratus,
Ab Herode subsanatus,
Iudaeorum rex vocatus,
In columna flagellatus,
35. Ecce homo demonstratus,
Crucem ferre coartatus.
Hanc ferendo es lassatus,
Crucifixus et artatus,
Hac in cruce dilatatus,
40. Felle mixto tu potatus,
Cum clamore lacrimatus,
Pro Iudaeis deprecatus,
Tuo patri commendatus,
Mortis victor morti datus.
45. Nostri causa tu vocatus,
A Longino lanceatus,
Post de cruce tu delatus
In sepulcro collocatus,

Cum custodibus signatus.
Ad inferna descendisti,
Inde tuos redemisti,
Terna die surrexisti
Et ad caelos ascendisti
Locum tuis paraturus
Et pro ipsis oraturus,
Inde [iudex es venturus
Dans] bonis vitam aeternam,
Malis poenam sempiternam.
Ergo, pie fili Dei,
Miserere, precor, mei.
Haec te passum quia nosco,
Toto corde supplex posco,
Ut des mihi, paenitere
Et peccata mea flere,
Ut confessus et contritus,
Pane, vino sim munitus,
Ita firme in te credam,
De hac vita dum decedam,
Inveniar emendatus,
Post emendam expurgatus,
Ut in bono confirmatus
Et te duce conducatus
Ad te ferar te visurus,
Vultu tuo fruiturus.

Orat. ms. Sangallense 521. anni 1497.

30. De Vita Christi.

1. Tibi laudes et gratias,
Iesu benigne, refero,
Nam res nimis eximias
Fecisti pro me misero.
2. Ad nos de caelo veniens
Stetisti novem mensibus
Ut reus vincla patiens
In virginis visceribus.
3. Nascens pro domo stabulo
Habes cunam praesaepium
Iumentaque pro famulo
Et fenum loco vestium.
4. Tunc angelus cum gaudio
Te nuntiat pastoribus,
Et magi pio studio
Te colunt cum muneribus.
5. Octavo die sanguinem
Coepisti pro me spargere,
Redemptus es per virginem
De templo duplo turture.
6. Herodes te persequitur
Et credens interficere
Innocentes aggreditur
Et facit omnes perdere.
7. Te septem annis tenuit
Aegyptus in exsilio,
Et virgo pauper aluit
Te verae matris studio.
8. Patri Ioseph oboediens
Eras es matri subditus,
Quae Dei sunt, perficiens,
In his eras sollicitus.
9. Iohannes ut te diluit
Aqua fontis ut noxium,
Paterna vox intonuit
Te suum dicens filium.
10. Post prolixum ieiunium
Homo verus esuriens
Vicisti ter daemonium
Verba legis obiciens.
11. Congregatis discipulis
Aeternae vitae semina
Spargis ingratis populis
Metens vitae gramina.
12. Tibi nullum hospitium
Nec est ulla possessio,
Solum praebet subsidium
Rara tibi devotio.
13. Famem, sitim, vigilias,
Fletum, aestum cum frigore
Et multas poenas alias
In tuo suffers corpore.
14. Omnes peccantes arguis,
In vultu nullum respicis
Nec peccatores respuis,
Quos iam conversos conspicis.

15. Crepant scribae, pontifices
Et pharisaei nocui,
Dum per sermones simplices
Se falsos cernunt argui.

16. Tibi parant insidias
Et optant te consumere,
Per fraudem et blanditias
Quaerunt in verbo capere.

17. Tentant de censu Caesaris,
Casum ponunt adulterae,
Ab aliis tu quaereris
Signum de caelo facere.

18. Te fabri dicunt filium,
Publicanorum socium,
Samaritanum, ebrium
Et habere daemonium.

19. Non te tenent iniuriae,
Quin illis benefacias,
Nec artant te penuriae,
Incepta quin perficias.

20. Morbos fugas et daemones,
Defunctos facis vivere,
Sed obstinati homines
Nec signis volunt credere.

21. Mortis tuae cum fratribus
Cenas instante tempore
Et pedes lavas omnibus
Et tuo cibas corpore.

22. Et mandas verbis dulcibus
Se invicem diligere
Et mundi passionibus
Valenter corda subdere.

23. Tandem completis omnibus
Mandatis legis veteris
Et Deo datis laudibus
Hortum petis cum ceteris.

24. Ventura sciens sociis
Dicis orare vigiles,
Ne hostis cum insidiis
Vos tentet carne fragiles.

25. Et ter prosternens supplicem
Oras patrem sic humile:
A me transfer hunc calicem,
Si vis et est possibile.

26. Et venis ad discipulos
Gravatos somnolentia,
Ter preci facis sedulos
Orans mente anxia.

27. Et sudas totus sanguine
Propinquae mortis taedio,
Sed angeli solamine
Firmaris in hoc proelio.

28. Surgis et vadis obviam
Armatis te quaerentibus
Et pacem Iudae noxiam
Verbis monstrans humilibus.

29. Verbo prosternis aemulos
Tuos et facis surgere,
Et prohibes discipulos
Volentes te defendere.

30. Malcho sanam auriculam
Reddis, post dicis: sinite
Hanc abire pauperculam
Turbam meam, me capite.

31. Tunc videntes discipuli,
Quod tu defendi renuis,
In fugam se dant tremuli
Et te relinquunt nocuis.

32. Ligatus pontificibus
Pertraheris crudeliter,
A falsis ibi testibus
Accusaris mendaciter.

33. Affligeris blasphemiis,
Iniuriis, clamoribus,
Sputis, palmis, opprobriis
Atque duris verberibus.

34. Mane Pilato duceris
Vinctus ut latro pessimus
Ab omnibusque diceris
Mortis es[se] dignissimus.

35. Te Pilatus innoxium
Videns quaerit dimittere,
Ad Herodem, te anxium
Videre, facit ducere.

36. Herodes sprevit impius
Te vestiens ut simplicem
Pilatoque te citius
Mittit et pax fit invicem.

37. Pilatus satisfacere
Credens tuis aemulis
Te totum facit caedere
Et sic monstrari populis.

38. Portans vestem purpuream
Spargis ubique sanguinem,
Habes coronam spineam
Dextra tenens arundinem.

39. Scribae cum pontificibus
Et universo populo
Te clamant magnis vocibus
Crucis figi patibulo.

40. A Pilato sententia
Contra te datur impia,
Stimulatur familia
Et parata sunt omnia.

41. Portanda tuis umeris
Crux ponderosa ponitur,
Ad locum mortis duceris,
Calvariae qui dicitur.

42. Nudus vidente populo
Clavis fixus crudelibus
Levaris in patibulo
Duobus cum latronibus.

43. Pendes in crucis onere
Propter nostra peccamina,
Magis mente quam corpore
Doloris fers gravamina,

44. Matrem tuam dulcissimam
Videns pro te deficere
Et tuam sacratissimam
Mortem paucis proficere.

45. Patri excusas populum
Dicens: nescit, quod faciat.
Matri donas discipulum,
Ut florem flos custodiat.

46. Fel gustas in angustia
Mortis, dum dicis: sitio,
Et paradisi gaudia
Latroni spondes socio.

47. Quod scriptum de te fuerat,
Consummatum est, asseris,
Cur pater te reliquerat,
Humiliter conquereris.

48. Patri clamans fortissime
Tuum commendans spiritum
Caput flectis, vilissime
Tuum concludis exitum.

49. Tunc mare, terra tremuit,
Velum templi dividitur,
Sol ut in nocte latuit,
Petrarum tenor frangitur.

50. Videns tanta centurio
Fatur te Dei filium,
Dat lateris apertio
Nobis salutis fluvium.

51. Largire mihi, Domine,
Virtutum exercitium,
Pro tua matre virgine
Et vitiorum taedium.

52. Me fac in tuis laudibus
Promptum, devotum, vigilem
Et in orationibus
Crebrum, ferventem, humilem.

53. Mitte tuum subsidium
Infirmis et pauperibus
Et veritatis radium
Errantium in cordibus.

54. Depositus in vesperis
A tuis de patibulo,
In sero pie conderis
In alieno tumulo.

55. Et descendens ad inferos
Portas frangis cum vectibus
Et patres illinc liberos
Trahis laetos cum laudibus.

56. Totus desiderabilis
Resurgis die tertia,
Pares tuis discipulis,
Ut fertur, matre praevia.

57. Scandis caeli sublimia,
Sedes in patris dextera,
Venturus es cum gloria
Nostra censurus opera.

58. Ut dixeras, paraclitus
Descendens in discipulos
Illos cunctarum caelitus
Linguarum docet modulos.

59. Precor, Iesu dulcissime,
Post tanta beneficia
Adhuc fac me latissime
Tua gaudere gratia.

60. Ad meam confer animam
Claram intellegentiam,
Voluntatem rectissimam
Et utilem memoriam.

61. Fac eam carnem subdere,
Falsum mundum despicere,
Hostis fraudes evadere
Et te semper appetere.

62. Mortis tuae memoria
Iugis cor meum fodiat,
Amoris tui gratia
Spiritum ardere faciat.

63. Patri, nato, paraclito
Laus sit semper et gloria,
Mortis Christi sint merito
Nobis aeterna gaudia.

Thesaurus spiritualis imp. Venetiis 1570. „Hymnus devotissimae meditationis totius vitae salvatoris.“ — Mehrere Verse haben, wie es scheint beabsichtigter Weise, eine Silbe weniger und beginnen mit der Arsis.

31. Ad Christum Oratio.

I.

1. Splendor patris, lumen verum,
Salus mundi, sator rerum,
Iesu Christe, summe Deus,
Ad te clamat miser reus,

2. Optans vitam, vitans necem,
Tu gementis audi precem.
Audi, quaeso, deprecantem,
Consolare lacrimantem.

3. Me peccati premit moles,
Miserere, sicut soles,
Vulnerato multis telis
Opem [mihi] ferre velis.

4. Morbis premor, tu divinam
Fer aegroto medicinam,
Affer medicantem manum,
Quae me tactum reddet sanum.

5. Inter lupos cubo graves,
Qui me vorant, nisi faves,
Quam crudeles in me fremunt,
Instant, urgent, iam me premunt.

6. Lupos dico spiritales,
Quorum morsus sunt letales,
Quorum dentes venenati
Virus infundunt peccati.

7. Intus nocent, intus laedunt,
Nunquam cessant nec recedunt
Et, si quando depelluntur,
Saeviores revertuntur.

8. Delectantur tantum nece,
Non fugantur, nisi prece,
Et si precibus cessatur,
Vita mox periclitatur.

9. Sunt crudeles et sunt multi
Et, quod peius est, occulti,
Nam si forsan viderentur,
Te iuvante caverentur.

10. Sunt arguti ad fallendum
Et sunt fortes ad nocendum,
Heu, stultis blandiri sciunt
Et sic plus nocivi fiunt.

11. Vultus celant feritatem,
Precum dant utilitatem,
Sic fallunt incautam mentem,
Sic discindunt non caventem.

12. Sed quid miser ista queror,
Cum me maior coquat maeror,
Heu, mali vicinioris
Nunquam cessantis languoris?

13. Nam si sanum me viderent,
Isti lupi non nocerent,
Nempe, quamvis circumstarent,
Non me tamen laniarent.

14. Dum me vident ulceratum,
In me pandunt mox hiatum,
Totus enim ulcerosus,
Miser, foetens et leprosus.

15. Nec me possum ipse ferre,
Robur fugit, cubo terrae,
Mole pressus sum morborum,
Morbos dico vitiorum.

16. Ach, letali coquor febri,
Pectus urunt aestus crebri,
Aestus sunt libidinosi
Morbi mentis vitiosi.

17. Actus mei mihi sordent,
Motus turpes mentem mordent,
Sed quid dicam meam vitam
Semper malis irretitam?

II.

18. Heu, foedatam ac nigratam
Tuis beneficiis,
Te spernentem, lacessentem
Multis te nequitiis.

19. Cum me partus fudit, artus
De materno viscere
Involutos ac pollutos
Traxi primo scelere.

20. Sed me lavit et mundavit
Tui fontis gratia,
Labem tersit, qua me mersit
Serpentis fallacia.

21. Hoc indigno tu in ligno
Crucis confers, Domine,
Dum per sortem nostram mortem
Pateris pro homine.

22. Pietatis huius gratis
A te mihi praebitae,
Ni sum vanus et insanus,
Memor eram debite.

23. Ast oblitus tui litus
Fugi verae patriae,
Intrans fluctus maris ductus
Flatibus insaniae.

III.

24. Annos intrans pueriles
Actus parvos et exiles
Dicavi nequitiae,
Quod honestum, hoc devovi,
Quidquid decens, hoc removi
Deditus stultitiae.

25. Non sum patrem veneratus,
Verba matris dedignatus
Feci, quod non debui,
Sprevi miser coaequales,
Saepe laesi consodales,
Sic sontem me praebui.

26. Qui levis et dissolutus,
Hunc amplexus, hunc secutus,
Huic libens me tradidi,
Qui traxit ad vanitates
Et qui suasit levitates,
Huic me totum dedidi.

27. Apernatus monitorem
Non secutus sum doctorem,
Disciplinas respui,
Demum, quidquid me iuvaret,
Quidquid mores informaret,
Ore cordis exspui.

28. Sic in praeceps, heu, ruebam,
Callem vitae contemnebam
Mortis iter rapiens,
Nunquam mentem adplicabam,
Vestigare non curabam,
Quid amaret sapiens.

29. Sic a puero crescebam
Et sic crescens assuescebam,
Involvi criminibus,
Et quo magis me foedavi,
Ex hoc esse cogitavi
Plus gratus hominibus.

30. Si quid blandum sentiebam,
Illuc sensus infundebam,
Ibi me prostituens,
Summum bonum aestimavi,
Si tenerem, quod amavi,
Bono me destituens.

31. Illud verum summum bonum,
Quod largitur tuum donum,
Deus meus, abnui,
Quisquis illud ingerebat,
Quisquis illud persuadebat,
Hunc audire renui.

32. Desperatus iam divinam
Respuebam medicinam
Nec aegrotus dolui,
Panem vitae fastidivi,
Potum dulcem non sitivi,
Nam salutem nolui.

33. Quod peccavi, defendebam,
Aeger sanum me dicebam
Fovens mea crimina,
Aegrum febres delectabant,
Quae levarent, me gravabant,
Vitae fugi limina.

IV.

34. Sed nunc, vita mea, Deus,
Via mea, ductor meus,
Nunc revertor ad te reus
Petens a te veniam.
Ovem errantem tu quaeris,
Tu reverso misereris,
Ne me clemens averseris,
Mitem te inveniam.

35. Tu reversum ad te natum
Tamquam de morte relatum
Suscepisti magis gratum,
Quam si non recesserit,
Stola candida vestisti,
Diem festum edixisti,
Epulari praecepisti
Nato, qui revixerit.

36. Verax Deus, ne muteris,
Da, quaeso, quod polliceris,
Suspirantem ne moreris,
Lacrimantem respice.
Portam pulso pietatis,
Aures tango veritatis,
Miserere, pie, gratis,
Mendicum ne despice.

37. Sputa, probra, quae tulisti,
Mors, in cruce quam vicisti,
Sacer sanguis, quem fudisti,
Iram tuam leniant.
Virgo mater, caeli coetus,
Qui te regem laudat laetus,
Quem iam nullus terret metus,
Placatum te veniant,

38. Quo convertas ad me vultum,
Quem offendi miser multum,
Errantemque diu stultum
Digneris corrigere;
Vera salute carentem
Tangas blanda manu mentem
Atque pestem obsidentem
Hanc cures abigere.

39. Igne sancto caritatis
Cremes sordes foeditatis
Atque tuae claritatis
Reformes imaginem,
Germen evellas spinosum,
Nemus uras tenebrosum,
Fetum neces vitiosum,
Des vitis propaginem.

40. Quae de vite surgens crescat,
Dilatetur, ne marcescat,
Irrigetur, ne arescat,
Fonte tui spiritus;
Sursum crescens erigatur
Nec ad terram deflectatur,
Pingui succo distendatur
Fecundata caelitus.

41. Talem gestans in me vitem
Tristes mortis fructus vitem,
Domum spiritalem ditem
Vitae dulci germine.
Sim fidelis, castus, suavis,
Mente, verbo, facto gravis,
Nunquam me coniungam pravis,
Vivam sine crimine.

42. In te solo requiescam,
In te flagrem nec tepescam,
Ad te curram nec lassescam,
Credam, sperem, diligam.
Sic exutus carne gravi
Laetus fungar luce suavi
Hocque tenens, quod optavi,
Ultra nihil eligam.

Clm. Monacen 2600. (ol. Alrispacen.) saec. 13.

32. Ad Christum Oratio.

1. Iesu, dulcis et decore,
Flos odorans miro more,
Sponse meus amorose,
Super modum speciose,
Dilecte mi pulcherrime,
Ubi, quaeso, demoraris,
Ubi vis, ut perquiraris,
Ubi cubas et quiescis,
Qui sic sapis et dulcescis,
O dulcis sapor animae.

2. Trahe me, o mi dilecte,
Mentem meam in te flecte,
Tuo currat in odore,
Fatigato prae amore
Da manum dicens: sequere.
Vide mentem, quae te videt,
Cuius cor ad te subridet,
Nullam curam habet sui,
Ut dilecto possit frui,
O care mi, convertere.

3. Esto mihi, simque tibi,
Ubi cubas, sim et ibi,
Meo mecum sis in lecto
Ac sub uno simus tecto,
Sit lectus noster floridus.
Domus nostra liliosa,
Delicata sit ut rosa,
Nam et noster est dilectus
Pulcher totus et perfectus,
Rubicundus et candidus.

4. Appropinqua, veni, care,
Cum amante convivare,
Ne offendam te amicum,
Tolle, quidquid est iniquum,
De cordis mei medio.
Omne bonum de te spero,
Corde fruar te sincero,
De me vero nil praesumo,
Cuius vita par est fumo,
Tu scis in me, quod nescio.

5. Ergo, Iesu, veni, bone,
In cor meum te compone,
Esto mecum in hac vice,
O dilecte mi amice,
Sic venias, ut sentiam.
Iam cor meum dilatetur,
Et affectus inflammetur,
Sentiat te venientem,
Semper mecum permanentem,
Praegustet suavem gratiam.

6. Ut cum fonte lacrimarum
Cor contritum et amarum
Tuo sancto in altari
Delectetur epulari
Affectu tantae hostiae.
O quam dulcis hic affectus,
Quo dulcescit meum pectus,
Blandus amor atque lenis
Natat mēis iam in venis,
O tantae grates gratiae!

Cod. S. Petri Salisburgen. b VII 10. saec. 15. A. — Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Lunaelacen) 3848. saec. 15. B. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20001. C. — Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen IV° 29. D. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19824. saec. 15. E.

1, 5 mi revertere A. — 2, 5 sequere me B. — 2, 10 O fehlt ABCE. — 3, 3 Mecum meo sis BCE. — 3, 4 Ac de sub uno A. — 3, 10 et fehlt ABCE. — 4, 2 commorare E. — 6, 1—6 fehlen ABCE. — 6, 10 O fehlt ABCE.

„Carmen iucundum et perfecti amoris indicium ad dulcem amatorem et sponsum ecclesiae Iesum Christum, Dei et Mariae filium." A. „Mellifluus rhythmus beati Bernardi". D. Der Wiener Handschriftenkatalog schreibt das Lied dem Hieronymus von Mondsee zu, offenbar irrtümlicher Weise.

33. Ad Christum Oratio.

1. Iesu, qui de virgine
pro nobis es natus,
Circumcisus postmodum,
in templum oblatus,
Post annum tricesimum
aqua baptizatus,
Dein post ieiunium
a Sathana temptatus,
Ut omnes dilueres
humanos reatus,
Mihi dona, Domine,
dona sacri flatus.

2. Qui Iohannem utero
gaudere fecisti,
Ad te magos praevia
stella perduxisti,
Qui vinum in nuptiis
ex aqua fecisti,
Captum a daemonio
mutum eruisti,
Diuturnam feminam
statim erexisti,
Ficum reddis aridum,
cui male dixisti,

3. Motui maris imperas
et ventum sedasti,
Pisce dante staterem
didragma solvisti,
Socrum Petri febribus
tentatum curasti,
Super aquam veluti
per terram transisti,
Te coram discipulis
transfiguravisti,
Qui de septem panibus
milia pavisti,
Plures de residuo
sportas implevisti,
Peccatori subveni,
pie Deus, isti.

4. Qui propulso daemone
Surdum das audire,
Rupto linguae vinculo
mutum loqui mire,
Sanas paralyticum
et facis abire,
Legionem imperas
in porcos subire,
Quae sunt tibi placita,
fac me, Deus, scire.

5. Qui decem a macula
leprosos mundasti,
Qui de quinque panibus
multos tu curasti,
Qui Chananeae filiam
clamantis salvasti,
Qui Martham a sanguinis
fluxu liberasti,
Me salva, quem sanguine
proprio purgasti.

6. Qui fatentem recipis
pie publicanum,
Pharisaeum despicis
superbum et vanum,
Qui verbo restituis
mauro siccam manum,
Servum, pro quo centurio
rogat, facis sanum,
Quod est in me subdolum
tolle et profanum.

7. Qui de ficu fatua
vocasti Zachaeum,
Theloneo subtrahis
transiens Matthaeum,
Qui sanas hydropicum,
sabbato curas reum,
Qui distans a reguli
nato sanas eum,
Reparante gratia
perfunde cor meum.

8. Qui Mariae lacrimas
pie respexisti,
Qui clementer crimina
multa dimisisti,
Captam adulterio
moecham absolvisti,
Caecum natum liniens
videre fecisti,
. . . . . .
. . . . . .

Cod. Graecen. 938. saec. 15. Das Weitere fehlt.

34. Ad Christum Oratio.

1. Dulcis Iesu, qui es natus
De Maria virgine,
Verus homo, qui es datus
In cruce pro homine,
Sordes meas et reatus
Terge tuo sanguine.

2. Memento, quod carnis iura
Nostrae quondam sumpseris,
Quod creator creatura
Pro nobis efficeris,
Et quod factor pro factura
Mortem crucis tuleris.

3. Deus unus tu et pater
Cum sitis essentia,
Et te mihi parit mater
Viri quoque nescia,
Deus meus es et frater
In carnis substantia.

4. Si me mei creatoris
Abhorret divinitas,
Fratris mei salvatoris
Non odit humanitas,
Nec me mei redemptoris
Negabit benignitas.

5. Memor esto, quod creando
Me fecisti filium
Et te mihi hoc iuvando
Fratrem facis proprium,
Non me perdas condemnando
Mortis tuae pretium.

6. Quia flere, quae peccavi,
Per me non sufficio,
Indulgebit, quod erravi,
Patris miseratio,
Et quas poenas comparavi,
Solvet fratris passio.

7. Apud patrem plus meretur
Innocens iustitia,
Apud te nam, ut videtur,
Plus potest paenitentia,
Nam quod a te plus ametur,
Probant subsequentia.

8. Nunquam merita iustorum
Sanctitatis opere
Et non amor miserorum
Lugentum in carcere
Te coegit, rex caelorum,
Ad terram descendere.

9. Potest insons te factorem
Altius inspicere,
Sed te reus redemptorem
Plus potest diligere,
Cum sis amor, amatorem
Non potes repellere.

10. Nam te teste tu dixisti,
Non iustos ad veniam
Ut vocares, advenisti,
Sed ad paenitentiam
Peccatores, quos traxisti
Per amoris gratiam.

11. Plus amare comprobatur,
Cui plus dimittitur
Et plus amans plus amatur;
Cur? quia redimitur,
Nam, quod care comparatur,
Carius diligitur.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

35. Ad Christum Oratio.

1. Iesu, virtus deitatis,
Patris sapientia,
Tu es dextra maiestatis,
Par patri potentia,
Auctor universitatis,
Rex et regens omnia.

2. Tu es splendor et figura
Paternae substantiae,
Verbum factum caro pura,
Carens carnis carie,
Et creator creatura
Ex David progenie.

3. Tu es mitis et severus,
Humilis, altissimus,
Agnus mitis, leo ferus,
Clemens [et] iustissimus,
Deus fortis, homo verus,
Potens et piissimus.

4. Tu es iudex pietatis,
Fons tamen clementiae,
Deus fortis, auctor pacis,
Rex tamen iustitiae,
Vindex iustus pravitatis,
Vena tamen veniae.

5. Tu es novae lator legis
Et largitor veteris,
Rex et natus summi regis
Descendens de superis,
Ovem ad ovile gregis
Reportans in umeris.

6. O peccati paenitudo,
Reatus remedium,
Tu erroris rectitudo,
Doloris refugium,
Tu amoris plenitudo,
Pudoris conubium.

7. Tu es pacis gratitudo,
Timoris iustitia,
Tu in via fortitudo,
Praemium in patria,
Sanctorum beatitudo,
Angelorum gloria.

8. Tu es legis plenitudo,
Gratiae tu largitas,
Fidei tu fortitudo,
Tu spei profunditas,
Caritatis latitudo,
Via, vita, veritas.

9. Te adoro, mi creator,
Tuo factus numine,
Te collaudo, mediator,
Cuius vocor nomine,
Te saluto, mi salvator,
Emptus tuo sanguine.

10. Salve, fili Dei, Deus,
Splendor paternae gloriae,
Vita mea, Deus meus,
Amor et deliciae,
Tibi laudes, licet reus,
Cantabo cotidie.

11. Ave, fuga tenebrarum,
Lux solis et siderum,
Iesu, salus animarum,
Medicina scelerum,
In hac valle lacrimarum
Respice me miserum.

12. Vale, via beatorum,
Iesu, pacis visio,
Via vitae, spes lapsorum
Et eorum redemptio,
Ad te miser peccatorum
Mole pressus fugio.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — Nach 9, 4 sind folgende zwei überzählige Zeilen eingeschoben:

Quia Christianus dicor
Et te laudo carmine,

in denen auch der Reim der ungeraden Zeile fehlt. — 10, 1 Deus fehlt. — 12, 3 Tu via.

36. Ad Christum Oratio.

1. O rex, pater gentium,
Caeli triumphator,
Cunctorum gementium
Pius consolator,
In eum credentium
Firmus consolator,
Devote colentium
Es remunerator.

2. Ad terras pro homine
Victor descendisti
Et de matre virgine
Nasci voluisti,
Quam sacro spiramine
Totam replevisti,
De qua, caeli domine,
Carnem assumpsisti.

3. Patris tui genitus
Nos illuminasti
Et cunctorum gemitus
Pius illustrasti,
Veniens divinitus
Hostem sic fugasti,
Ad ovile caelitus
Ovem revocasti.

4. Nam passus pro homine
In cruce fuisti,
Et pro nostro nomine
Sanguinem fudisti,
Cunctipotens Domine,
Sic nos redemisti,
Solutos a crimine
Et a poena tristi.

5. Fac nos, rex piissime,
Cunctos te timere,
Victor potentissime,
Peccata deflere,
Post mortem plenissime,
Christe, te videre,
In caelis laetissime
Tecum congaudere.

Cod. Vindobonen. 4314 anni 1456. — 3, 1 Partus tui. — 4, 8 poena iusti.

37. Ad Christum Oratio.

1. Christe, fili summi patris,
Per amorem tuae matris,
Cuius venter te portavit
Et te dulci lacte pavit,

2. Te per ipsam oro supplex,
Quia tu es salus duplex,
Salus rerum mundanarum
Atque salus animarum.

3. Te nunc precor licet reus,
Miserere mei, Deus,
Miserere, miserator,
Quia vere sum peccator.

4. Tu peccata dele mea
Et cor mundum in me crea,
Da spem firmam, fidem rectam
Caritatemque perfectam.

5. Et concede finem bonum,
Quod est super omne donum,
Ut in corde sic compungar,
Tibi, Christe, quod coniungar.

6. Fac me digne manducare
Corpus tuum salutare,
Ira tua ne me gravet,
Sanguis tuus sic me lavet

7. Extra corpus et in corde
A peccatis et a sorde,
Mors si carnem meam frangat,
Mors secunda non me tangat.

8. Licet caro imputrescat,
Spiritus tecum quiescat,
Ut dum instet hora mortis,
Angelus tis assit fortis,

9. A te datus mihi custos,
Qui me locet inter iustos,
Ut resurgam te visurus,
Tecum semper permansurus.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Cremifanen. 394. — 1, 4 potavit. — 8, 2 requiescat. — 8, 4 Angelus tuus assit. — Nach 9, 4 noch per infinita saecula saeculorum.

38. Ad Christum Oratio.

1. Tibi, Iesu, creatori
Detur benedictio,
Tibi, Iesu, redemptori
Honor et laudatio
. . . . . .
. . . . . .

2. Tibi, Iesu, confiteri
Bonum est et psallere,
Modus cuius est mederi,
Usus est ignoscere,
Ius naturae misereri,
Et voluntas parcere.

3. Non est onus ita grave,
Ut peccati sarcina,
Corpus enim premit prave,
Cordis caecans lumina,
Mentem ducens in vae a vae
Et offendit numina.

4. Heu, quid agam, toti mundo
Vilescens obsordui,
Coetu caeli laetabundo
Non sum dignus perfrui,
Solum Stygis in profundo
Mansionem merui.

5. Omnem mundum maculavi
Per meam libidinem,
Mala tanta perpetravi,
Quod ob multitudinem
. . . . . .
. . . . . .

6. Iesu, motu medicinae
Miserum me visita,
Et a vinclo mortis trinae
Foetentem me suscita,
Ac da vitam sine fine
Pietate solita.

7. Mihi reo miserere,
Sic et cunctis miseris,
In praesenti nos tuere
Et post diem funeris
In futuro fac gaudere
Perpetim cum superis.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — Dies Lied oder Bruchstück eines Liedes ist in der Hs. einem Marienliede angehängt, mit dem es nichts zu thun hat. Am Schlusse folgt noch: Veniam rogo Christi, Ut sua per vulnera Deleat nunc omnia facinora, quae

egi. — Str. 6 und 7 stehen in derselben Hs. aber am anderen Orte, ebenfalls hinter einem Marienlied; dieselben scheinen zu obigem Liede zu gehören.

39. Ad Christum Oratio.

1. Dulcis Iesus, amor meus,
Verus homo, verus Deus,
Regum rex et domine,
In hunc mundum qui venisti
Atque tuo redemisti
Pretioso sanguine

2. Genus perditum humanum,
Mihi, precor, praebe manum,
Ut a tantis eruar
Per me miserum peccatis
In hac vita perpetratis
Et venire merear

3. Ad te, verbum incarnatum
Dei, quem ama[m]us natum
Ex intacta virgine.

Cod. Trecen. (ol. Claravallen.) 1612. saec. 15.

40. Oratio pro peccatis ad Dominum Iesum.

1. Iesu benignissime,
ad te flens suspiro,
Custodi me, Domine,
a serpente diro,
Nam oppressus vitiis,
proh dolor, deliro
Peccatorum funibus
complexus in gyro.

2. Heu, heu, heu me miserum,
nam peccavi nimis,
Misericordissime
pater, qui sublimis
Sedibus me miserum
reducas ab imis,
Ne quando remaneam
in gehennae rimis.

3. Ego miserabilis,
gemens, desperatus,
Peccatorum funibus
dire sauciatus,
Ad te clementissimum
fugio prostratus,
Parce mihi, Domine,
pro me morti datus.

4. Spes hic et refugium
o desperatorum,
Da, redemptor, scelerum
veniam meorum,
Ne ultra memineris,
clemens, delictorum,
Sed ignosce impio,
salus miserorum.

5. Vota pie suscipe
diu paenitentis,
De commissis contra te
intime dolentis,
Intuere gemitus
pauperis lugentis,
Pro suis flagitiis
coram te plangentis.

6. Si a tuis semitis
peccando erravi
Tuamque clementiam
nimis provocavi,
Te tamen, piissime
pater, non negavi,
Sed ut meum dominum
semper adoravi.

Orat. ms. Lehninense anni 1518 Cod. Berolinen. 4° 29. — 2, 5 Sedes me. — 2, 6 Ducas ab. — 5, 2 tui. — Acrostich: Ihesus.

41. Ad Christum Oratio.

1. Adonai, rex omnium,
Salus et spes fidelium,
Qui non habes initium
Et regnas in perpetuum,

2. De tuis non est numerus,
Rex, miserationibus,
Tu igitur piissimus
Meis adesto precibus.

3. Propter tuam clementiam
Atque misericordiam
Da de peccatis veniam
De malisque custodiam.

4. Parce meis criminibus
Nec non iniquitatibus,
Qui parcis paenitentibus,
Esto mihi propitius.

5. Erue me a noxiis
Et pravis desideriis,
Ab hostium insidiis,
Ab inferni suppliciis.

6. Da mihi, benignissime,
Hic locum paenitentiae,
Priusquam ab hoc corpore
Egressus fiat animae.

7. Fac me, quod spernis, spernere,
Quod diligis, diligere,
Me cunctis locis protege,
A cunctis malis eripe.

8. Virtutes in me insere,
Quae sint acceptae coram te,
Quibus possim proficere
Et in bono persistere.

9. Dona donum auxilii,
Sis mihi spes refugii,
Inter fluctus huius saeculi
Ne mergar, mihi subveni.

10. Tuos super me oculos,
Rex, aperi piissimos
Et mitte sanctos angelos
Hodie mihi socios.

11. Libera me ab hostibus
Malignis spiritalibus,
Ab iniquis hominibus
A cunctisque doloribus.

12. Diem largire prosperum,
Praesentis vitae gaudium,
Tu in me insurgentium
Compesce fauces omnium.

13. Audi mea precamina
Dimitteque peccamina,
Fiantque cuncta omnia
Per sanctorum suffragia.

14. Te Iesum super omnia
Fac diligam per saecula,
Ut cum sanctis in gloria
Tua laudem magnalia.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. $^{14}/_{15}$. — 8, 3 perficere. — 9, 1 Dona mihi donum. — 9, 3 eine Silbe zu viel. — 12, 4 Compesce factor.

42. Ad Christum Oratio.

1. Te Deum laudamus,
qui carnem induisti,
Qui lac virginale
homo factus suxisti,

2. Qui sub cura matris
in maiorem crevisti.
Qui parvus et maior
miracula fecisti,

3. Qui mandata legis
in templo docuisti,
Qui vitam perfectam
exemplo ostendisti.

4. Qui verba salutis
mundo proposuisti,
Qui te (vel)ut hominem
temptare permisisti.

5. Qui tandem in cruce
mortem sustinuisti,
Qui matrem in cruce
Iohanni commisisti.

6. Qui nec eius poenis
nec tuis pepercisti,
Tibi supplicamus,
pro quibus tot egisti,
Nos matris amore
serves a nece tristi.

Orat. ms. S. Petri Salisburgen. saec. 15. Cod. Plagen. 274. — 6, 2 neque tuis.

43. Ad Christum et Mariam Oratio.

1. Ave, puer amorose,
Ave, Christe speciose,
Ave, Iesu gratiose.

2. Ave et tu gloriosa
Christi mater generosa,
Sponsa patris amorosa.

3. Ave, pugil virtuose,
Iesu, victor gloriose,
Proles stirpis generosae.

4. Ave, virgo speciosa,
Deo placens et iocosa
Prae cunctis et luminosa.

* * *

5. Ave, Iesu, fac benigne,
Quod vivamus semper digne,
Fac nobiscum gratiose
Bona praestans copiose.

6. Ave, bonitatum stola,
Ave, praeelecta sola,
Ave, mater bonitatis,
Nos associa beatis.

7. Ave, o puer optime,
Ave, deorum maxime,
Ave, Christe, ave, care,
Ave, nostrum salutare.

8. Ave, Maria regia,
Ave, parens egregia,
Ave, virgo, sed fecunda,
Tota pulchra, tu nos munda.

Orat ms. Diessense saec. 15. Clm. Monacen. 5688.

44. Verba Christi ad animam.

1. Quanta cura mihi de te,
Homo, si cognosceres,
Tam miser et inops in te
Nequaquam exsisteres,
Sed quia remotus a me,
Quid, exsul, in fluctu es?
O si tu hoc saperes.

2. In abysso deitatis
Finxi te de nihilo,
Summae quoque trinitatis
Signavi te signaculo,
Tuque liber a reatis
Comparatus angelo,
Tam nobilis es homo.

3. In loco te voluptatis
Gloriosum posui,
Per ministrum falsitatis
Decepto condolui,
Vesteque simplicitatis
Nudatum te vestii,
Sic homo pro te fui.

4. Te iuste quamvis fugavi
De loco laetitiae,
Nequaquam tamen privavi
Spe misericordiae,
Nam suo praedestinavi
Salvare te tempore,
Hinc, homo, dilige me.

5. Satana semper damnato
Nasci pro te volui,
Malo nullo perpetrato
Poenam pro te subii,
Me circumciso et oblato
Legem non praeterii;
Scis, homo, cur id egi?

6. Quid faciendum non feci,
Homo, cum hominibus?
Te docui, te perfeci
Verbis et operibus,
Corporis mei refeci
Mysticis te dapibus;
Quid homo vis amplius?

7. Spretus eram et abiectus
Veluti vas perditum,
Sputis ac plagis affectus,
Mala ferens omnium,
Ut reprobus, non electus
In oculis hominum;
Id, homo, pro te totum.

8. Pro te pedes, pro te manus
Perfossae saevissime,
Spinis caput, ense latus
Vulneratum impie,
Felleque pro te potatus,
Crucifixus undique,
Sic homo dilexi te.

9. Quia pro te pauper natus,
Tu ditaris meritis,
Quia pro te cruciatus,
Tu quitaris debitis,
Et quia glorificatus,
Coronaris praemiis;
Quid, homo, mihi pro his?

10. O caritas inaudita
Stupendaque pietas!
Deitatique unita
Mea sit humanitas.
Hinc tibi sit infinita
Laus, maiestas, claritas,
Sempiterna Trinitas.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 20015 anni 1500.

45. Verba Christi consolatoria.

1. Et ego quid demerui?
Pendens inter latrones
Oravi nec obtinui
Carnis petitiones,
Calicem mortis sorbui,
Patri placere studui
Per carnis passiones.

2. Ergo non murmur exeat,
Si non fit, quod orasti,
Nec orasse paeniteat,
Quamvis non impetrasti,
Si fraudet desiderium,
Ad maius beneficium
Datorem obligasti.

3. Ad me si levas oculum,
Vides argento vendi,
Tradi quoque post osculum
Et dire comprehendi
Et alligari funibus
Et affici verberibus,
Sine lege suspendi.

4. Relinquor ab amantibus
Velut iam desperatus,
Praesentor pontificibus
Velut latro ligatus,
Si quos amavi fortius,
Ab illis, inquam, citius
Sum spretus et negatus.

5. Ibi clamor, derisio,
Severitas minarum
Et capitis velatio
Et ictus maxillarum,
Omnes impune feriunt,
Et quidquid mihi faciunt,
Videtur esse parum.

6. Saturatus opprobiis
Reducor ad Pilatum,
Revocatis iniuriis
Ruunt in accusatum,
Tandem latronem liberant
Et me cruenter verberant
Ad crucem iudicatum.

7. Ibi nil valet veritas
Suum ius allegando,
Sed aemula clamositas
Praevalet insultando,
Nec praeses dat praesidia,
Nec curam gerit curia
De iusto liberando.

8. Tamquam vile mancipium
Dant in Herodes manus,
Mox reducor in medium,
Deludor ut insanus,
Tandem remissus Pontio
Dirae mortis opprobrio
Condemnor ut profanus.

9. Ultra muros proicior
Et ipse crucem fero,
Matre vidente spolior
Vestimentis, quae gero,
Tandem clavis perfodior,
In cruce sed dum morior,
De vita non despero.

10. Ergo, miser, non mireris,
Licet non obtinetur
Tam cito, quod a patre quaeris,
Nec putes, quod negetur,
Sed placide tu patieris,
Cum per adversa promereris,
Et gratia sequetur.

Cod. Palat. Matriten. 2 N 4. saec. 13/14. add. saec. 13/14. A. — Cod. Londinen. Reg. 7 A VI. saec. 14/15. B. — 2, 1 nec murmur B. — 2, 5 Dum tardat desiderium B. — 3, 1 levas oculos B. — 3, 6 confici B. — 3, 7 lege parcendi B. — 5, 1 Illis clamor B. — 5, 5 in pugnis A. — 6, 3 Revocatus A. — 6, 5 hic homicidam liberant B. — 7, 2 Sive ius A. — 7, 5 Nec preces dant A. — 8, 1 Quasi vile B. — 8, 6 mortis supplicio B. — 9, 1 Extra muros B. — Str. 10 fehlt B. — Zum Verständnisse schickt A die Note voraus: Quidam clericus in nimia tristitia detentus et conquerens crucifixo, quod omnia sibi non evenissent ad votum, quae in oratione petebat, sic sibi responsum est."

46. De Passione Christi.

1. Christe, via, quae perducis
Ad supernae lucem lucis,
Purga labe labia,
Ut in cruce laudem crucis
Exaltando de caducis
Volem ad caelestia.

2. Post Mariam, virgam Iesse,
Cuius fructu, cuius messe
Cuncta vivunt saecula,
Designanter et expresse
Virgam crucis dat prodesse
Legis nostrae regula.

3. Illam caeli ros irrorat,
Istam pingit et colorat
Sanguinis effusio,
Honor summus hanc honorat,
Illam flore non deflorat
Floris generatio.

4. Nihil habet hoc secundum,
Christus vivens, passus mundum
Voluntate propria
Altum tenens et profundum,
Ab immundo mundat mundum,
Propter hostes hostia.

5. Vermes amat hamus ille,
Per quem serpens in maxillae
Parte laesus vincitur,
Suae fraudis artes mille,
Suus ignis ad favillae
Finem non perducitur.

6. Botrus Cypri vecte vectus,
Cuius sacrum colit pectus
Immortalis gratia,
Gloriosus et abiectus
Fit protector, non protectus
A mortis angustia.

7. Dum iuvenca concrematur,
Ut sollemnis impendatur
Iudaeis aspersio,
Byssus Christi purpuratur
Et colore, quo purgatur,
Rosa praestat lilio.

8. Ut amarum non sit mare,
Ionam sorbet sed vorare
Clausum nequit bestia,
Christus, templum et altare,
Templum solvens restaurare
Die novit tertia.

9. Hic est vermis matutinus,
Corruptelae non vicinus,
Sol, qui siccat hederam,
Quem sustollens alta pinus
Infert ei nihil minus
His, qui vivunt perperam.

10. Habitavit urbem lunae
Prostituta, sed impune,
Quae sub typo criminum
Figuravit opportune
Sacrum funus suo fune,
Quo pependit coccinum.

11. Ut plus agat in agone
Decus serti vel coronae
Coaptatur crinibus,
Et soluta quaestione
Punctionem punctione
Vepres fugat vepribus.

12. Inserebat illi serto
Auctor certus in incerto
Maiestatis gloriam,
Dum clamaret in aperto
Sed desertam in deserto
Aquam vitae consciam.

13. Dum acetum, dum fel ori
Ministratur, peccatori
Sacrans Deus calicem,
Non humano more mori
Dedignatur, sed cruori
Miscet latus laticem.

14. Commendatur sepulturae,
Sepelitur tus in ture,
Balsamita balsamo,
Puncto noctis secuturae
Usurpato claudit iure
Talem tali thalamo.

15. Iste lapis est iacinthus,
Dum rex caeli iacet intus,
Lapis clausus lapide,
Vinctos solvens ipse vinctus,
Deus vivens vir exstinctus
Zelo gentis invidae.

16. Auctor vitae, princeps pacis
Frangens minas et minacis
Lenta reddens brachia,
Tu divisos unum facis,
Rapiendo contumacis
Spoliatus spolia.

17. Tu qui caeli lato lates,
Tuae dignas fero grates
Non ingratus gratiae,
Fac, ut tendat tuus vates
Per has poenas ad pennates
Permanentis gloriae.

Cod. Londinen. („Liber Cistercii") Add. 15722. saec. $^{12}/_{13}$.

47. „Sequitur devotus rigmus dominicae passionis."

1. Christus Deus homo natus
Et in mundo conversatus
Poenam tulit damnatorum
Absque noxa peccatorum.

2. Tentus namque a Iudaeis
Et oblatus Pharisaeis,
Innocenter accusatur
Et probrose iudicatur.

3. Hoc a gente infideli
Auctor mundi, rector caeli
Ultra suffert non invitus,
Tamquam sui sit oblitus.

4. Iudicatus flagellatur,
Flagellatus condemnatur
Et in manus impiorum
Datur princeps angelorum.

5. Caput eius venerandum
Atque cunctis adorandum
Plexis spinis coronatur
Et per sputa inquinatur.

6. Spinae pungunt, guttae ruunt,
Genae madent, sputa fluunt
Et saliva foedi oris
Vultum replet salvatoris.

7. Vestis ei purpurata
Est in dolo praesentata,
Qua indutus adoratur
Et derisus verberatur.

8. Genu flexo dicunt Ave,
Verbum bonum et suave,
Sed amarum nimis dictum,
Quando manus praebet ictum.

9. Nam post cultum simulatum
Colaphizant adoratum,
Ora velo contingentes
Et velatum ferientes.

10. Quasi latro, quasi reus
Sic tractatur homo Deus,
Tractus, caesus et consputus
Non respondet quasi mutus.

11. Inter reos deputatur
Et sub cruce incurvatur,
In augmentum dirae sortis
Portat signum suae mortis.

12. Ligno crucis applicatur
Et in altum exaltatur,
Manus, pedes distenduntur
Atque clavis transfiguntur.

13. Ibi pendet ut leprosus
Ille forma speciosus,
Corpus eius ligno strictum
Pendet tamquam maledictum.

14. Murram sumit et acetum,
Quibus erat vas repletum,
Quod dabatur sitienti
Et iam paene morienti.

15. Post haec caput inclinavit
Et sic clamans exspiravit,
Hasta latus perforatur,
Et sic Iesus consummatur.

Orat. ms. Brigittin. Neerlanden. saec. 15. (Privatbesitz.)

48. De Passione Domini.

1. Ave, Iesu, qui fuisti
Nocte natus, descendisti
Ad inferni latebras,
Da renatis adimplere
Nova iussa, da cavere
Vetustatis tenebras.

2. Ave, florens vultus Christi,
Sputa pro me suscepisti,
Et decora facies,
Non, te precor, avertaris,
Sed et me intuearis
Centies, millesies.

3. Ave, Iesu, qui damnatus
Mane es et suscitatus
De sepulcri lectulo,
Morte tua triumphali
Me suscita de letali
Peccatorum tumulo.

4. Ave, qui apparuisti,
Iesu, tuis et fuisti
Vinctus hora prima,
Solve reos, ne reatus
Contra eos iudicatus
Condemnet in infima.

5. Ave, Iesu, qui misisti
Paraclitum et fuisti
Caesus hora tertia,
Fac me digne flagellare
Carnem, sancti exspectare
Spiritus solacia.

6. Ave, Iesu, qui proiectus
Extra portam et erectus
In crucis es patibulo,
Qui misertus es latronis,
Tuae miserationis
Nos astringe vinculis.

7. Ave, Iesu, quo in cruce
Viso mundus sueta luce
Hora sexta caruit,
Mihi semper sit in mente
Lux, quae Iesu resurgente
Credulis apparuit.

8. Ave, Iesu, qui potatus
Felle tradis inclinatus
Hora nona spiritum,
Ne peccati pastus melle
Poter male mortis felle,
Da salutis exitum.

9. Ave, ave, Iesu bone,
Tui cordis scissione
Confertur utilitas,
Sanguis tuus me emundet,
Cor impinguet, cor fecundet,
Tollatur infirmitas.

10. Ave, qui decubuisti
Lecto crucis et fuisti
Totus in doloribus,
Opem fer in lecto mortis,
Mihi sis adiutor fortis,
Defensor ab hostibus.

11. Ave, Iesu, qui undena
Hora pastus es in cena
Et de cruce depositus,
Mystica refectione
Pasce me atque depone
Iugum culpae funditus.

12. Ave, Iesu, qui locatus
In sepulcro es vallatus
Militum custodia,
Et hac hora duodena
Me custodi et refrena
Mihi adversantia.

13. Iesu, tuam venerantem
Crucem, mortem cogitantem
Fove, serva, dirige
Lassum, stantem, gradientem
Post te, consolare flentem,
Incurvatum erige.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. 14/15. — 4, 3 fehlt eine Silbe. — 11, 3 Lies et cruce depositus? — 11, 5 me et depone.

49. De Passione Domini.

1. Iesus patri oboediens,
Suis tradendus aemulis,
De Ierusalem exiens
Processit cum discipulis.

2. Cumque venisset ad hortum
Proditori suo notum,
Avulsus a discipulis
Sudavit guttas sanguinis.

3. Et factus in agonia,
Cum tristis esset anima,
A se transire calicem
Oravit ad Deum patrem.

4. O Iesu, pie Domine,
Qui pro salvando homine
Passus es crudelissime
Noctis quieto tempore.

5. Cum enim orabas maestus,
Iudas turbis, en, infestus,
Ut te traderet ad mortem,
Secum assumpsit corhortem.

6. Cumque ad hortum venisset
Et turbam ad te duxisset,
Tunc agno miti basia
Lupus dedit venenosa.

7. Et Iudaei accesserunt,
Ut latronem te ceperunt,
Manus tuas ligaverunt
Et ad principes duxerunt.

8. Tunc discipuli fugerunt
Et omnes te reliquerunt,
Iudaei te percusserunt
Et Annae praesentaverunt.

9. Annas dum scire voluit
Doctrinam, quam non docuit,
De discipulis discutit
Et servus Iesum percutit.

10. Palma caesa dulcis illa
Iesu Christi tu maxilla,
Fac cuncta adversantia
Pati cum patientia.

11. Gloria tibi, Domine,
Qui sacro tuo sanguine
Miro amoris ordine
Nos lavasti a crimine.

Orat ms. Thosanum saec. 15. Cod. Bruxellen. 4948.

50. Dialogus de passione Domini.

Christus ad hominem dicens:

1. O vos omnes, qui transitis
Et plangentem me auditis,
Mecum plangere velitis,
Qui pro vobis crucior,
Qui transitis, o vos gentes,
Sitis mihi condolentes,
Graves poenas intuentes,
Quas pro vobis patior.

2. Qui transitis, attendatis,
Me pendentem videatis,
Me plangentem lugeatis
Innocentem Dominum.
Attendatis in me Christo,
Si est dolor maior isto,
In quo pendens nunc exsisto
Plenus cruciaminum.

3. Si est nunquam maior dolor,
Quo contristor et desolor,
Duram mortem, quam praestolor,
Rogo, hanc advertite.
Si est nunquam dolor talis,
Tam crudelis, tam poenalis,
Cunctis sum repletus malis,
Hoc, precor, attendite.

4. Attendatis, cum sim sanctus,
Faciatis in me planctus,
Si est dolor nunquam tantus,
Quantum ego tolero,
Qui cum essem gloriosus,
Ego tamquam vir leprosus,
Pauper, inops, dolorosus
Morte mortem supero.

5. Ego cum sim rex immensus,
Comprehensus et offensus
Et in crucem sum extensus,
Pro peccatis populi,
Exprobratus, vulneratus,
Quinque plagis perforatus,
Crucifixus, morti datus
Iustus iudex saeculi.

6. Qui sedebam super thronum,
Comes factus sum latronum,
Reputate grande donum,
Quod pro vobis morior;
Pro iniquis fero mortem,
Quam necesse est ut portem,
Tam crudelem et tam fortem,
Qua non est acerbior.

7. Solus ego non peccavi,
Stans in cruce laboravi,
Pro indignis, quos amavi,
Perfero supplicia;
Fero mortem pro gravatis,
Qui nascuntur in peccatis,
Sed libenter fero gratis,
Ne priventur gloria.

8. Vos, captivi transitivi,
Sitis mihi compassivi,
Lacrimarum tamquam rivi
Sint in vestris oculis,
Me videntes huc venite,
Passi mecum haec sentite,
Pertransire me nolite
Passum membris singulis.

9. Insolentes effrenati,
Cordis nimis indurati,
Me pro vobis facit pati
Maxima compassio;
Porto poenas pro peccatis,
Quas portare debebatis,
Nam pro vobis sic ingratis
Crucifixus sitio.

10. Mihi qui compatiuntur,
Et in cunctis obsequuntur,
Exaltari laetabuntur
Mecum in caelestibus;
Qui non credunt nec attendunt,
Sed ridentes vilipendunt,
Tales ad infernum tendunt,
Stabunt cum daemonibus.

Homo.

11. O fons omnis boni, Deus,
Iesu, dulcis amor meus,
Quare pendes velut reus
In hac crucis arbore?
Esne summi creatoris
Proles, consors et amoris,
Cum his regnans caeli choris
Nondum facto tempore?

Christus.

12. Amor tuus me impellit,
Immo mori me compellit
Propter gustum, qui fefellit
Ligni te scientiae;
Nam cum essem aeternalis,
Nec non patri coaequalis,
Pro te factus sum mortalis
Recordans clementiae.

Homo.

13. O abyssus pietatis,
Quis pro tantae caritatis
Dono te laudabit satis
In isto exsilio?
O amator mi, sincere
Fac me digne tecum flere,
Ut regnantem te videre
Caeli possim solio.

14. Grates tibi salvatori,
Qui dignaris pro me mori,
Assis tuo laudatori
Illustrans per gratiam;
Iesu, patris o sophia,
Qui es natus de Maria,
Vitae dux sis, qui es via,
Quae ducit ad patriam.

15. Te exoro, Iesu bone,
Fatigatum in agone,
Mores meos sic compone,
Ut securus moriar;
O vitalis medicina,
Aurem mihi nunc inclina
Et me serves a ruina,
Ne mente concutiar.

16. O amator amplectende,
Te in cruce hic ostende
Et ab hoste me defende,
Ab latrante nequiter;
O benigne, tunc iuvamen
Mihi praesta et solamen,
Quo ad caelum vehar, Amen,
Ad laetandum iugiter.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Palat. Vindobonen. 4106 A. — Orat ms. Tegurinum anni 1466. Clm. Monacen. 19991. B. — 15, 6 mihi tunc B.

51. De Passione Domini.

1. Salve, Iesu, natus de virgine,
Candor lucis et sol iustitiae,
Imago patris et fons gratiae,
Princeps pacis atque rex gloriae,
Verus Deus.

2. O quam fervens tua dilectio,
Quam dulcis, quam pia dignatio,
Quod pro me tam vili vermiculo,
Te tanto exponis supplicio,
Amor meus.

3. Ecce, quam stupendum spectaculum,
Verus Deus, virtutum speculum,
Flagellatur per suum populum,
Pro quo descendit in hoc saeculum,
Ne periret.

4. Obstupescat mens atque ratio
Nec non simul superna contio,
Quod talis, tanta dominatio
Facta est perfidorum abiectio,
Ut salvaret.

5. O quam plenus amaritudine,
Exaratus virgis dirissime,
Rubricatus undique sanguine,
Per quem laver, quaeso, a crimine,
Ego reus.

6. Speciose prae filiis hominum,
Converte ad me vultum roseum,
Debrietur cor fonte vulnerum,
Ut plus amem te meum Dominum,
Quod es Deus.

7. Quid fecisti, regalis Domine,
Qui semper vixisti purissime,
Sine labe et sine crimine,
Et tamen caederis ab homine
Tamquam reus?

8. O quis fuit tam temerarius,
Tam perversus tamque nefarius,
Quod te, Iesus, quo nihil carius,
Sic flagellis caedit tam acrius,
Cum sis Deus?

9. Iesu, iudex irrefragabilis,
Deus fortis, Deus terribilis,
Cum veneris in caeli nubeculis,
Contremiscet tunc homo, fragilis
Creatura.

10. Salvator meus, plenus gratia,
Patefac mihi tua vulnera,
Ut nunc atque in mortis horula
Delitescat mens mea misera
Sine cura.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19636. saec. 15. — 10, 3 nunc et in.

52. De Passione Domini.

1. O pugna mirabilis,
o tropaeum dignum,
Agnus lupum perimit,
innocens malignum,
Qui per lignum vicerat
victus est per lignum,
Quod est terror hostium,
quod est vitae signum.

2. Infirmatur medicus,
ut sanet aegrotum,
Nec per quinque porticus
nec per aquae motum,
Sed in vase figuli
et in parte totum
Proximo parieti
copulat remotum.

3. Incipit in saeculo
factor saeculorum,
Vitae panis esurit,
sitit fons hortorum,
Noctis somno clauditur
oculus caecorum,
Plebis fit abiectio
Deus angelorum.

4. Sol in nube tegitur,
dies obscuratur,
Trepidat securitas,
virtus infirmatur,
Disciplina caeditur,
salus vulneratur,
Vita crucifigitur,
ordo conturbatur.

5. De fraternis manibus
Abel est occisus,
Quod oblatus puer est,
cuius nomen risus,
Demissus in puteum
fratribus invisus,
Quod ascendens in Bethel
calvus est irrisus;

6. Quod in agno mystico
mors est Pharaonis,
Quod saliva defluit
patri Salomonis,
Quod intravit Daniel
lacum Babylonis,
Totum est mysterium
Christi passionis.

Collect. ms. Fr. S. Crucis in Colonia saec. 15. Cod. Vindobonen. 4350. — 2, 3 porticum. — 6, 4 pater. — 6, 6 locum.

53. Oratio bona et devota de passione Domini.

Rex, cui personae tres sunt, pari(li) devotione
Te precor, impone sensum mihi cum ratione,
Ut vigili cura tibi scribam menteque pura,
Quae contra iura tolerasti noxia dura.

Me scio non dignum tibi pangere thema benignum,
Quomodo per lignum superasti quodque malignum
Tempus, devotum sed agat mihi cor fore notum,
Inde, quod est votum, mihi dare nescio totum.
Solus regnavit Deus, omnia quando creavit,
Post sex pausavit ferias, quibus illa patravit,
Adae primatum tribuit super omne creatum.
Perdidit immo statum pomum gustando negatum.
Hoc pomum flebant, ab Eva quotquot veniebant,
Nam descendebant Orco, nece quando ruebant.
Quaeque creatura, veniens Adae genitura,
Pomi censura fuit inferno peritura.
Tunc incarnatum Deus egit virgine natum,
Adae peccatum foret ut per eum vacuatum.
Missum de caelis concepit virgo fidelis
Sub carnis velis, parens dicto Gabrielis.
Est Deus ergo pater, virgo sine crimine mater,
Est noster frater, per quem teritur Satan ater.
Corpore crescebat, summa virtute vigebat,
Templis pergebat, gentes exempla docebat,
Mendicos pavit, miracula multiplicavit,
Caecos sanavit, claudis gressum reparavit.
Fit famulus fictus Iudas Schariot maledictus,
Venditus, afflictus quo rex fuit hic benedictus.
Heu, quam vile forum de domino fit dominorum,
Quem ter denorum vendebat denariorum.
Mane fuit pensus Pilato praeside census,
Membratim tensus, fixus clavis, cruce pensus,
Cum zona finivit, ad tartara spiritus ivit,
Luciferum trivit, vinctos solvendo redivit.
Morte die terna surrexit dote superna,
Regna per aeterna residens in sede paterna.
Calvariae monte rex tot mala tolerans sponte,
Erue de fonte cunctos famulos Acheronte,
Ut benedicentes tibi simus ubique placentes,
Tecum gaudentes et caelica regna tenentes.
Det veniae munus Albertoque trinus et unus.

Orat. ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Maihingen. I 2. 8° 19. — 14 ortho. — 25 Mendicus. — 26. Caecus. — 34 Luciferum cernit. — 41 Albertique.

54. De Passione Christi.

1. Tarda gressum, o peccator,
Vide poenam, quam salvator
Gravem pro te patitur,
Caeli terraeque creator
Et immensus conservator
In cruce suspenditur.

2. Leva vultum et intende
Et non eius parvipende
Tam dira supplicia,
Euntem sed repende
Et te compati ostende
Cordis cum maestitia.

3. O mens plus quam lapis dura,
Quare non est tibi cura
De tanta clementia?
Qui de sinu patris venit
Et te miserum redemit
Mortis violentia.

4. Lacrimas quis contineret,
Sic tractatum dum videret
Huius corpus inclitum?
Cor lapideum haberet,
Die nocte si non fleret
Esum pomi vetitum.

5. Nusquam dolor repetitur
Tam immensus nec sentitur,
Ut iste sustinuit,
Ieremias nam in threnis
Sic de redemptoris poenis
Prophetizans cecinit:

6. O vos omnes, qui transitis
Per viam, quicunque sitis,
Precor vos, intendite,
Si est dolor sicut meus,
Homo sum et verus Deus
Pariter, attendite.

7. O quam magnum caritatis,
Amoris et pietatis
Hoc fuit indicium,
Quod de sede maiestatis
Pater nobis captivatis
Misit suum filium,

8. Ut a morte nos aeterna
Descendendo ad inferna
Libere redimeret
Gaudiumque, quod parentes
Perdiderunt delinquentes,
Nobis restitueret.

9. O peccator, ne desperes,
Quia eius es coheres,
Si tu paenitueris,
Te recipere paratum
Videbis, si cernis statum
Sui sacri corporis.

10. Latus retinet apertum,
Quod te reddat inde certum,
Quod te corde diligit;
Brachia tenet extensa,
Ecce, caritas immensa
Te amplecti satagit.

11. Caput habet inclinatum,
Se monstrat esse paratum
Dare pacis osculum,
Manus habet aptas ad dandum
Et ad tecum convivandum
Praebens tibi ferculum.

12. Totum corpus incurvatur
Ut se tibi largiatur,
Si vis illum tollere.
Bone Iesu, quis iam plura,
Per quem modum, per quae iura
A te potest petere?
Sunanitis fit secura,
Fit purgata et fit pura
Te posse recipere.

13. Nunc rogamus Deum patrem,
Qui et nobis talem fratrem
Ab aeterno genuit,
Qui pro nobis redimendis
Et ad vitam perducendis
Tot poenas sustinuit,

14. Nos ne exhereditare
Velit, sed ad patrem dare
In caeli palatia,
Ut cum Christo coheredes
Possimus habere sedes
In aeterna gloria.

Orat. ms. Ellwangense saec. 15. Cod. Stuttgartien. 1 b 91. — 2, 4 fehlt eine Silbe; euntem jedenfalls verschrieben. — 3, 1 Omnes plus quam. — 7, 5 captivitatis. — 8, 2 Descendens. — 9, 5 Vides. — 10, 2 Quod esse reddat. — 11, 2 monstravit. — 11, 4 hat eine Silbe zu viel. — 11, 5 ad ergänzt. — 12, 2 Nec se tibi. — 14, 1 Et nos ne.

55. De Passione Domini.

1. Plange, fidelis anima,
Amica crucis intima,
Cerne Iesu gravissima
Tormenta crudelissima.

2. Geme, dole, paupercula
Crucifixi discipula,
Plange nimis et eiula
Christi tormenta singula.

3. Cerne Iesu convicia,
Et valida supplicia,
Inter ipsius brachia
Quaere tua solacia.

4. Attende caput inclitum,
Caesum et sputis illitum,
Pro te flagellis subditum,
Morti crucis expositum.

5. Iesum plagatum videas
Et cum dolente doleas,
Ibi cor tuum habeas,
Ut in aeternum gaudeas.

6. Ad crucifixum propera,
Cerne clavos et vulnera,
Nervos tensos et viscera,
Venas, ossa conumera.

7. Plange membra pendentia,
In cruce tam dolentia,
Pro te poenas ferentia
In tanta patientia.

8. Attende Dei filium,
In cruce tam propitium,
Fudit cruorem proprium
Nec timuit opprobrium.

9. Attende rivos sanguinis,
Quem fudit proles virginis,
Iesus, fons veri luminis,
Dulcis amator hominis.

10. Plange pedes amabiles,
Fossos, in cruce stabiles,
Et manus venerabiles
Iesu desiderabiles.

11. Pedum fixuras aspice
Et manuum non modice,
Te crucifixo adice
Bibens eodem calice.

12. Plange latus dominicum
Crucifixi mirificum,
Pro te passum non modicum
Fudit rorem salvificum.

13. Si crucifixum sequeris,
Cur sibi non compateris?
Surge cito, ne steteris,
Curras ad plagam lateris.

14. Ibi latens abscondere,
Si vis mortem evadere,
Ut possis hostem vincere
Et in aeternum vivere.

15. In tam venerabilibus
Crucifixi vulneribus
Stude tibi pro viribus,
Si vis frui caelestibus.

16. Attende Christum nobilem,
Crucifixum mirabilem,
Stantem in cruce flebilem,
Quasi leproso similem.

17. Cerne vultum et oculos
Et lacrimarum rivulos,
Si vis ferre manipulos
Et thesaurorum cumulos.

18. Vide linguam totaliter
Amarizatam graviter,
Quam teneas memoriter
Et secum dole pariter.

19. Tu crucifixo iungere
Et intime compatere,
Quasi pendenti loquere
Et verbis istis utere:

20. Dulcis Iesu, cur moreris
Pro reprobis et miseris?
Quod tu in cruce pateris,
Totum fuit pro ceteris.

21. Cur pendes in patibulo
Tanti amoris stimulo,
Mortis percussus iaculo
Pro redimendo populo?

22. Cur es in cruce sitiens
Et tam despecte moriens,
Iesu, fons indeficiens,
Qui es perfectus oriens?

23. Iesu, vita dulcissima,
Lux animae clarissima,
Cur in cruce vilissima
Peris morte turpissima?

24. Quod pateris, nos fecimus,
Quod bibis, nos infudimus,
Tu rex innocentissimus,
Nos sumus, qui peccavimus.

25. O tu, qui audis talia
Facta tam triumphalia,
Pone crucis magnalia
Ad cordis penetralia.

26. In cruce sit cor sapidum,
Cruore quasi madidum,
In crucifixo validum,
Crucis amore languidum.

27. Intende spiritalibus
Beatae crucis laudibus,
Si vis a mundi nexibus
Esse liber et pestibus.

28. Sanctae crucis memoria,
Qua fugiunt daemonia,
Sit tibi pro victoria,
Qua mala cessant omnia.

29. Ad hoc crucis patibulum
Converte mentis oculum,
Sanctae crucis signaculum
Sit tibi velut speculum.

30. Dulcis Iesu, quem sitio,
Praesta mihi, quod cupio,
Ut sanctae crucis nimio
Me pascas desiderio.

31. Fac mihi delectabile
Crucis signum mirabile,
Tam dulce, tam amabile,
Quod sit inenarrabile.

32. Fac, ut in cruce gaudeam,
Crucis amore langueam
Nec satiari valeam,
Donec in carne maneam.

33. Fac, ut nunquam praeteream
Crucem, clavos et lanceam,
Sputum, coronam spineam,
Vestem quoque purpuream.

34. In his mihi satietas
Et dulcor et ebrietas,
Mei cordis satietas
Sit crucifixi pietas.

35. Precorque unigenitum
Caeli regemque inclitum,
Meum post vitae exitum
Ut suscipiat spiritum.

Cod. Lambacen. 476. saec. 15. A. — Cod. S. Floriani XI. 172. saec. 15. B. — Cod. Vatican. 7824. saec. 15. C. — 1, 1 felix anima A. — 3, 1 commercia B. — 3, 3 eius brachia B. — 4, 4 Et morti C. — 6, 4 et ossa A, conumera fehlt A. — 9, 4 amor hominis B. — Str. 10 und 11 stehen hinter Str. 14. C. — 11, 2 non fehlt A; — Str. 12 steht hinter Str. 14. C. — 12, 2 Crucifixum A. — 12, 4 Fundens C. — 13, 4 plagas C, vulneris AB. — 14, 1 abscedere B. — 14, 3 hostes C. — Nach Str. 14 folgt in C:

Lambe cruoris rivulos,
Lini vultum et oculos,
Si vis ferre manipulos
Et thesaurorum cumulos.

Dann folgen ebenda Str. 10 bis 12. — 15, 1 tam fehlt A. — 15, 3 Stude ubi A. — 15, 3 und 4 umgestellt C. — Str. 16—19 incl. fehlen C. — 17, 3 Inter sanctorum cumulos A. — 20, 1 O dulcis A. — Str. 21 fehlt C. — 22, 1 es fehlt A. — 23, 2 Animae lux C. — 23, 4 Pendens morte A. — 24, 2 bibis et infudimus C. — 24, 3 Et tu innocentissimus A. — Auf Str. 24 folgt unmittelbar als Schlufsstrophe 30; die anderen Str. fehlen B. — 25, 2 tam fehlt A. — 25, 3 crucis mortalia A. — 27, 2 Sancta crucis A. — 28, 2 Quam C. — 31, 4 sit memorabile C.— 33, 1 peream A. —33, 2 Cruce A. — 33, 3

Sputis A. — 34, 2 Et dolor A, C — 34, 3 Mihi cordis C; satietas fehlt A. — 35, 3 Ut post huius vitae exitum A. — 35, 4 Meum suscipiat spiritum A.

Roth hat den Text dieses Reimgebetes aus einer Darmstädter Hs. des 15. Jahrh. mitgeteilt (Lat. Hymnen des M. A. Seite 21).

56. De Passione Domini.

1. Iesu dulcis, magne Deus,
Risus cordis, amor meus,
Inexhausti fons dulcoris,
Verbum sonans, sed non foris,
Quo subsistit saeculum.
Tu abyssus veritatis,
Vivae flamma caritatis,
Idem patri in natura,
Splendor eius et figura,
Deitatis speculum.

2. Virtus et imago Dei,
Qua caligant sensus mei,
Sole maior, lux immensa,
Umbris lux incomprehensa,
Lux inaccessibilis.
Virtus ab aeterno viva,
Fortis, movens, unitiva,
Cuncta movens, sed non mota,
Extra, intus, praesens tota,
Vis impermutabilis.

3. Tu lux plena ratione,
Cuius comparatione
Lumen omne tenebrescit,
Tua lux occasum nescit,
Tu iuge solstitium.
Tu mirandus fulgor nimis,
Sursum corda his ab imis
Ad aeternum lumen ducens,
Matutina stella, lucens
In salutem gentium.

4. Dei patris verus heres,
Nos captivos cum videres,
De exelso caeli throno
Miseratus tuo dono
Nostram [es] miseriam;
Descendisti miserando,
Locum tamen [non] mutando,
Loco nullo circumscriptus,
Sic te ludit hic Aegyptus
Per carnis substantiam.

5. Verbum carne contexisti,
Sacco solem involvisti,
Deus verus factus homo,
Quos damnavit Adam pomo,
Cum deiectos cerneres,
Mox ut gigas bello fortis
Ad currendam viam mortis,
Iesu dulcis, exsultasti,
Maiestatem inclinasti,
Ut damnatos solveres.

6. Effecturus, Deus dive[s],
Angelorum nos concives
Sortem tuam in praeclaris,
Cum non essent sortis paris,
Dedisti hominibus.
Versabaris in hoc mundo
Corde gaudens laetabundo,
Quod iam dies propinquaret,
Qui te morte condemnaret
Pro salvandis fratribus.

7. Iesu talis, Iesu tante,
Mortem crucis post et ante
Talis quidem adamari,
Tantus vero formidari
Merito debueras.
Sed nimirum ista sorte
Pro tollenda mundi morte,
Ne periret homo reus,
Ab aeterno, bone Deus,
Mori disposueras.

8. Nox festina cum instaret,
Pascha legis quae mandaret,
Lex, quae iram operatur,
Esu agni consummatur
Subintrante gratia.
Testamentum cedit vetus,
Cum piorum ille coetus
Liberatur regis cura,
Nova factus creatura
Per Christi mysteria.

9. Ibi fiunt fide sanis
Sanguis caro, vinum panis,
Quae in lege servabatur,
Hac in cena exsufflatur
Litteralis palea.
Aufertur velamen vultus,
Moysinae legis cultus,
Fugit umbra, nox legalis,
Sensus lucet spiritalis,
Grano gaudet area.

10. Lupum cernis inter oves,
Tolerando tamen foves,
Sed fovebas tam indignum,
Emollires ut malignum
Tuo beneficio.
Pedes tuis cum lavisti,
Canem illum non sprevisti,
Maledicto incurvaris,
Pedes eius amplexaris
Servuli obsequio.

11. Istis rite consummatis,
Ardens igne caritatis,
Quos amabas, consolaris,
Pro turbandis anxiaris,
Cum instaret passio.
Noctis sinu clauso die
Locum petis agoniae,
Tecum mones vigilandum,
Segregaris ad orandum,
Sed pavoris studio.

12. Res miranda, carnis mortem,
Quae non terret virum fortem,
Bibiturus, quam sitisti,
Ad quam volens demum isti,
Quid pavescis, Domine?
Sed pavorem assumpsisti,
Ne desperent corde tristi,
Qui per carnem infirmantur,
Dum passuri perturbantur
Hic pro tuo nomine.

13. O pavorem venerandum,
Creaturis adorandum,
Qui in terra decurrentes,
Vim amoris ostendentes
Guttas fudit sanguinis.
Iesu dulcis, pavor iste,
Hoc sudoris genus triste,
Quae pro nobis gestiebant,
Tuae nobis ostendebant
Vim amaritudinis.

14. Postquam nequam ille canis
Turbis currens cum vesanis
Te salutans voce leni
Plenum tibi dat veneni
Fictionis osculum,
Ita quidem, o benigne,
Refugisses canem digne,
Sed immensa vis dulcoris
Blande tulit proditoris
Tantum hoc piaculum.

15. Captivaris sine mora,
Nam haec erat illa hora
Et potestas tenebrarum,
Quam figurant prophetarum
Olim vaticinia.
Captivato te pastore
Tui gregis prae timore
Oves passim disperguntur,
Nulla prorsus fulciuntur
Fidei constantia.

16. Res indigna Dei agno,
Cum tumulto urbis magno
Annae primum praesentaris,
Unde tractus applicaris
Caiphae conspectibus.
Huc te Petrus audax ore,
Totus pallens prae pavore,
Qui iam nosci verebatur,
A remotis sequebatur
Nutabundis passibus.

17. Mox infrendit iudex malus,
Blasphematur mundi salus
Et dulcedo irritatur,
Rectitudo infamatur
Subornatis testibus.
Hic maiestas est consputa,
Stat sophia quasi muta,
Maculatur pulchritudo,
Fatigatur fortitudo
Alaparum ictibus.

18. Indulgendum quidem nefas,
Ibi pugnax ille Cephas
Vice terna cum negasset,
Deum suum abiurasset
Prae pavore riguit.
Tu adflictus quamquam stares,
Negatorem cum amares,
Vultu blando suspexisti,
Voti reum monuisti,
Mox in fletus proruit.

19. Hic iam Iesu, Deus fortis,
Condemnaris reus mortis,
Cum te Deum praedicares,
Te venturum praemonstrares
Iudicem in nubibus.
Pari mox furore iuncti
Te blasphemant [scribae] cuncti,
Scindunt vestes suo more,
Omnes frendent uno ore:
Quid egemus testibus?

20. Praeceptores sacerdotum,
Toto nisu vulgus motum
Te adversum conclamantes,
Suam simul malignantes
Instruunt vesaniam.
Sic, sic sese adunantes,
Adunati conclamantes,
Te Pilato tradunt tandem
Ibi iustum per eandem
Damnantes sententiam.

21. Audit praeses pondus rerum,
Perscrutari ardet verum,
An tu rex sis, sciscitatur,
Te tacentem admiratur,
Totis stupet sensibus.
Sed, cum vultus mansuetos,
Gestus mites et quietos
In te cernit hac in hora,
Novis tibi sine mora
Instat quaestionibus.

22. Demum inquis: rex sum ego,
Esse regem me non nego,
Verum non est nutabundo
Regnum meum de hoc mundo,
De supernis prodii.
Contremiscit his auditis
In responso agni mitis,
Pietate consternatur,
Innocentem protestatur
Calculo iudicii.

23. Clamant contra mortis reum,
Iurant esse Galilaeum,
Gentem totam subvertentem,
Censum dari prohibentem
Romanorum usibus.
Ut cognovit clare satis
Te non suae potestatis,
Mox iuberis deportari,
Iudicandus praesentari
Herodis conspectibus.

24. Cum Herode coram stares
Nec responsum fanti dares,
Alta mundi contemnebas
Et exemplo nos docebas
Pompas eius spernere.
Nam cum esses veri vigor,
Aequitatis summae rigor,
Nesciebas adulari
Vel in signis gloriari
Coram putri pulvere.

25. Iesu, verbum Dei, sensus
Ibi stabas indefensus,
Ibi nemo tibi foris
Disciplinae vel honoris
Debitum exhibuit.
A superbo subsannaris,
Veste alba honestaris,
Sed honestas inhonesta,
Foeda, vilis et molesta
Risum de te praebuit.

26. Ad Pilatum redis ita,
Morti dandus, qui es vita,
Conclamantque canes feri,
Nec tumultus cohiberi
Poterat sermonibus.
Tanto vero in tumultu
Inconcusso stabas vultu,
Vultu blandus, gestu mitis
Cum clamarent repetitis
„Crucifige“ vocibus.

27. Tunc iuberis flagellari,
Ut sic saltem satiari
Poena vellent innocentis,
Quos caecatae furor mentis
Adeo flammaverat.
Ita tuum, flos amoene,
Flagellatur corpus lene,
Candens quasi lacte lotum,
Prae cruore rubet totum,
Pulchritudo fugerat.

28. Iesu dulcis, nondum finis:
Coronaris, ecce, spinis,
Caput mite vulneratur,
Frons verenda perforatur
Civibus aethereis.
O funestum regis schema,
O plangendum diadema,
Quod derisum repraesentat,
Dulce caput quod cruentat
Spinarum aculeis.

29. Iesu, dulcis Galilaee,
Sola salus spei meae,
Adae scelus quam amarum,
Quod tu luis, lumen clarum,
Tanto fuso sanguine.
Florem oris et genarum
Plagae tundunt alaparum,
Subsannaris purpuratus,
Sputo, probris saturatus
Nec minaris, Domine.

30. Iesu, tuae mortis rei
Te viderent cum Iudaei,
Sugillose purpuratum,
Spinis caput coronatum,
Patentem ludibrio,
Feri canes ac nefandi
Clamant omnes voce grandi,
Nihil habe, praeses, morae
In damnando seductore
Caesaris contrario.

31. Victus praeses hoc sermone
Caeca prorsus ratione
Iudaeorum paret votis
Manibusque aqua lotis
Finem dat sententiae.
Iam tunc, Iesu, quos pavemus,
Ut doctores tolleremus,
Te fecisti nobis ducem
Baiulando tibi crucem
Ad locum Calvariae.

32. Patet ordo rei gestae,
Fit concursus plebis maestae,
Mulieres lamentantur,
Agni membra [con]clavantur,
Cruci dum affigeris.
Hoc e mundo nos transire,
Phase novum esurire
Ut doceres, Iesu bone,
Rebus loquens non sermone,
Extra portam pateris.

33. Crucifixus inter reos
Dissolvebas nexus meos,
Caelo, terris et inferno
Deus vivens ab aeterno
Factus es spectaculum.
Ibi stabat illa una,
Quam miratur sol et luna;
De dolente plus dolebas.
Quam amarum, quod bibebas
Passionis poculum!

34. Botrus Cypri, o dilecte,
En, levaris crucis vecte,
Ut premaris prelo mortis,
Sanguis tuus potus fortis,
Pias mentes debrians.
Hunc degustat qui cruorem
Castae mentis per saporem,
Solus novit, quid sit amor,
Sine sono cordis clamor
Illi semper inhians.

35. Factus paene sum elinguis,
Dum recordor uvae pinguis,
Qua profluxit ille sanguis,
Quo necatur vetus anguis,
Cum devote bibitur.
Deus in Iudaea notus,
Quem non capit mundus totus,
Carnis nostrae sacco tectus,
Ligno crucis, en, subvectus,
A suis non noscitur.

36. Stant fixuris pedes fracti,
Scissi clavo et compacti
Cornu dextrum altae crucis
Dextram ligat magni ducis
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

37. . . . . .
. . . . . .
. . leno riget laeva
Tui noxa, mater Eva,
Rivi fluunt sanguinis.
Sic clavatur corpus vitae,
Perforatur latus mite,
Vultus fugit pulchritudo,
Dei latet furtitudo,
Poena patet hominis.

38. Litus hoc in poste sanguis,
Hoc in palo pendens anguis,
Vestis Ioseph cruentata,
Cruorosa patri lata
Signabat negotium.
Vervex olim hoc in sente,
Hoc Elias in torrente,
Pecus legis hoc mactatum
Sub figuris obvelatum
Monstrabat mysterium.

39. Sic prae sole speciosus,
Sic prae luna luminosus,
Pax excedens omnem sensum,
Lumen purum et immensum
Tenebris obvolvitur.
Umbra carens clara dies,
Sine cura vera quies,
Lumen verum animarum
Veritate tenebrarum
Sic ecclipsim patitur.

40. Pallet splendor, marcet rosa,
Forma sordet animosa,
Corpus livet laceratum,
Plagis, clavis cruentatum,
Totum tenet vilitas.
Tacet sermo blandi oris,
Silent verba praeceptoris,
Infirmorum cessant curae,
Sed in hora mortis durae
Non cessavit caritas.

41. Cum acetum degustasses,
Patri caput inclinasses,
Exspirando, dulcis Iesu,
Pro unius pomi esu
Mortem crucis toleras.
Opus grande, forte, vivum,
Dans amoris incentivum,
Incentivum das amoris,
Quo tu, Iesu, fons dulcoris,
Mentes tibi foederas.

42. Iam cor meum ingemisce,
Virtus mea contremisce,
Lacrimarum fontes funde,
Plange, clama, pectus tunde,
Dole sine termino.
Vide functos suscitari,
Vide solem obscurari,
Tenebrari mundum, caelum,
Scindi petras, scindi velum
Moriente Domino.

43. Iesu, puer amorose,
Flos camporum pretiose,
Vincens nivem liliorum,
Tibi cedit lux caelorum,
Stellis es fulgentior.
Rosa rubens veri roris,
Flos amoene, flos decoris,
Luce premis omne clarum,
Solem damnans tenebrarum
Longe speciosior.

44. Dulcis super mel et favum,
Amor nihil amans pravum,
Dulcor suavis, sed experto,
Felix ille, qui pro certo
Experiri meruit.
Degustanti dulcor suavis,
Sed ignotus corde pravis,
Caritatis dulcor mirus,
Omne mortis sanans virus,
Quod ex Adam profluit.

45. Iesu bone, mitis agne,
Homo dulcis, Deus magne,
Gestu mitis spiritali,
Omni mole corporali
Longe es praestantior.
Odor tuus [odor] vitae,
Quem exhalat pectus mite,
Suavitatem vincens florum,
Omne genus pigmentorum,
Balsamo fraglantior.

46. Hunc designat mos pantherae,
Quam sequuntur omnes ferae,
Quas demulcet odor suavis,
Solus draco flatu gravis
Torpet et emoritur.
Hoc ferarum miro more
Post te currit in odore
Cor flammatum vi amoris,
Quod delectat nihil foris,
Sed te solo pascitur.

47. Nunc, o Iesu, tante, talis,
Fac me vitae immortalis
Coheredem tecum esse,
In extrema illa messe
Gaudere manipulis.
Suscitatum sono tubae
Rapi sursum fac in nube,
Fac discussum non damnari,
Tecum semper gratulari
Saeculorum saeculis.

Cod. Graecen. 1121. saec. 14. — 11, 1 Ista. — 19, 7 Lies viri cuncti? — 45, 4 molle. — 45, 7 Quem exaltat.

57. De Passione Domini.

1. Iesu, princeps maiestatis,
Fons perennis pietatis,
Angelorum Domine,
Qui de caelis descendisti
Atque nasci voluisti
Ex Maria virgine.
Ad te, pie Iesu clemens,
Clamat hic peccator gemens
Sub peccati pondere,
Pande sinum pietatis,
Ut trementem pro peccatis
Digneris suscipere.

2. Iesu, cuius gloriosa
Faciesque speciosa
Prae cunctis describitur,
Sputis foedis impiorum
Alapisque nefandorum
Hominum exponitur.
Per hanc miram bonitatem,
Quae te tantam pravitatem
Fecit non abnuere,
Mihi faciem beatam,
Civibus supernis gratam,
Digneris ostendere.

3. Iesu, cuius venerandum
Caput, cunctis adorandum
Beatis spiritibus,
Spinis dire coronatur,
Quarum totum cruentatur
Saevis punctionibus,
Ad me vultum bonitatis
Oculosque pietatis
Digneris convertere,
Ut mens intus illustretur,
Et affectus consoletur
Vultus tui sidere.

4. Iesu, dulcis spes reorum,
Qui pro statu salvandorum
Flevisti piissime,
Per hunc fontem pietatis,
Quo ex oculis beatis
Fundebantur lacrimae,
Precor, quidquid vitiorum
Visus traxit oculorum
Digneris absolvere,
Ut reatus ex hoc flere
Mereamur et cavere
Vana tuo munere.

5. Iesu, cuius aures purae
Patienter gentis durae
Tulere convicia,
Quidquid auditu reatus
Iam contraxi, miseratus
Tu clementer expia;
A nocivis cohiberi
Fac auditum et foveri
Tua semper gratia,
Ut discretus sit et prudens,
Vana iugiter excludens,
Admittat utilia.

6. Iesu, cuius odoratus
Nullo prorsus maculatus
Comprobatur vitio,
Dele, quidquid odorando
Cor commisit et mundando
Pie fove gaudio;
Vitiosi nil odoris
Poenis exigat foetoris
Gehennalis, Domine,
Sed mens, sensus a peccati
Sorde prorsus expiati
Sint in tuo nomine.

7. Iesu, salus animarum,
Potum fellis qui amarum
Gustans in patibulo
Et potare renuisti,
Dum te patri obtulisti
Hostiam pro populo,
A reatu, quem edendo
Perpetravi seu bibendo,
Me clementer expia,
Gulae culpa sit deleta
Et donante te discreta
Regar abstinentia.

8. Iesu dulcis, qui docendo
Plebem precesque fundendo
Reserasti labia,
A peccatis labiorum
Munda mentem ac verborum
Sorde tua gratia;
A nocivis fac silere
Linguam meam, sed docere,
Verba vera promere
Da doctrinae veritatis
Precibusque [tibi] gratis
Iugiter insistere.

9. Iesu bone, qui sacratas
Manus clavis perforatas
Extendens in arbore
Rivos fudisti cruoris,
Quem eduxit vis amoris
Ex sincero corpore,
Per cruorem hunc sacratum
Omnem dilue reatum
Quem contraxi manibus,
Da ut factis vitiosis
Emundatus fructuosis
Insistam operibus.

10. Iesu pie, qui beatos
Pedes cruci conclavatos
Irrigasti sanguine,
Per dolores, quos tulisti,
Et cruorem, quem fudisti,
Rogo, dulcis Domine,
Omni munda cor excessu,
Quem contraxi pedis gressu
Sive pravis moribus,
Aufer viam pravitatis,
Iter pandens veritatis
Meis semper gressibus.

11. Iesu, veri fons amoris
Et totius mel dulcoris,
Qui ex pio latere
Nostrae pretium salutis
Sacramentumque virtutis
Dignaris educere,
Dum mucrone perforatur,
Amor cordis declaratur
Lateris foramine,
Et ex fonte pietatis
Unda verae sanitatis
Effluit cum sanguine.

12. Iesu, tuam pietatem
Per hanc miram caritatem
Deprecor attentius,
Omnes cordis emundare
Sordes clementer dignare
Intus et exterius;

Vis amoris vehementer
Cor accendat, ut frequenter
Producat suspiria,
In te semper delectetur
Atque tua visitetur
Saepius praesentia.

13. Iesu, dulce medicamen,
Esto cordis consolamen
Pietatis gratia,
Mentis da tranquillitatem
Atque veram puritatem
Cum pia constantia,
Cogitatus, intellectus,
Motus, sensus et affectus
Tua providentia
Incessanter foveantur,
Ad te semper dirigantur
Cordis desideria.

14. Iesu, dulcis mi salvator,
Pius orbis reparator,
Qui mira clementia
Corpus tuum venerandum
Tradidisti cruciandum
Ad crucis supplicia,
Potestatem praebens pravis
Laniandi membra clavis
Durisque verberibus,
Corpus sinens sic artari,
Ut valerent numerari
Ossa cum lateribus.

15. Iesu clemens, ob amorem,
Dirae mortis qui dolorem
Te fecit suscipere,
Tuam quaeso pietatem,
Meam dele pravitatem
Bonitatis munere;
In adversis patientem,
In dolore fac gaudentem
Tua me clementia,
In secundis temperatum,
In maerore non turbatum,
Laetum in iniuria.

16. Iesu, fons dilectionis,
Iugem tuae passionis
Da mihi victoriam
Fideique firmitatem
Et perfectam caritatem
Speique fiduciam,
Fac me vitiis mundatum
Et virtutibus ditatum
Post praesens exsilium
Ad iucundum beatorum
Civiumque supernorum
Venire consortium.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 2445.

58. Carmen de Passione Domini.

1. Ad honorem nominis
tui, Iesu Christe,
Passionis ordinem
liber tradit iste,
Sicut rei seriem
dant evangelistae,
Narrando supplicia
dulcis agonistae.

2. Iesus in Bethania
castello cenabat,
Discumbente Lazaro
Martha ministrabat,
Christi caput ungere
Maria curabat,
De quo Iudas proditor
dolens murmurabat.

3. Post asello vehitur,
ut rex honoratur,
Praenoscens excidium
urbis lacrimatur,
Vendentes eiciens
templum veneratur,
Sero circumspiciens
a nullo vocatur.

4. Arescit ficulnea
Domino iubente,
Quae nil praeter folia
protulit, repente,
Adducunt adulteram
proceres non lente,
Sed recedunt singuli
Domino scribente.

5. De die iudicii
protrahit sermonem
Suumque discipulis
praedicit agonem,
Pharisaei sitiunt
Christi passionem
Et cum scribis conferunt
necis unionem.

6. Tunc coetum pontificum
princeps congregavit,
Adest Iudas temere,
quem nemo vocavit,
Salvatorem vendere
miser non expavit,
Opportuni temporis
moras exploravit.

7. In grandi cenaculo
pascha manducatur,
Quo ritus legalium
rite terminatur,
Pedes lavans servulis
rex humiliatur,
Et corpus dominicum
cunctis dispensatur.

8. Futurorum praescius
sciens proditorem
Turbatis discipulis
narrat hunc tenorem:
Unus de duodecim
tradet redemptorem;
Mentes innocentium
incurrunt timorem.

9. Ministrum nequitiae
Iohanni detexit
Per buccellam liquidam,
quam Iudae porrexit,
Qui repletus daemone
Christum linquens exit,
Ad malorum complices
Concite perrexit.

10. Caritatis mutuae
revelans doctrinam
Amanti discipulo
praedicit ruinam,
Cui post lapsum veniae
confert medicinam,
Hinc honorant laudibus
faciem divinam.

11. Tunc egressus adiit
montem olivarum,
Orans patrem repetit
transitum poenarum,
Sudor stillat sanguinis
instar lacrimarum,
Somnolentos increpat
custos animarum.

12. Venientem populum
verbo mox prostravit,
Mitis agnus osculum
Iudae non negavit,
Clientis auriculam
Petrus amputavit,
Sed hunc Iesus dulciter
tangendo sanavit.

13. Velut lupi saeviunt
agnum vincientes,
Trahunt, trudunt, feriunt
plagas inferentes,
Fugiunt discipuli
solum relinquentes,
Unus spreta sindone
evasit tenentes.

14. Ad Annam pontificem
cohors Iesum duxit,
Agnitus pontifici
Petrum introduxit,
Qui negando Dominum
turpiter defluxit,
In se tandem rediens
casum flendo luxit.

15. Praetendens calumniam
Annas sciscitatur,
Quem et Christus dulciter
respondens adfatur,
Manu caedens Dominum
servus dedignatur,
Dum a cunctis Dominus
tacens criminatur.

16. Annas Iesum Caiphae
misit alligatum,
Quo necis concilium
erat congregatum,
Falsum testimonium
iniuste prolatum
Producunt in medium
contra Dei natum.

17. Velatur, conspuitur
facies beata,
Palmis, pugnis caeditur,
quem gens scelerata
Morti tunc adiudicat
de cunctis ingrata,
Iesum tradens praesidi
nocte iam fugata.

18. Ductus paenitentia
traditor accessit,
Triginta argenteos
iaciens recessit,
Desperans de venia
guttur fune pressit,
Aes relatum pauperum
sepulturae cessit.

19. Ad Pilatum dirigunt
ingentem clamorem:
Hunc perde celerius
gentis subversorem,
Qui captare satagit
regium honorem
In tributis arguens
Romanorum morem.

20. Praeses non inveniens
causam condemnandi
Iesum dat examini
Herodis nefandi,
Alba veste tegitur
cum despectu grandi,
Pilato remittitur
in signum amandi.

21. Uxor suadet praesidi,
iustus ne laedatur,
Barrabas dimittitur,
Iesus flagellatur,
Amicitur purpura,
spinis coronatur,
Crucifige crebrius
plebs vociferatur.

22. Postquam manus laverat
praeses sceleratus,
Iesus crucem baiulat
poenis fatigatus,
Simon tollit postea
sed angariatus,
Ut seipsas defleant,
flentes est adfatus.

23. Cum duobus ducitur
ad locum poenarum,
Crucifixo poculum
propinant amarum,
Tunc dimitti postulat
crimen lanistarum,
Vestis sorte tollitur,
pars induniarum.

24. Cruci scribens titulum
adfixit Pilatus,
A scribis illuditur
cruci conclavatus;
Pendens hinc blasphemiam
loquitur damnatus,
Quem sodalis increpans
prorsus est salvatus.

25. Matrem tunc maestitiae
Iohanni commisit,
Soli lumen defuit,
vocem cum emisit,
Deus meus, clamitat,
ut quid me dimisit?
In agone positum
turba stans derisit.

26. Consummatis omnibus
Sitio clamavit,
Cui fel per spongiam
miles propinavit,
Lacrimando spiritum
patri commendavit,
Lassatus doloribus
clamans exspiravit.

27. Velum templi scinditur,
petrae dividuntur,
De sepulcris mortui
post egrediuntur,
Visis tot miraculis
multi compunguntur,
Mulieres sedulae
flentes adfliguntur.

28. Crura frangunt ceteris
corpora tollentes,
Ossa tamen Domini
non comminuentes,
Latus Christi perforant
lancea pungentes,
Unda, sanguis profluit
mundans omnes gentes.

29. Ioseph Deum metuens
corpus postulavit,
Nicodemo complice
pigmentis stipavit,
In sepulcro posuit,
quod saxo signavit
Princeps, ad custodiam
milites locavit.

30. Iesu benignissime,
tuum cruciamen
Largiatur tristibus
optatum solamen,
Mihi tuo famulo
praestet adiuvamen,
Laudem te per saecula
saeculorum. Amen.

Orat. ms. Tegurinum saec 15. Clm. Monacen. 19353. A. — Orat. ms. Pollingense saec. 15. Clm. Monacen. 11917. B. — Orat. ms. Wengense anni 1492. — Clm. Monacen. 21313. C. — Orat. ms. Nicolai Muffel Nurembergen. anni 1492. Cod. Sigmaringen. 23. D.

1, 4 tradit liber D. — 1, 7 sq. fehlen D. — 2, 8 dolens fehlt D. — 4, 4 pertulit D. — 5, 7 construunt D. — 6, 1 Cum coetum A. — 7, 3 Qui C. — 8, 6 tradit A. — 9, 1 Ministri nequitiam D. — 9, 5 repletur A. — 10, 2 eructans doctrinam CD. — 10, 4 praedixit D. — 10, 7 sq. fehlen D. — 11, 1—4 fehlen D. — 12, 1 Saevientem A. — 13, 2 vincentes D. — 14, 8 causam C. — 15, 7 Tunc a cunctis D. — 16, 2 transmisit ligatum CD. — 18, 3 Dragmata argenteos A. — 19, 5 captare nititur D. — 21, 5 Induitur D. — 23, 2 loca D. — 23, 5 Dimitti post clamitat C. — 23, 8 induciarum D. — 24, 3 Ascribens illuditur D. — 24, 5 huic C. — 25, 1 maestissimam D. — 25, 3 Solis lumen deficit D. — 25, 5 clamitans C. — 27, 5 fehlt C. — 28, 3 tantum D. — 28, 5 sq. fehlen D. — Nach Str. 28 schiebt C ein:

De cruce deponitur hora vesperarum
Salvator mundi gubernatorque polorum,
Sustinens haec omnia salus peccatorum,
O homo, tu causa es omnium illorum.

Str. 30 fehlt CD; letzteres hat an ihrer Stelle die folgende Strophe:

Hanc da, Christe, omnibus tuam passionem
Devote legentibus non ferre mucronem
Extremi iudicii, quorum ad agonem
Assis tui tribuens vultus visionem.

In D ist das ganze Gedicht in sehr ungleichen Abschnitten auf Tagzeiten verteilt. Vor Str. 8 steht *Sero*, vor Str. 10 *Nocte*, vor 12 *Media nocte*, vor 16 *In Galli cantu*, vor 18 *Ad Primam*, vor 20 *Ad Tertiam*, vor 23 *Ad Sextam*, vor 26 *Ad Nonam*, vor 28 *Ad Vesperas*, vor 29 *Ad Completorium*. Diese Einteilung ist eine spätere und willkürliche.

59. De Passione D. N.

1. Coepit Iesus esse maestus,
Dum instaret passio,
Et discipulis conquestus:
Est nunc, dicens, nimio
Spiritus mihi molestus
Ad mortem prae taedio.

2. Orans post in agonia
Stillas sudat sanguinis
Ex fervore ne in via
Positi certaminis
Torpeant, sed melodîa
Ferveant precaminis.

3. Iudas adiens Iudaeos:
Quantos, inquit, dabitis
Nummos mihi, nunc ad meos
Usus et, quem quaeritis,
Tradam, qui ritus Hebraeos
Calcat novis monitis.

4. Et accedens dedit signum:
Cui, dicens, osculum
Oris dedero benignum,
Hic est, illi vinculum
Innectatis; sed malignum
Clamat se post paululum.

5. Eunt mox ministri mortis
In eum inicere
Manus, qui ut leo fortis
Voluit pro scelere
Mundi mori et de portis
Mortis suos tollere.

6. Et eum comprehenderunt
Ut furem et funibus
Manus eius ligaverunt,
Quae multis virtutibus
Aegros saepe curaverunt
In eorum finibus.

7. Sic ligatum reliquerunt
Noti et discipuli
Et ab eo diffugerunt,
Quem tunc eius aemuli
Cum clamore susceperunt
Iudaeorum populi.

8. Primo minant comprehensum
Ad summum presbyterum,
Caritate sic incensum
Pro salute cinerum,
Ut pro eis mortis pensum
Sumat super umerum.

9. Annas primus, quo est ductus,
Ut eum discuteret,
Quaerit, ubi sit instructus,
Ut hanc novam sereret
Doctrinam, et quales fructus
Imitator sumeret.

10. Petrum una est agressa
Ancilla in atrio:
Tua, dicens, est expressa
Cum Iesu communio;
Iurat voce non compressa:
Iesum, inquit, nescio.

11. Unus ibi ministrorum
Alapam cum iurgio
Dedit regi saeculorum,
Alii in odio
Palmas dant in genas, quorum
Probra fert cum serio.

12. Ad principem sacerdotum
Caipham et destinat
Annas Iesum, quem nil motum
Si Christus examinat
Sit, quem vere sanctum totum
Lex venturum nominat.

13. Ibi falsi testes multi
Contra Iesum veniunt,
Nulla veritate fulti
Crimina obiciunt
Plurima nefanda stulti,
Quae probare nesciunt.

14. Princeps suas laceravit
Vestes et blasphemia
Iesum tandem inculpavit
Tunc coram frequentia
Irridensque demonstravit
Dignum contumelia.

15. En, blasphemiam audistis,
Inquit, quid nunc faciam
Ei, qui plebem, ut scistis,
Terret per fallaciam?
At in eum mox pro istis
Mortis dant sententiam.

16. Quidam eum mox caedebant
Colaphis, cui pridie
Ramos in via sternebant
Arborum et curiae
Israel ducem dicebant,
Quod est et rex gloriae.

17. Alii et conspuebant
Hunc cum ignominia
Nec ad mentem reducebant,
Quae fecit, magnalia,
Ob quae ut Deo debebant
Iure sacrificia.

18. Sic et quidam indignati
Eius dant in facie
Palmas, quam omnes beati
Amant sine satie
Videre, quam et damnati
Contremiscunt anxie.

19. Alii conspuunt vultum
Plenum reverentia,
Quem desideravit multum
David rex, sed inscia
Turba velat ut sepultum
Et lapsum memoria.

20. Et in faciem caedentes:
Quis te ferit? inquiunt
Prophetiza, deridentes,
Christe, caeci nesciunt,
Quis futurus inter gentes
Sit, quem sic despiciunt.

21. Post hoc praesidi Pilato
Vinctum tradunt Dominum,
Qui carnem sine peccato
Praeter morem hominum
Sumpsit de intemerato
Alvo non vi seminum.

22. Et silentem accusabant
Senes et presbyteri,
Quod ab eis discrepabant
Mores eius superi,
Sed, quos illi non amabant,
Amplexi sunt posteri.

23. Ad Herodem comitatum
Turbis et militibus
Praeses misit, quod et gratum
Ei fit a pluribus,
Cum audisset tam vulgatum
Signis et virtutibus.

24. Multis sed interrogatum
Herodes sermonibus
Nil loquentem et paratum
Mori pro peccantibus
Sprevit, quod sibi adfatum
Non dat nec clientibus.

25. Stabant ibi sacerdotum
Principes invidia
Pleni scribaeque per totum
Accusantes varia
Probra ferentesque notum,
Nulla fecit talia.

26. Rex indignans eum sprevit
Cum suo exercitu,
Nec sic furor conquievit
Eorum cum fremitu,
Immo maior semper crevit
Tumultus cum strepitu.

27. Atque illum ad derisum
Alba veste induit,
Nesciens, quod paradisum
Cum patre constituit,
Sed quod caeco nato visum
Dedit, scire potuit.

28. Post Herodes ad Pilatum
Remisit ut fatuum
Verbum Dei incarnatum,
Quod non venit vacuum,
Sed per ipsum est monstratum
Iter caeli arduum.

29. Unum vinctum, quod per mare
Gens Hebraea transiit
Sicco pede, festo dare
Solet praeses, petiit
Barrabamque tunc servare,
Et a vinclis exiit.

30. Quem daemones sunt testati
Deum, praeses tribuit
Iudaeorum voluntati,
Quem cocco plebs induit
Irridens, sed deitati
Talis vestis congruit.

31. Tunc Pilatus apprehendit
Et flagellat Dominum,
Turba quem ad hoc incendit
Impiorum hominum.
Eos quia reprehendit
Et arguit criminum.

32. Milites totam cohortem
Vocant ad spectaculum
Purpuraque regem fortem
Induunt, qui saeculum
Condidit nec ipsam mortem
Pavet nec periculum.

33. Et coronam post de spinis
Eius sacro capiti
Plectunt, cuius regni finis
Nullus est, sed additi
Sunt gentes cum inquilinis
Ei post ac subditi.

34. Et in dextra pro regali
Sceptro dant arundinem
Illudentes servi mali,
Si suam formidinem
Monstrasset, in animali
Reliquisset neminem.

35. Ave, tunc, rex Iudaeorum,
Incurvando genua
Dicunt iuriendo, quorum
Ad regna perpetua
Quosdam vocat illusorum
Et ad morum ardua.

36. Et alapis quidam dare
In genis virgineis
Audent, ad quas anhelare
In hortis et vineis
Solet sponsa, cum cubare
Vult in stratis roseis.

37. At in vultum speciosum
Prae filiis hominum
Sputum alii caenosum
Iaciunt et Dominum
Caeli, terrae gloriosum
Ludunt atque fluminum.

38. Caput sacrum perforatum
Spinarum acumine,
Laceratum, cruentatum
Feriunt arundine,
Quod plus melle meditatum
Pascit cor dulcedine.

39. Iesum praeses purpuratum
Foris ducit inquiens:
Ecce, homo, castigatum
Quem vidistis totiens,
Nullum in eo reatum,
Ecce, sum reperiens.

40. Cum vidissent ergo eum
Servi et pontifices,
Clamant: crucifige reum,
Qui decepit simplices,
Ut credant hunc esse Deum,
Quem adorant supplices.

41. Praeses mox in criminali
Sede ad iudicium
Sedit tunc pro tribunali
Et fecit scrutinium
A Iesu, quod si quid mali
Egit, det indicium.

42. Post, ut crucifigeretur,
Iesum servis tribuit
Caesum virgis, nec miretur,
Ita quia voluit,
Ut scriptura impleretur
Vatum, quae hoc docuit.

43. Et in dorso suo lignum
Ad locum Calvariae
Ferens exiit, ut signum
Fieret militiae
Christianis et in dignum
Monimen victoriae.

44. Sed dum iret fatigatus
Curvatus sub onere,
Simon Cyrenensis natus
Crucem Iesu tollere
A militibus artatus
Est post eum procere.

45. Cum ad locum pervenerunt,
Suis eum vestibus
Nudant et cum detraxerunt,
Ut sat liquet omnibus,
Rivi sanguinis fluxerunt
Novi de vulneribus.

46. Extendentes sic ruperunt
Membrorum compagines,
Ad crucem quod potuerunt
Numerari ordines
Ossium, et defecerunt
Inferi tunc cardines.

47. Et cruci sic adfixerunt
Summum regem gloriae
In loco, quem elegerunt,
Qui est mons Calvariae,
Et mox Satan corruerunt
Cornua superbiae.

48. Tunc est clavo perforata
Manus eius dextera,
Per quam cuncta sunt creata,
Caeli, terra, sidera,
Cuius tactu et prostrata
Reviviscunt funera.

49. Est sinistra terebrata
Manus pariformiter,
Unde fluunt delicata
Unguenta, letaliter
Sauciorum per peccata
Curatura pleniter.

50. Et pes dexter penetratus
Est clavo crudeliter,
Per quem nobis est monstratus
Cursus, quo celeriter
Ad virtutum caelibatus
Pertingatur dulciter.

51. Pes sinister iaculatus
Fuit consimiliter,
Et ex eius plaga latus
Sanguinis suaviter
Manat rivus, quo plagatus
Languens fit feliciter.

52. At in altum levant crucem,
Et pedum confractio
Fit ac manuum, et ducem
Sic obfuscat passio,
Ut eum non veram lucem
Crederet tunc contio.

53. Duos nequam adpenderunt
Ad crucis patibulum
Hinc et hinc et statuerunt
Medium, qui saeculum
Salvat, quod tunc nescierunt,
Cernunt post ad oculum.

54. Vestes eius diviserunt,
Postquam crucem induit,
Super quibus et miserunt
Sortem, quod non tacuit
Scriptura, sed cecinerunt
Psalmi hoc, nec latuit.

55. Super crucem et Pilatus
Adponit hunc titulum:
Iesus Nazarenus natus
Rex est super populum
Hebraeorum, en, damnatus
Perit per patibulum.

56. Sacerdotes et levitae
Cum praetereuntibus
Ridendo dicunt: Venite
De cruce, et omnibus
Esse largitorem vitae
Te patebit gentibus.

57. Orat patrem corde puro
Pro crucifigentibus:
Poenas has pro cunctis duro,
Parce delinquentibus,
Quas et meis post procuro
Electis militibus.

58. Unus blasphemans reorum
Ait: salvos facias
Nos et te, si saeculorum
Rex es, sed delicias
Alter petit beatorum
Post carnis exuvias.

59. Matrem post hoc contemplatus
Commendat discipulo
Dicens: Ecce, tuus natus,
Quem pavisti poculo
Lactis, iam est neci datus
Pro salvando saeculo.

60. Heli, pater! circa nonam
Clamat voce maxima,
Quid relictus sum et quonam
Me vertam? durissima,
En, crux premit, sed me ponam,
Ut sim mundi victima.

61. Morti proximus clamavit
Auctor saecli: Sitio.
Quidam spongia potavit
Eum mox in odio
Aceto, quod ante David
Inquit in psalterio.

62. Cum in eo iam impleta
Prophetarum carmina
Fuissent atque deleta
Orbis foeda crimina,
Cuncta, inquit, sunt completa
Et destructa numina.

63. Voce magna post clamavit:
Pater, reddo spiritum
Meum tibi, quem efflavit;
Mox eius interitum
Terra tremit, et sol pavit,
Quod it se absconditum.

64. Latus eius lanceavit
Unus et fons sanguinis
Et aquae evaporavit
Statim, qui dulcedinis
Dat copiam; qui amavit,
Scit vim huius fluminis.

65. Ioseph adiens Pilatum,
Nobilis decurio,
Corpus postulat beatum
Iesu et sudario
Involvit exanimatum
Lotum atque fluvio,

66. Speciebus et conditum
Reponit in tumulo
Iuxta gentis suae ritum
Cum maeroris cumulo,
Quod it miles custoditum,
Ne tollatur clanculo.

67. Cum vexillo triumphali
Crucis mox ingreditur
Infernum, et tremunt mali
Spiritus, quod rapitur
Praeda vetusta vi tali,
Et carcer confringitur.

68. Suos ex averno raptos
Paradiso intulit,
Quos ad hoc effecit aptos
Passio, quam pertulit
In cruce, quos Adae captos
Crimen illuc depulit.

69. Tertia surrexit die
Resumens cum glória
Corpus, quod venter Mariae
Salva pudicitia
Fudit, et hic cibus viae
Est et patris hostia.

70. Suae resurrectionis
Plura dat indicia
Monstrans, quod corruptionis
Non foret obnoxia
Caro, quae contagionis
Nulla traxit vitia.

71. Terra tremens hanc monstravit
Et cum luce veniens
Angelus, qui consternavit
Custodes aperiens
Tumbam, quam non reseravit
Dominus egrediens.

72. Magdalenae propalavit
Vivere se primitus,
Dehinc Petro, qui negavit,
Noxam donans penitus,
Ceteris post, quos adflavit
Rore sancti spiritus.

73. Monstrans eis intellectum
Mysticum, qui latuit
In scripturis et, quod tectum
Prius est, apperuit,
Caritatis et affectum
Dulcem illis tribuit.

74. Et cum eis manducavit,
Ne nutarent amplius,
Clausis seris et intravit
Inter eos medius
Stans, a quibus declaravit
Momento velocius.

75. Ad pedes, manusque latus
Thomas adhuc dubius
Palpandum est invitatus
Et fatetur ocius,
Quod est homo vere natus
Et Deus eximius.

76. Ad montem et evocavit
Demum omnes pariter,
Quos in fide confirmavit,
Ut eant celeriter
Mandans, id, quod praedicavit,
Mundo narrent taliter.

77. Quadraginta iam exactis
Diebus ad aethera
Tendens implet cataractis
Gratiarum viscera
Suorum, linquens in pactis
Potiora munera.

78. Prius tamen manducavit
Cum eis et tingere
Lymphis omnes destinavit
Baptismi et pellere
Daemones, ut, quod paravit,
Regnum possent capere.

79. Super omnes tunc ascendit
Caelos et ad dexteram
Patris cum palma pertendit
Relinquendo liberam
Sponsam suam, quam defendit
Conterendo viperam.

80. Iubilantes angelorum
Coetus omnes obviant
In lyris et canticorum
Odis, ut recipiant
Regem cum turma captorum
Et consortes faciant.

81. In effigie virorum
Ex his duo fratribus
Dicunt, quod Iesus, polorum
Rex, ostendet omnibus
Se in fine saeculorum
Sicut tunc in nubibus.

82. Cum in unum praestolantes
Promissa caelestia
Convenissent et orantes
Essent hora tertia,
Venit flatus super stantes
Vehemens a gloria.

83. Unde plenum deitatis
Fit ipsum cenaculum,
In quo sedent, caritatis
Dans eis igniculum,
Et loquuntur linguis datis
Diversis ad populum.

84. Turba concurrens stupore
Plena hos pronuntiat
Ita musti ex fervore
Eloqui, cum nesciat,
Vinum esse, quod [ex] rore
Sacri flatus veniat.

85. Illo mero iam madentes
Inferre mysterium
Trinitatis inter gentes
Parant, improperium
Iesu et dogma docentes
Et latum imperium.

86. Tuae sacrae passionis
Et vitae memoriam
Fac habere nos cum donis
Tuis nunc per gratiam
Ac supernae stationis
Regnum post et gloriam.

Cod. Silvae S. Martini prope Geraldimontem saec. 15. Cod. 7961 der k. und k. Familien-Fidei-Kommifsbibliothek in Wien. — 13, 6 probari. — 27, 5 Et quod. — 64, 3 evaporarunt.

60. Oratio de passione Domini et de compassione B. V.

1. O Iesu, rex caelice,
Clamose coram iudice
Es accusatus absque re
Perpessusque pacifice.

2. O Maria, tuum natum
Pertulisti flagellatum,
Multis poenis tribulatum,
Morte quoque vulneratum.

3. O Iesu dulcissime,
Cui osculum mitissime
Dabasque paratissime,
Te morti dedit pessime.

4. O Maria, dum fit natus
Tuus hasta perforatus,
Transit ensis acuatus
Poena nati tuum latus.

5. O Iesu, quam vultu tristi
Tuam matrem inspexisti!
Quam Iohanni commisisti,
Quando crucem ascendisti.

6. O Maria, quam flevisti
In extasimque cecidisti,
Quando mortuum aspexisti,
Cuius mater exstitisti!

7. Quare me in hora mortis
Erue de portis mortis,
Iesu, tu, Maria fortis,
Iunge me supernis portis.

Collect. ms. Gottwicen. saec. 14. [et 15]. Cod. Gottwicen 192. A. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19636. saec. 15. B. — 1, 1 O fehlt B. — 3, 3 percitissime B. — 4, 1 sq. O Maria dum tuus natus Hasta fuit perforatus B. — 5, 4 Cum in cruce pependisti B. — 6, 3 Quando mortem A. — 7, 2 fehlt B.

61. Ad Faciem Domini.

1. Ave, florens vultus Christi,
Sputa pro me suscepisti,
O decora facies,
Rogo, ut non avertaris
A me, sed intuearis
Centies et milies.

2. Ave, caput inclinatum,
Despective coronatum
Spinis infidelium,
Plagis multis perforatum
Circumquaque cruentatum,
Exemplar humilium.

3. Ave, Christe, dulcis frater,
Qui nos lactas velut mater
Corporis vulneribus,
Nobis lac tu produxisti,
Quando sanguinem fudisti
De palmis et de pedibus.

4. Ave, qui plantationem
Per tuam oblationem
Pro me patri exhibes,
Cruce, clavis et cruore,
Spinis, lancea, livore
Eius iram cohibes.

5. Ave, Christe, qui dormisti,
Soporatum suscepisti,
Tibi laus et gloria,
Culpam dele passione,
Tua resurrectione
Confer vitae gaudia.

6. Ave, Iesu, qui solamen
Reis praebes et iuvamen
Relaxando vitia
Et regnando das renatis,
A reatu expurgatis
In perennem gloriam.

Orat. ms. Harlemense saec. 15. Cod. Treviren. 493. — 3, 1 dulce. — 3, 4 lactu. — 6, 4 Lies Et regnare das? — 6, 6 Lies: in perenni gloria?

62. Ad Faciem Domini.

1. Ave, florens vultus Christi,
Pro me sputa suscepisti,
O decora facies!
Rogo te, ne avertaris,
Sed ut me intuearis,
Hostis fugans acies.
Salve, splendor, quem fuscavit
Fletus, decor, quem foedavit
Livor atque macies!
Te rogamus ex affectu,
Tuo pio nos respectu
In aeternum saties.

2. Candor lucis tu supernae,
Clare lucens dies verne,
O superna claritas,
In hac valle lacrimarum
Terge noxas animarum,
Quas paterna caritas
Sanguinem per pretiosum
Et triumphum gloriosum
Genuit, ut paritas
Hominum et angelorum
Esset, da, ut vitiorum
Sit in eis raritas.

3. O quam dulce te videre,
Tibi semper inhaerere,
Speculum laetitiae!
In te salus, virtus, vita,
Bona simul infinita,
Honor et divitiae;
A te semper ut respecti,
Da, servemus iter recti
Normamque iustitiae,
Ut in viis Dei cantent
Omnes, eos nec supplantent
Daemonum nequitiae.

Oration. Lehnin. anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29.

63. Ad Faciem Domini.

1. Ave, facies Iesu Dei,
In te salus nostrae spei,
Te optamus, licet rei,
Perfrui in gloria.

2. Ave, facies illustrata,
Sudore sanguinis rigata,
Sputis nimis deturpata
Magna ex malitia.

3. Ave, facies gratiosa,
Super solem speciosa,
Anxietate tenebrosa
Et cruore livida.

4. Ave, facies benedicta,
Nostra tamen ob delicta
Alapis caesa et adflicta
Ac lacrimis madida.

5. Ave, facies praeclara,
Quae pro nobis in crucis ara
Morte tandem ex amara
Es effecta pallida.

6. Haec cordi meo sit impressa
Per te, Iesu, neque cessa
Hoc cremare indefessa
Tui amoris facula.

7. Ut contemplari possim satis
Post hanc vitam cum beatis
Vultum tuae deitatis
In sempiterna saecula.

Diurn. Misnense imp. Lipsiae 1511 (unter einer Auswahl nicht liturgischer Gebete).

64. Ad Faciem Salvatoris.

1. O vultus amabilis
Nazareni floris,
Qui Mariae totiens
delicati oris
Suscepisti oscula,
plenus es maeroris,
Cum per sputa contrahis
maculas honoris.

2. Te velant, te lacerant
manus impiorum,
Gravis ad videndum es
oculis eorum,
Quibus lumen veneras
praestare sanctorum,
Margarita, claritas,
splendor angelorum.

3. Vultum tuum, Domine,
mihi contemplari
Dulce sit, iniurias
tuas amplexari,
Tuas contumelias
hic philosophari,
Tribue proficere
in hoc exemplari.

4. Quot maxillae alapis
pro me feriuntur!
Quot verba blasphemiae
tuis ingeruntur
Auribus! Sic instruor,
cum ista leguntur,
Arma patientiae
mihi proponuntur.

Orat. ms. Tegurinum anni 1466. Clm. Monacen. 19991.

65. Salutatio ad Faciem Domini.

O regalis faciei
Forma, summa nostrae spei,
Ave, salve, quae consputa
Es pro nobis et polluta,
A malignis caedi iussa,
Alapata et percussa,
Foeda, sordens, maculosa,
Quamvis multum sis formosa,
Multum pulchra et decora,
Sic, quod gliscunt omni hora
Caeli cives te spectari,
De te quoque satiari;
Quorum merces et corona
Cum sis, eia, nobis dona
Dona tuae pietatis,
Et cum ipsis claritatis
Tuae visu perfruamur,
Qui te modo veneramur.
Lumen vultus tui signa
Super nos, o tu benigna,
O iucunda et amoena
Facies, decore plena,
Nos dignando illustrare,
Sic quod post hanc vitam clare
Te cernamus in caelorum
Regno socii eorum,
Qui te semper speculantur,
Laudant, in te gloriantur.
Quo, tu, Iesu, splendor patris,
Unice Mariae matris,
A beatis adoraris,
Vivis, regnas, gloriaris
Per aeterna et immortalia
Saecula saeculorum.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29.

66. Ad Latus Salvatoris.

1. Salve, plaga sancta
nostri redemptoris,
Nam ex te fluxit fons
rosei coloris,
Vera medicina
totius doloris
Et aeterna requies
humani laboris.

2. Salve, plaga sacra,
salus peccatorum,
Tu es consolatio
perfecta maestorum,
Grata refectio,
via beatorum,
Pacis fruitio
portaque caelorum.

3. Salve, plaga recens
semper et fecunda,
Emanavit ex te
salutaris unda,
Per quam liberantur
a morte secunda
Cuncti servientes
tibi mente munda.

4. Salve, plaga sancta,
domus requiei,
Tutum refugium,
ancora diei,
Per te purgantur
a crimine rei
Et introducuntur
in conspectu Dei.

5. Salve, plaga rosea,
plena caritate,
Per te fideles animae
sistunt dealbatae,
Sana cunctos homines
de diaboli potestate,
Duri cordis seras
frange, petimus a te.

6. Salve, plaga Domini,
hasta perforata,
Peccatorum crimina
dele, lanceata,
Paradisi porta
est per te reserata,
Caritate iugiter
reple nos beata.

7. Salve, plaga, pulchrum
speculum peccatoris,
Placa nobis faciem
nostri redemptoris,
Quem non offendimus
semel, sed cunctis horis,
Fac nos sequi vestigia
nostri salvatoris.

Orat. ms. Italicum saec. 15. Cod. Londinen. Add. 10826. A. — Orat. ms. Eremitense saec. 15. Cod. Eremiten. 764. B. — Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. 14/15 C. — 1, 1 sancta fehlt B; plaga Domini C. — 1, 3 fluxit unda C. — 1, 5 Tu sola medicina C. — 1, 6 totius nostri doloris A; totius languoris C. — 1,7 Ad aeterna B. — 2, 2 desolatorum C. — 2, 3 es fehlt BC. — 2, 4 peccatorum C. — 2, 5 Gratia B. — 2, 7 Salutis fruitio C. — 3, 1 plaga Iesu Christi C. — 3, 2 reis fecunda C. — 3, 3 De qua manet C. — 3, 4 salutis rosa rubicunda C. — 3, 5 liberati C. — 3, 7 obedientes C. — 3, 8 corde munda C. — 4, 1 plaga nobilis C. — 4, 3 Tutumque AC. — 4, 4 fidei C. — 4, 5 purgentur C. — 4, 6 omnes rei C. — 4, 8 ante conspectum C. — 5, 2 plana C. — 5, 3 fideles fehlt B; nostrae animae C. — 5, 5 homines fehlt C. — 5, 6 a diaboli C. — 7, 7 Fac ut sequemur vestigia BC. — 7, 8 nostri fehlt. — C fügt noch folgende zwei Strophen (cfr. folgende Nummer) hinzu:

Salve, vulnus lateris nostri amatoris,
De quo fluxit fluminis fons atque cruoris,
Medicina miseris esto nunc doloris
Sanans simul criminis plagas et erroris.

Salve, plaga vulneris larga et profunda,
Lava multitudinem sordium ac emunda,
Ne laedat in inferis tuos mors secunda,
Sed ad visum numinis fiat mens iucunda.

A bemerkt: „Iohannes papa XXII composuit sequentem salutationem et concessit omnibus devote eam dicentibus XVII annos indulgentiae.“ Ebenso C: „Iohannes papa VIII composuit sequentem salutationem [et] dicentibus concessit diciocto[!] annos indulgentiae.“

67. Ad Latus Salvatoris.

1. Ave, vulnus lateris
Nostri redemptoris,
Ex quo fluxit fluminis
Fons sed et cruoris,
Medicina miseris
Esto nunc doloris,
Sanans simul criminis
Plagas et erroris.

2. Ave, plaga lateris
Larga, quam fecunda!
Lava multitudinis
Sordes et emunda,
Ne laedat in inferis
Tuos mors secunda,
Sed et visu numinis
Fiat mens iucunda.

Orat. ms. Caroli V. saec. 16. Cod. Palat. Vindobonen. 1859. A. — Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. 14/15 B. — 2, 1 plaga vulneris B. — „Innocentius papa hanc orationem quatuor annis plenae indulgentiae dotavit.“ B. — Vgl. Anmerkung zu Nr. 66.

68. De Vulneribus Christi.

1. Omnibus consideratis
Paradisus voluptatis
Es, Iesu piissime;
In te fons paternitatis
Omnes fructus suavitatis
Plantavit plenissime;
Passionis tuae fructus
Et cruoris tui fluctus
Defluens largissime
Finem fecit nostri luctus,
Per hunc infernus destructus
Gemit amarissime.

2. Triumphale lignum crucis,
Tu seductos nos reducis
Ad superna gaudia,
Portas pandis verae lucis,
Fauces claudis hostis trucis
Divina potentia;
Te adoro propter illum,
Qui gregem per te pusillum
Reduxit in propria,
Orci vectes et sigillum
Confringens per hoc vexillum
Signa infernalia.

3. Ave, caput inclinatum,
Despective coronatum
Spinis infidelium,
Multis locis perforatum
Circumquaque cruentatum
Exemplar humilium;
O corona pretiosa,
Quam cruoris tinxit rosa
Plasmatoris omnium,
Per te fiat speciosa
Mens humana, mens spinosa
Declinans in vitium.

4. O fons ave paradisi,
A quo quattuor divisi
Dulces currunt rivuli,
Per quem daemones invisi
Sunt confracti et elisi
Et effecti tremuli;
Dulce vulnus laterale,
Inter fontes nullum tale
Nectar unquam poculi;
Ave, salve, gaude, vale,
Contra venenum letale
Medicamen populi.

5. Salve, vulnus dextrae manus,
Velut Phison rivus planus
Miseris scaturiens,
Quod Iudaeus inhumanus,
Inhonestus et insanus
Fodit Deum nesciens.
Te adoro, te honoro,
Te inquiro, te imploro
Ut miser iam moriens,
Ut in contritorum choro,
In quo sperans iam laboro,
Nunquam sim deficiens.

6. Ave tu, sinistra Christi,
Perforata quae fuisti
Clavo perdurissimo,
Velut Gihon effudisti
Rivum tuum, quo lavisti
Nos a morbo pessimo;
Te, o vulnus, adoramus,
Tibi caput inclinamus
Ut fonti dulcissimo,
Per te fiat, ut vincamus
Hostes et ut gaudeamus
In die novissimo.

7. Salve, vulnus dextri pedis,
Tu cruoris rivum edis
Tigri comparabilis,
Per hunc rivum, homo redis
Ad supernae culmen sedis,
Ubi pax est stabilis,
Per hoc vulnus, hoc foramen
Fudit cruoris libamen
Deus impassibilis,
Nobis semper sit solamen
Istud vulnus et iuvamen,
Dum mors adest flebilis.

8. Laevi pedis perforati
Ave vulnus, in quo pati
Deus homo voluit,
Comparandum es Euphrati,
Per te sumus liberati
Nos, quos umbra tenuit;
Dulce vulnus, dulcis clavus
Et cruoris dulcis favus
Per istud efferbuit,
Per te resurgat ignavus,
Emundetur homo pravus,
Qui spem in te habuit.

9. Ave, mater, plasma nati,
Quae vidisti natum pati,
Quis te dolor tenuit!
Non est hoc humanitati
Scire datum neque vati,
Quia nemo potuit;
Prae dolore perforetur
Mea mens et crucietur,
Quae dolorem meruit,
Ne in fine condemnetur,
Sed per poenas emendetur,
Quia carni paruit.

10. Iohannes evangelista,
Tu sacrarii sacrista,
In quo Christus iacuit,
Ne mundus fallat sophista,
Per te mihi dentur ista,
Quae mens supra voluit;
Obsecro te per hunc fletum,
Per dolorem et per metum,
Quo cor tuum tremuit,
Cum videres Deum spretum,
Ut me ducas ad hunc coetum
Quem Christus eripuit.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. 14/15. A. — Cod. Lambacen. CLXXXVIII saec. 15. B. — Cod. Lambacen. 480. saec 15. C. — Cod. S. Petri Salisburgen. a III 10 anni 1474. D. — Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. 14/15. E. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Gandaven. 212 (37). F. — Orat. ms. Cantuariense saec. 15. Cod. Londinen. Arundel 318. G. — Orat. ms. Cantuariense saec. 15. Cod. Londinen. Arundel 341. H. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 211. I. — Orat. ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Coll. Iesu Oxonien. 32. K. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Coll. SS. Trinitatis Oxonien. 13. L. — Orat. ms. Cistercien. Anglican. saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 548. M. — Orat. ms. Gebennense saec. 15. Cod. Vatican. Palatin. 540. N. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Bruxellen. 10776. O. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Bruxellen. 9798 P. — Orat. ms. Brugense saec. 15. Cod. Bruxellen. 4648. Q. — Orationale ms. Tegurinum anni 1467. Clm. Monacen. 19991. R. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19356. S. — Orat. ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Parmen. Palat. 206. T. — Orat. ms. S. Petri Luciliburgen. saec. 14. Cod. Avenionen. 207. U. — Orat. ms. Tegurinum. saec. 15. Clm. Monacen. 19354. V. — Orat. ms. Brigittin Neerlandic. saec. 15. (Privatbesitz). W. — Orat. ms. Cistercien se saec. 15. Cod. Darmstadien. 1228. X. — Orat. ms. saec. 15. Cod. 7977 der k. k. Familien-Fideikommifs-Bibl. Y. — Orat. ms. Carthusiae Erphes-

forden. saec. 15. Cod. Rossian. VIII 56. Z. — Ferner: Orat. ms. Gallicum saec. 14. ex. Cod. Ianuen. (Miss. Urban.) 31. 4. 9. —

Str. 1 und 10 umgestellt Z; Str. 1—3 fehlen C. — 1, 4 fons pietatis A; puritatis BD. — 1, 9 Deflens Z. — 1, 10 facit W. — 1, 11 Infernus per hunc A; Per hoc infernus BWZ; per haec D. — 1, 12 Gemens A; Sevit amarissime R. — Nach Str. 1 schiebt A ein:

Iesu Christi denudatum
Corpus, salve, quod ligatum
In columna tremuit,
Quando fuit flagellatum,
Virgis caesum nec (l. sic) reatum
Nostrum tolli voluit;
Cicatrices remanserunt
Carni Iesu, quam fregerunt
Ictibus, ut placuit,
Rivi multi defluxerunt
Et membra cruentaverunt,
Totum corpus maduit.

Str. 2 und 3 umgestellt A; Str. 2 steht hinter Str. 8 D. — 2, 3 deductos Z. — 2, 5 Vinctus[!] patres tu reducis Z. — 2, 8 Qui per te gregem Z. — 2, 9 in patria AWZ; patriam BR. — 2, 10 sq. umgestellt WZ. — 2, 11 Ora vectes B; Mortis ferens et sigillum Z. — 2, 12 Signaris D. — 3, 2 Despectum et coronatum B. — 3, 4 Mille locis D; Mille loris perforatum A. — 3, 8 texit rosa A; cinxit rosa WZ. — 3, 10 pretiosa W. — Str. 4 steht hinter Str. 5 Z; hinter Str. 6 BRW; hinter Str. 8 AD. — 4, 1—6 fehlen C. — 4, 1 Salve, o fons A; Ave, fons D; O fons aquae R. — 4, 4 Per te daemones Z. — 4, 6 Ac effecti Z. — 4, 9 Nectar inquam AW. — 4, 10 Ave, gaude, salve A. — 4, 12 Esto medicina populi A. — 5, 2 Verus rivus Phison W; rivos perlanus Z. — 5, 4 Quod tyrannus B; Quod index inhumanus Z. — 5, 7 Te honoro, te adoro A. — 5, 8 fehlt Z. — 5, 9 Ut miser et moriens A. — 5, 10 In quo sperando laboro AZ. — Str. 6 steht hinter 7 Z. — 6, 3 perdurissimo A. — 6, 5 Vinum verum quo lavisti Z. — 6, 6 Nos a malo A; Nos a mortis W. — 6, 7 O te vulnus Z. — Str. 7 steht vor Str. 6 Z. — 7, 2 cruoris vinum WZ. — 7, 4 Per hoc vulnus, homo A; Per hunc vinum Z. — 7, 7 Per hoc vulneris foramen A. — 7, 10 Nobis sit semper Z. — 7, 11 Illud vulnus Z; et foramen W. — Str. 8 steht vor 10 Z. — 8, 1 Christe pedis W; Ave vulnus perforati A. — 8, 4 est D. — 8, 5 Per quod sumus CW. — 8, 6 quos unda tenuit D; quos culpa tenuit W. — 8, 12 In te qui spem Z. — Str. 9 und 10 fehlen W; Str. 9 steht vor Str. 7 Z; Str. 10 folgt auf 8 Z. — 9, 4 hoc fehlt AB; Non est haec Z. — 9, 5 ulli vati Z. — 9, 6 Nullus homo potuit Z. — 9, 8 ut Z. — 9, 11 Sed per fletum A. — 10, 1 O Iohannes Z. — 10, 3 in quo Deus D. — 10, 4 zufista Z. — 10, 5 detur ista Z. — 10, 6 Quae tibi complacuit Z. — 10, 7 Te inquiro per hunc B; Te requiro per hunc Z. — 10, 9 contremuit A.

Oratio sancti Bernhardi de passione Domini B. — Hanc orationem ad quinque vulnera Christi dictavit papa Iohannes XXII et dedit omnibus dicentibus VII annos indulgentiarum X. — Bonifacius papa sextus dedit cuilibet sequentes orationes dicenti in memoriam passionis Iesu Christi viginti diebus continuis ore confesso et corde contrito plenariam indulgentiam et remissionem omnium peccatorum suorum Y.

Vgl. Mone I Nr. 122, eine Bearbeitung dieses Liedes durch Conrad von Gaming; cfr. Anal. III, S. 11. Morel (Nr. 43) hat dieses Verhältnis mifskannt. Ganz entstellt ist Text und namentlich Abteilung bei Roth. Nr. 81.

69. De Vulneribus Christi.

1. Crucifixe Iesu bone,
Me redemptum passione
Iuxta plagas tuas pone,
Ut te fleam dulciter;
Dulce cum sit de te flere,
Quid erit de te gaudere,
Certe sic est te lugere
Arrha veri iubili.

2. Verbum, quod est caro factum,
Sextum lustrum post peractum
Tuum ob praeceptum sanctum
Omni parte foederis
Dorsum quoque, pedes, manus,
Sanguis totus, aqua, flatus,
Cuncta dantur morti planctus
Propter mortem hominis.

3. Caput altum conquassatur,
Spinis multis perforatur,
Sputis, palmis exprobratur,
Membrum tuum protegas,
Eia, dextra manus Dei,
Perforata clavo rei,
Iunge tecum actus mei
Meque manu teneas.

4. Manus laeva lapsum leva,
Leva mea facta saeva,
Statuendum parte laeva
Transferas ad dexteram;
O pes dexter salvatoris,
Calles calcans peccatoris
Duc me viam per amoris
Ad amorem spiritus.

5. Tu pes laevus conclavatus,
Gradiendo fatigatus,
Potus, unctus, osculatus,
Gressus meos dirige;
Latus late penetratum,
Sacramentis vas paratum,
His me tuum consignatum
In te fac quiescere.

6. Corpus totum flagellatum,
Demum cruce consummatum
Et sepulcro commendatum,
Cito sed resuscitatum,
Me reum iustifica;
Meae preces non sunt dignae,
Sed tu bonus fac benigne,
Tu qui passus es indigne,
Ne aeterno cremer igne,
Tecum sim in gloria.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Mantuan. E I. 27. — 3, 7 nedus oder aedus Hs. — 4, 6 Cales. — 5, 1 Tu es levus.

70. De Vulneribus Christi.

1. Ave, fructus o Mariae
Et caelestis vas sophiae,
Circumcisus qui in die,
Fac nos salvos, Iesu pie.

2. Ave, cuncta qui creasti,
Dum in monte qui sudasti,
Quando patrem exorasti,
Nos exaudi, quos plasmasti.

3. Ave, caput Christi gratum,
Duris spinis coronatum,
Nos conserva, ne peccatum
Poenae ducat ad reatum.

4. Ave, dextra manus Christi,
Perforata plaga tristi,
Nos ad dextram iube sisti,
Quos per dextram redemisti.

5. Ave, palma Iesu laeva,
Sic confixa plaga saeva,
Nos ab aevo malo leva,
Quod produxit mater Eva.

6. Ave, latus lanceatum,
Unde fluxit flumen gratum,
Praebe nobis conducatum
Ad aeternae vitae statum.

7. Ave, vulnus dextri pedis,
Aedem mentis pie laedis,
Dum ad eam saepe redis,
Esto nobis spes mercedis.

8. Ave, plaga laevae plantae,
Qua virtutum crescunt plantae,
Nos ab hoste supplantante
Contuere post et ante.

9. Ave, tota denudata
Caro Christi flagellata,
Nos conserva, ne peccata
Vita privent nos beata.

10. Ave, Iesu, cruce pressus,
Fatigatus, lassus, fessus,
Tu pro nobis post excessus
Laxa malos cordis gressus.

11. Ave, Iesu, tu frumentum,
In Maria quod inventum,
Crucis venit ad tormentum,
Cordis nostri pascementum.

12. Ergo nostri miserere,
Hic nos pasce et tuere,
Tu nos bona fac videre,
Ubi dies, quies vere.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. 14/15.

71. De Vulneribus Christi.

1. Ave, caput gloriosum,
Cruentatum et spinosum,
Te spina pupugit,
sanguis sacer decoravit;
Sic facies pallida
cruore fit rubicunda,
Atque rex gloriae
illuditur impia gente,
Et nobis de spina
salutis fit medicina,
Dum caput angelicum
spineto fit coronatum.
Nos tuo rore
ab omni sana dolore.

2. Ave, manus dextera
(Christi) tendentis ad aethera,
Extensa ad patibulum
reparasti genus humanum,
Clavo perforata
cruore[que] purpurata,
Non clavus tenuit,
sed caritas te crucifixit;
Da hic condolere
post mortem atque gaudere.

3. Ave, laeva manus Christi,
Perforata plaga tristi,
Diro ferro puncta
crudeliter es cruci iuncta,
Defluxit unda
salubris et rubicunda,
Quae vitia purgat
et corda saucia sanat,
Nos tuo dolore
ab omni sana livore.

4. Ave, dexter Christi pes,
Qui ad crucem fixus es,
Perforatus clavo diro
Sustinens et modo miro
Cruciatus et dolorem
Peccatorum ob amorem
Stabas totus in dolore,
Sed immotus ex amore
Fixus manens patibulo;
Condolentes et gementes
Facque tecum patientes
In flebundo saeculo.

5. Ave, vulnus laevi pedis,
Quod infixit volis saevis
Impia gentilitas,
Medicamen factum aegris
A pirata taetro laesis,
Hoc egit summa pietas;
Tuo nos iuvamine
Mortis in examine
Reatum tegat caritas,
Tolle crimen atque nefas,
Ut post huius vitae metas
Propitia sit deitas.

6. Ave, latus perforatum,
Unde fluxit flumen gratum,
In te patet vis amoris,
De te scatet fons cruoris,
Qui corda rigat arida;
Fundis rivos gratiarum,
Fluit salus animarum,
Appares te amantibus
Et cunctis paenitentibus
Medela salutifera;
Beatos fac in gloria.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. — 6, 11 Beatosque in. — Unter Plünderung verschiedener Lieder in verschiedenen Mafsen aufgebautes Lied; 1, 3—14; 2, 3—10; 3, 3–10 ungefüge rhythmische Hexameter.

72. Salutatio ad dolores singulorum membrorum Iesu Christi.

1. Salve, salve, Iesu pie,
Fili Dei et Mariae,
Qui de patre sine matre
Et de matre sine patre
Natus es ineffabiliter;
Aures tuae tam benignae,
Omni vere laude dignae,
Angelorum quos concentus,
Totus caelicus conventus
Mulcet mirabiliter,

2. Quanta probra pertulerunt
Et quam saepe audiverunt:
Hic seductor et peccator,
Hic potator et vorator,
Semper habet daemonium;
Quis has poenas enarrare
Posset omnes, Iesu care?
Mihi sapit tecum flere,
Non me possum continere
Attendens hoc flagitium.

3. Hinc latronem saevientem
Hinc et Iudaeum frementem:
Vah, qui templum hoc rependit,
Hic de cruce, si descendit,
Hunc scimus Dei filium,
„Prophetiza“ nunc clamare,
Nunc te Petrum ter negare,
„Crucifige“ replicare,
„Ave rex“ te salutare
Lingua insipientium.

4. Malleorum sonus multus,
Iudaeorum hinc tumultus,
Hinc Mariae manans vultus,
Hinc creator tamquam stultus
Ab omnibus despicitur.
O stillans mellis dulcore
Pallet totus prae horrore,
Caecos visu qui vestivit,
Hic visu frui desivit,
Quia sputis obruitur.

5. En, pes, caput, laeva, dextra
Dolens passim intus, extra
Gyro hinc, illic regyro,
Nil in tam praeclaro viro,
Nisi dolor conspicitur.
Pignus aeterni ardoris,
Huius causa sum doloris,
Scio, Iesu, quod sum reus
Miserere mei, Deus,
Hoc corpus dum corrumpitur.

Cod. S. Petri Salisburgen. b. II 24. anni 1538. A. — Cod. Virunen. cart. IV anni 1530. B. — 1, 4 fehlt A. — 3, 2 et fehlt A; Et Iudaeum blasphemantem B. — 3, 3 hoc reparat A. — 3, 4 descenderit B. — 3, 5 Credimus ei B. — 3, 8 triplicare B. — 3, 9 te fehlt A; salutare te B. — 4, 1 Hinc malleorum B. — 4, 2 Hinc Iudaeorum B. — 4, 5 A cunctis B. — 5, 3 illic fehlt A. — 5, 6 O pignus B. — 5, 7 sum causa B. — 5, 10 dum moritur. — Cfr. die Note bei Mone I, S. 171.

73. De Cruce Domini.

1. Peccatores, quare desperatis,
Quantiscunque subditi peccatis?
Cernite thesaurum pietatis
In Cruce.

2. Grandi vobis debito ligatis,
Si non habetis, unde solvatis,
Optimum thesaurum concernatis
In cruce.

3. Culpis infinitae quantitatis,
Immo cunctis culpis adgregatis
Divus sanguis fortior est satis
In cruce.

4. Ibi pendet munus caritatis,
Ibi victimatur pro peccatis,
Qui libertatem cunctis dat gratis
In cruce.

5. O signanda pectore memoria,
O praeclara Domini victoria,
Purgat mundum virtus purgatoria
In cruce.

6. Expurgatur vetus Adae scoria,
Cedit limus, aperitur gloria,
Declaratur virtus amatoria
In cruce.

7. Ibi est abscissa fortitudo,
Ibi livefacta pulchritudo,
Ibi se diffundit plenitudo
In cruce.

8. Ergo si sit culpae magnitudo,
Sola mentis assit paenitudo,
Vincet pietatis multitudo
In cruce.

9. Surge, surge, qui dormis, propera
Dei crucifixi lambe vulnera,
Sibi derelinque tua scelera
In cruce.

10. Christe, qui tulisti lenis aspera,
Crucifige nostrae carnis opera,
Nostra mala dele, tolle, supera
In cruce.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343 anni 1351. — 3, 3 Divinus sanguis. — Der Rundreim „In cruce“ ist in der Hs. unregelmäfsig verteilt.

74. De sancta Cruce oratio devota.

1. O crux sancta et praeclara,
Cuius Christus est in ara
Suspensus, ut erueret
Nos a morte aeternali
Et a summa omnis mali,
Ut omnes nos imbueret;
Quantum ipsum honorare
Debeamus et amare,
Qui poenas nostras lueret!

2. O crux nimis gloriosa,
Nobilis et pretiosa,
In qua mortis supplicium
Sponte Deus est perpessus,
Factus prae tormentis fessus,
Amoris dans indicium;
In te pugnans triumphavit
Et per te nos reparavit
Iustorum spes initium.

3. O crux Christi dedicata,
Per cruorem et sacrata
Effectaque praeclarior
Omni Dei creatura,
In te solvit mortis iura,
Qui est prae cunctis carior,
Iesus Christus, natus patris
Simulque Mariae matris,
Nec mors est hac amarior.

4. O crux rutilans nitore,
Suavi spirans ex odore,
Prae sole splendidissima,
Poenas sanctis faciebas,
Leves suavesque reddebas,
Amantibus dulcissima,
In te salus pependisse
Nostra scitur et obisse
Et vita iucundissima.

5. O crux, nostra salus, ave,
Te rogamus, ut nos a vae
Ab omnique prurigine
Vitiorum conservemur
Et per te mox liberemur
Aeterna a caligine,
Sicque ignis caritatis
Te agente pravitatis
Nos purget a rubigine.

6. O crux, quae es lignum vitae,
In qua corpus Christi mite
Pependit nimis squalidum,
Torridum et macilentum,
Denudatum et cruentum,
Quassatum atque pallidum,
In te agnus se cum fletu
Obtulit pro suo coetu
Clamorem dans praevalidum.

7. O crux, lignum triumphale,
Esse donans immortale
Et in te gloriantibus,
Contra hostes es munimen
Et in omnibus fulcimen,
Fer ergo supplicantibus
Opem nobis salutarem
Et mercedem sanctis parem
In caelo iam regnantibus.

8. O crux, arbor praedecora,
Eia, salva sine mora
Ab omnibus piaculis
Illos, qui in te confidunt
Et quos daemones elidunt
Temptationum iaculis,
Et fac ipsos gloriari
In te semper et mundari
A peccatorum maculis.

9. O crux, digna venerari,
Immo digna adorari,
Nam is, qui culpa caruit,
Tibi dedit hanc virtutem,
Nobis dares ut salutem
Per illum, cuius aruit
In te virtus, quando matri
Valefaciendo patri
Ad mortem usque paruit.

10. O crux, cuius in honore
Omnes gaudent cum amore,
Quam auctor vitae voluit
Esse tantae dignitatis,
Quod spes esset desperatis
Et absque te nos noluit
Liberare rex sublimis,
Patetque, quod nostrae nimis
Miseriae condoluit.

11. O crux, quae sic praedicaris,
Fac nos fletibus amaris
Perfecte culpas plangere,
Absint livor, rixae, scelus,
Torpor, luxus, fraus et zelus,
Da motus irae frangere
Et virtutes in nos large,
O tu summe sator, sparge,
Te dans in cruce tangere.

12. O crux, fac, ut configamur
Tibi Christoque iungamur
Commortui sceleribus
Et amoris sui clavis
Tucatur nos a pravis
Affectu et operibus,
Ut viventi convivamus
Et laudemus, quem amamus
Cum sanctis in aetheribus.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. 4° 29.

75. De sancta Cruce.

1. Ave, sanctae crucis signum,
Quod fuisti ferre dignum
Salvatorem omnium,
Cuius triumphale signum
Excludat [ab]hinc malignum,
Debellatum per benignum
Iesum Christum Dominum.

2. Arbor dedit mortis luctus,
Arbor crucis vitae fructus,
In te prorsus est confractum
Sempiternae mortis pactum,
Quo se homo obligavit,
Cum praeceptum violavit.

3. Per te homo renovatur
Et Deo reconciliatur,
Dum extensus in te Deus
Morti datur velut reus.

4. In te Christus nos redemit,
In te mortem mors peremit
Et vires hosti ademit,
Unde iam se victum gemit.

5. Ergo, Christe, splendor patris
Et pro nobis fili matris,
Assit nobis hoc munimen
Et depellat omne crimen.

6. Per hoc signum terreantur,
Qui nos semper infestantur,
Ut confusi cruci cedant,
Ne nos prava fraude laedant.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395.

76. De sancta Cruce.

1. Sanctae crucis lignum, vale,
Inter ligna nullum tale
Fronde, flore, germine;
Lignum sacrum, lignum gratum
Et a Deo consecratum
Redemptoris sanguine.

2. Ave, lignum singulare,
Caelum, terram [atque] mare
Continentem contines,
Melle stillans dulces favos,
Dulce lignum, dulces clavos,
Dulce pondus sustines.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19356.

77. De sancta Cruce metra.

Quam venerabilis, impretiabilis, hic ades, o crux,
Arbor amabilis, insuperabilis, hic ades, o dux!
Cuncta poli, maris atque soli bona sola tulisti,
Crimina contere, gaudia congere, baiula Christi.
Ad tua cornua pectora carnea mors trahe mortis,
Ad sacra stigmata contrahe climata quattuor orbis.
Tu sine sordibus influe cordibus, o patris agne,
Crux lita postibus est pavor hostibus, o leo magne.
Hinc procul hinc, leo trux, nihil hic nisi crux, nisi pax, lux.
Vivat homo, foris inque domo viget unica spes crux.
Vasa Dei titulum fidei fuge, letifer anguis.
Nos foveat, mala dimoveat sacer in cruce sanguis.

Add. ms. saec. 15. post Septemplicata septem gaudia imp. s. l. et a.

78. De sancta Cruce.

Crux bona, crux digna, lignum super omnia ligna,
Me tibi consigna salvans a morte maligna.
Aeneus hic coluber, cruce lugubris, ipse saluber
Atque cruore ruber, variis affectibus uber,
Omne fugat tuber et culpae nexile suber,
Hunc puer, hunc puber, hunc canus sugat ut uber.
Qui stas pro mundo nudatus corpore mundo,
Iesu, profundo gemitus tibi corde profundo.
Nulla tibi vestis, qui caelum sidere vestis,
O rex caelestis, sic tu sociare scelestis?
Sors nostrae sortis bellator et optime, fortis
Tu victor mortis Satanae pravaeque cohortis,
In cruce qui moreris, veniam ne dando moreris,
Per clavos teneris manibus pedibusque teneris,
Corde pio miseris, qui te cruciant, misereris,
Dum mala non queris sed dimitti sibi quaeris,
In te confisi socium reprehendere nisi
Ad duo verba nisi praebens aditum paradisi.
Latroni iuveni quod dat contritio sera,
Hoc mihi, quaeso, seni donet confessio vera.
Sit meus hic frater tibi filius, inclita mater,
Et tibi sit mater genetrix mea, tu pie frater.

Cod. Sitanstetten. 265 saec. 15.

79. De sancta Cruce.

I.

Quid sibi vult clamor validus Christi morientis?
Ut moveatur amor hominis sibi compatientis.
Sputa, flagella, minae, crux, clavi, lancea, spinae,
Felici fine sunt nostrae meta ruinae.

Sint mihi tutamen tua vulnera, Christe, cruenta,
Iugeque solamen de miti corde fluenta,
Culpae purgamen cunctis vitiis medicamen,
Vitae libamen, protectio corporis. Amen.

II.

Qui nos plasmasti, nostri miserere, creator,
Atque reformasti nos morte tua, miserator,
Christe, barathrali salvatos exitiali
Morte gehennali, nos eme perpetuali.
Quod praestes rite, qui das pacem sine lite
In regno vitae, cum dices: Ite, venite.

Cod. Sitanstetten. 265. saec. 15.

80. De sancta Cruce.

In cruce palma fuit, cedrus, cupressus, oliva,
Datque pedem cedrus, truncum cupressus, oliva
Dat capiti tabulam, praebet duo brachia palma;
Unde fidem cedrus, spem cupressus, sed amorem
Signat oliva, bonum finem pia palma figurat.

Cod. Sitanstetten. 265. saec. 15.

81. Oratio de Armis Christi.

1. Salve, praeclara, inclita,
Armatura dulcissima
Christi Dei et hominis,
Pro nobis passi miseris.
2. Salve, Christi venditio,
Cum cultro et praeputio
Sudoreque sanguineo,
Cum gallo, Christi captio.
3. Salve, columna nobilis,
Cum flagellis et vinculis,
Sacrata almo sanguine
Ex Christi fuso corpore.
4. Salve, vestis purpurea
Et cuncta Christi vulnera,
Cum effluente sanguine,
Quo redimuntur animae.
5. Salve, alba et colaphi
Ac velamentum oculi,
Sputa quoque et alapae
Illata bino tempore.
6. Salve, mortis sententia,
Crux, clavi, scala, lancea,
Distensio, ludibria,
Acetum, fel et spongia.
7. Salve, arundo, titulus,
Corona, forfex, malleus,
Omnis dolor et passio
Christi et exspiratio.
8. Salve, matris compassio,
Nati quoque propassio,
Fons duplex eius lateris
Nos lavans, ornans gratiis.
9. Salve, sepulcrum nobile,
Lintea cum aromate
Et quaeque Christi reliqua
Passionis insignia.
10. Haec cuncta tuae dulcia
Passionis insignia,
Dulcis Iesu, glorifico,
Adoro et magnifico.

11. Haec cuncta fugent noxia,
Aboleant peccamina,
De manu quoque daemonum
Nos salvent in perpetuum.

12. Praestent hic pati tristia,
Humilient praecordia,
Confirment nos in gratia
Coronentque in gloria.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19824. saec. 15.

82. De Armis Christi.

Vulnera, corona, crux, clavi, lancea, stola,
Spongia, vas, sputum, mantellum, purpura, sceptrum
Cum statua, facula, virgae, flagella, lucerna,
Pelvis cum cantro, forceps, velamen, arundo,
5. Petrus et ancilla, gallus, mucro, malleus, alba
Tunica, taxilli, mons, calix, palmaque nummi,
Haec sunt arma, quibus flectitur omne genu.

* *
*

Christe, per haec arma, quaeso, me virtutibus arma,
Arma Iesu Christi defendant nos a nece tristi
10. Cunctos cernentes, contrito corde petentes.

Cod. Vindobonen. 4106. saec. 15. — 4 forpex. — 7 sunt arma Iesu, quibus. — In derselben Hs. finden sich noch die folgenden Verse:

Portans secum arma digne
A periculis et igne
Et ab aquis est securus,
Cum est vitam redditurus,
Sacramentis non carebit
Nec daemonia pavebit.
Mulier in partu stricta
Portans secum arma picta
Contuenda reverenter
Mox solvetur eius venter.

83. De Armis Christi.

1. O crux, salve, pretiosa
Ferens mundi gaudia,
Salus, vita gratiosa,
Mundi spes et gloria.

2. O diadema spineum,
Christi cruore roseum,
Qui sceptri per ludibrium
Iudaeis fit opprobrium;

3. A quibus est flagellatus,
Virgis caesus et potatus
Diro fellis poculo,
Captus, palmis vulneratus,
Sputo laesus, adligatus
Columnae pro populo.

4. Cuius latus perforatum,
Corpus veste spoliatum
Pendet clavis vulneratum
In cruce pro homine.
Iesu bone, tuae crucis
Serva servos et in lucis,
Hac de vita quos deducis,
Fac gaudere gloria.

Oration. ms. S. Mariae ad Scotos anni 1410. Cod. Scot. Vindobonen. 54 h 8. A. — Clm. Monacen. (ol. Schiren.) 17466. saec. 15. add. saec. 14 (Vorsetzblatt). B. — Oration. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen.

20124. C. — Orat. Sangallense 485. saec. 15. D. — 1, 2 Fehlt A; Vera ferens gaudia D. — 2, 3 Qui susceptus per D. — 3, 1 A quibus et B. — 3, 4 verberatus A, D. — 3, 5 Sputis C. — 4, 5 O Iesu bone D. — 4, 6 servos in aeternae lucis A; servos aeternae lucis B,D. — 4, 7 Ac de vita qua B; de via qua D. — 4, 8 in gloria C.

„De armis Christi oratio, [quam] qui dixerit meretur L annos indulgentiae.“ A.

84. De Sepulcro D. N.

1. Salve, sepulcrum nobile,
Tu plenum es aromatum,
Tu manas in dulcedine,
In te Dei deliciae.

2. In te pater et filius,
Sanctus quoque paraclitus
Humanitate socia
Sumunt amplexus et oscula.

3. In te quiescit unicus
Caelestis leonis catulus,
Quem iubilando resuscitat,
Dum „surge, surge“ clamitat.

4. Cum tuba haec intonuit,
Caro eius refloruit
Claritate mirifica
Resumpta divina anima.

5. O anima sanctissima,
Quae confregisti tartara,
Animam meam visita
In exitus suae hora.

6. Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Orat. ms. Caeciliae Hughen anni 1524. Cod. Stuttgartien. (ol. Miss. Hamburgen.) 1b 22. — Caecilia Hughen war Nonne in Neukloster bei Buxtehude.

85. Salutatio resurgentis Domini.

1. Salve, Iesu, agne paschalis,
Tu victima legalis,
Tu iubilus mentalis
Et cantus nuptialis.

2. Amorem vincens cordium
Et augens desiderium,
Tu gaudiorum gaudium
Te desiderantium.

3. Tu es pulcher flos paschalis,
Agonista triumphalis,
Rex et sponsus immortalis,
Cui nullus est aequalis.

4. Tu campi nostri flosculus
Purpureus et floridus,
Quinque vernans foliis
Tinctis colore sanguinis.

5. Tu lilium convallium
Spirans odorem suavissimum,
Nomen tuum oleum
Effusum et balsamum.

6. Iesu, rosa et viola,
Eloquia tua suavia,
Extendens os et brachia,
Praebens amplexus et oscula.

7. Ostende tuam faciem
Nobis desiderabilem,
Iucunda redde pectora
De tua morte turbida.

Orat. ms. Caeciliae Hughen anni 1524. Cod. Stuttgartien. (ol. Miss. Hamburgen.) 1b 22. — 2, 1 Morem vincens. — 5, 4 est balsamum. — 7, 4 turpida.

86. De Resurrectione D. N.

1. Gloria tibi, Domine,
Qui matutino tempore
Illuxisti de tenebris,
Surrexisti a mortuis.

2. De morte factus potior
Mortem vicisti fortior,
Tu innumerabilia
Eripuisti spolia.

3. Remotus ensis flammeus
Atque Cherubim igneus,
Est paradisus redditus
Ac regni caeli aditus.

4. Per te nostra mortalitas
[Est facta immortalitas]
Est tua resurrectio
Ad vitam reparatio.

5. Christe, cuius perpetuum
Est regnum et imperium,
Tui triumphi gloria
Fac nostra sit victoria.

6. Nos rediens de tartaro
Adiunge regno supero,
In tuo semper agmine
Nostrae resultent animae.

7. Concede nobis munere
Resurrectionis tuae
Per abundantem gratiam
Gaudium et laetitiam.

8. Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Orat. ms. Caeciliae Hughen anni 1524 saec. 15. Cod. Stuttgartien (ol. Miss. Hamburgen) 1 b 22.

87. De Resurrectione D. N.

1. Caro vita deifica
Triumphat in victoria,
Rex et Deus deorum
Surrexit hic in gloria,
Non ultra fert opprobria
De plebe Hebraeorum.
Iniuste is plagatus est
Et impie damnatus est
A gente Iudaeorum,
Sed belliger fortissimus
Confractis mortis viribus
Se reddidit decorum.

2. Salve, paschae iucunditas,
Per te fit immortalitas,
Tu cunctis das honorem,
Tu gemma es et claritas,
Festorum es festivitas,
Tu patris hic splendore
Cunctorum es laetitia,
Terrena et caelestia
Te celebrant amore,
Doctorum eloquentiam
Tu vincis, sapientiam
Decore ampliore.

Orat. Caeciliae Hughen anni 1524. Cod. Stuttgartien. (ol. Miss. Hamburgen.) 1b 22. — 1, 11 Effractis.

88. De Resurrectione D. N.

1. Imago trini numinis
et forma claritatis,
Qui illustras Ierusalem
et domum caritatis,
Tu plenitudo gaudii
redemptis et vocatis,
Qui contemplantur laetius
te Deum maiestatis.

2. Ave, caeli speculum
et donum aeternorum,
Qui trahis in te suavius
aspectum beatorum,
Tu olim maculatus es
per sputa impiorum,
Pro me, pie, caesus es
palmis perditorum.

3. Nunc, o lumen caelicum
et vultus deitatis,
Te redde desiderio
universitatis,
Quem hoc die gaudii
nostrae sollemnitatis
Exspectat amor omnium
ut regem aeternitatis.

4. Guttur suavissimum,
organum caelorum,
Quod pro me raucum reddidit
labor tormentorum,
Te saluto intimis
votis praecordiorum,
Per quem reserata sunt
bona secretorum.

5. Aures nobilissimae
insignis auditoris,
Quae non spernunt pauperis
precem peccatoris,
Repletae sunt opprobriis
in tempore maeroris,
Sed nunc abundant gaudio
in laudibus honoris.

6. Dum dies excellentiae
invexit iucunditatem
Et pro contemptus genere
dat sublimitatem,
Dum verbum ens altissimi
audit paternitatem:
Mea surge gloria,
assume claritatem.

7. Odor suavis narium
caelestis odoratus,
Quae cordium dulcedine
fit saepe delectatus,
Sed impiorum sordibus
est quondam molestatus,
Est in caelesti gloria
nunc plene dulcoratus.

8. Salve, os dulcedinis
et dilectionis,
Tu placas iram perditis
divinae ultionis
Per haustum amarissimae
murratae potionis
Pro amaritudine
exspirationis,

Quam de torrente biberas
in via passionis.

Orat. ms. Caeciliae Hughen anni 1524. Cod. Stuttgartien. (ol. Miss. Hamburgen.) 1 b 22. — 3, 7 Exspecta. — 5, 3 spernunt vocem pauperis. — 5, 4 non precem.

89. De Resurrectione D. N.

1. Cum verbum carnem induit,
Agnosci tunc non potuit,
In mundo conversatus
Incommoda sustinuit,
Ut clemens ipse voluit
Mortalitati datus,
Caelestis decor latuit,
Nec manifeste patuit
Sub tegmine velatus.

2. Praecordialis suavitas,
O paschalis sollemnitas,
Te amo corde toto,
Tu semper in memoria
Auges [desideria]
In animo et voto.

3. Infinita praeconia,
Nec dicta neque litera
Te plene collaudabunt,
Affectus trahis mentium,
Os psallit et cor iubilum,
Te intima amabunt.

4. Tu [das] regi gloriam,
Tu das excellentiam,
Tu facis imperare;
Qui fuit contemptibilis,
Factus est mirabilis,
Dum incipit regnare.

5. Mortale habitaculum
Refloruit perlucidum
Virtutis tuae gratia,

Mirari non sufficiunt
Hic ipsi, qui aspiciunt
Surgentem absque mora.

6. In sua se resuscitat,
Qui omnia vivificat,
Verbo et voluntate;
Qui pauper esse voluit,
Per te honorem recipit
Perfectus deitate.

7. Qui fuerat passibilis,
Factus est insolubilis
Per tuam potestatem,
Qui in carne virginea
Est olim passus aspera,
Recepit maiestatem.

8. Perfectio et claritas
Summorum et sublimitas,
Sanctorum plenitudo,
Vivum cordis gaudium,
Angelicum miraculum
Dum vident reformatum,
Qui formam servi induit,
Dum terras nostras adiit,
Pro nobis inclinatum.

9. Deducis hunc ad propria
Per tua tanta opera,
Quae novit cor secretum,
Quod tuo forti pectore
Exsultavit mirifice
Dulcedine repletum.

Orat. ms. Caeciliae Hughen anni 1524. Cod. Stuttgartien. (ol. Miss. Hamburgen.) 1 b. 22. — 2, 3 toto corde. — 2, 6 vota. — 7, 4 Qui fehlt. — 7, 5 Qui est olim. — 2, 9 inclinatus.

90. De Resurrectione D. N.

1. Caput honorabile,
tremendum creaturis,
Quod est laudabile
prae omnibus naturis,
Diadema spineum
portavit cum puncturis.
. . . . . .
. . . . . .

2. Exaltatur hodie
corona laureatum,
Gestat sertum regium
gemmis adornatum,
Ut carus regis unicus
excepit principatum
Et pro laboris munere
regium potentatum.

3. O inclita iucunditas
paschalis dignitatis,
Merito diligeris,
o decus deitatis,
Per te rex agnoscitur
universitatis,
Qui olim visus est
homo paupertatis.

4. Magna luminaria
hic claustra oculorum,
Quae sunt caeli specula
et splendor angelorum,
Pro nobis caligaverant
prae fletibus dolorum,
In morte obdormiverant
de fructibus laborum.

5. Nox ista pretiosa,
dum spargit suavitatem,
Homines potenter excitat
dans illis claritatem,
Ut iucunde videant
verbi maiestatem,
Cum ornatum recipit
in proprietatem.

Orat. ms. Caeciliae Hughen anni 1524. Cod. Stuttgartien. (ol. Miss. Hamburgen.) 1 b 22. — 3, 2 dignitas. — 5, 3 Lies: Omnes potenter?

91. De Resurrectione D. N.

1. Corpus innocentiae
datur monumento,
Sepulturae traditur
debito lamento
Humiliatum nimium
mortis in tormento,
Sed haec cuncta tristia
vertuntur in momento.

2. Cum diva sapientia
emisit nova mella,
Effundens nobis dulcia
de cordis sui cella,
Dum post peracta proelia
et virtutis bella,
Virago ista meruit
praeconia novella.

* * *

3. Centuplicavit gaudia
in forma deitatis,
Oblitus est praeterita
carnis infirmitatis,
Vestivit se honoribus
totius dignitatis.

4. Iam non in memoria
erunt [nunc] priora,
Ecce, nova omnia
et iucundiora,
Dum meliora suscipit,
et quam meliora!

5. Vulnerum diversitas
duplicia suscepit,
Dum hic honorificatus
(quo) paululum defecit,
Salutis nostrae mystica
dum strenue perfecit.

Orat. ms. Caelicae Hughen anni 1524. Cod. Stuttgartien. (ol. Miss. Hamburgen.) 1 b 22. — 1, 6 morte. — 4, 1 Iam non erunt in. — 4, 2 erunt fehlt hier.

92. Oratio de Resurrectione Christi.

1. Salve, resurrectio
sancta redemptoris,
Perfecta ereptio
cosmi transgressoris,
Grata tu refectio
hominum erroris
Potensque deiectio
hostis deceptoris.

2. Tu vere sollemnitas
es sollemnitatum,
Gratiae ac gloriae
fructum ferens gratum,
Relevans salubriter
hominem prostratum,
Dans ei veraciter
verum caelibatum.

3. Ut leo suum catulum
Iesum suscitasti,
Sicut phoenix parvulum
cibo reparasti,
Velut Samson tumulo
captum liberasti,
Ionam ventre belluae
clausum revocasti.

4. Tua resurrectio
nostrae sacramentum,
Effectus erudiens,
causa et exemplum,
Tollens quoque pleniter
nostrum detrimentum,
Humani ambigui
clarum argumentum.

5. Quod surgis in triduo
nec ultra moraris,
Nec prius anticipas,
verus ostendaris.
Homo Deus, qui, ut vis,
morte molestaris
Ac resurgens protinus
potens comprobaris.

6. Omnemque miseriam
surgendo deponis,
Clauso quoque tumulo
documen das bonis
Fidei de virgine
matre Dei donis,
Cuius puerperium
expers rationis.

7. Sic et ad discipulos
ostiis intrasti
Clausis ac ad integrum
ipsis reparasti
Fidem sumens, commedens,
lateris monstrasti,
Manum, pedum vulnera,
pie roborasti.

8. Resurgis veraciter
quidquam non passurus
Neque pro hominibus
ultro moriturus,
Doces haec salubria
cum tuis mansurus,
Promittis caelestia
semper regnaturus.

9. Tunc et limbum visitans
infernum praedaris,
Captos tuos liberans
blande consolaris,
O desiderabilis,
diu praestolaris,
Patres clamant: solve nos,
quia dominaris.

10. Tunc horrendi daemones
iustius elisi
Resistendum gloriae
regi sunt advisi,
Angelorum agmine
tormentis divisi,
Eductique singuli
nimium gavisi.

11. Suscitatus appares
bis ter prima die
Primoque prae omnibus
Magdalenae Mariae;
Diligit ardentius,
testes eius viae
Sunt, ut multum quaeritat,
invenit et pie.

12. Mulieres humiles
Simon oboedientes,
In Emaus pauperes
clausi paenitentes
Quinquies diebus aliis
plura invenientes,
Thomae cum discipulis,
notat ambientes.

13. Signant in piscapio
divi praedicantes,
Monte Thabor visitas
viros contemplantes,
Increpas et undecim
dure concertantes,
Ascendens sic corpore
deseris tristantes.

14. Sunt et tres residuae
apparitiones,
Licent evangelicae
non dicant lectiones,
Patrum has veridicae
tradunt rationes,
Creduntque haud dubie
omnes nationes.

15. Dicuntque, quod claruit
surgens primo die
Ioseph, Alphaei Iacobo,
virgini Mariae,
Conresurgunt plurimi
apparentes pie,
Paradisum comeunt
sono harmoniae.

16. Nunc, rex caelo praesidens,
virtutum augmentum
Dona nobis, suggerens
vitae ornamentum,
Mens constanter adpetat
gratiae fomentum
Semperque desideret
caeli ad concentum.

17. Iesu, spes, solacium,
sacrum nobis flamen
Mitte, patrem supplica,
semper da solamen,
Christe, et oboediens
amoris conamen
Ac post hoc exsilium
sanctis confer. Amen.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19354. saec. 15. — 13, 6 concenantes.

93. De Corpore Christi.

1. Ave, Iesu, pastor bone,
Qui tuos commestione
Pascis carnis propriae,
Quam devote manducare
Atque digne salutare
Mihi detur hodie.

2. Ave, caro Christi viva,
Sanitatis effectiva,
Virtuosa, sapida
Piae menti, quae te amat
Et suspirans ad te clamat
Fame tui languida.

3. Ave, caro, cibus grandis,
Ad salutem educandis
Datus exsulantibus,
Ut in via sustententur,
Donec plene satientur
Iuncti caeli civibus.

4. Ave, panis, quo Elias
Confortatus grandes vias
Montis Dei ambulat,
Posce mentem consolando,
Quae ad caelos properando
Carnis massam baiulat.

5. Ave, caro delicata
Deitatis, saginata
Adipe dulcissima,
Tu mel petrae, lignum vitae,
Man caeleste, corpus mite,
Veritatis azyma.

6. Ave, caro Christi crassa,
Igne passionis assa
Crucis in craticula,
Cuius gustu saporatum
Horret animae palatum
Aliena fercula.

7. Ave, grande condimentum,
Brevi vasculo contentum,
Medullatum epulum,
Grandis lasso via restat,
Exspectatio molestat,
Da gustare pabulum.

8. Ave, similago pura,
Liba frixa assatura
David et coliria,
Per te cordium albescant
Fusca, tepida calescant,
Impinguescant marcida.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

94. De Corpore Christi.

1. Ave mundi pretium,
Sanguis salvatoris,
Ave salus gentium,
Vita redemptoris.

2. Ave, spes fidelium,
Fons caelestis roris,
Crucis per supplicium
Sparsus mundo foris,
Sis, Iesu, praesidium
Nobis cunctis horis.

3. Ave, sanguis salvatoris,
Me defendas cunctis horis
Ab hoste nefario,
Ut post exitum laboris
Me iungas sanctorum choris
In tuo rosario.

4. Ave, sacer Christi sanguis,
Iter rectum malis pandis
Ad aeterna gaudia,
Ave, potus salutaris,
Nunquam fuit nec est talis
Bonitatis copia.

5. Miserere mihi, Christe,
Fiat mihi rivus iste
Peccatorum venia,
Serva me ab omni malo,
Fac me frui summo bono
In caelesti gloria.

Orat. ms. Underdorfense saec. 15. Clm. Monacen. 7815. — 5, 5 Et fac.

95. De Corpore Christi.

1. Ave, rex, [o] bone Iesu,
Panis vive, cuius esu
Fit pinguior, fit gratior
Noster homo interior.

2. Ave, vinum verae vitis,
Sanguis Christi, panis mitis,
Emunda nos, fecunda nos
De Israelis fontibus.

3. Ave, mundi recreator,
Terrae, maris fabricator,
Cor labile fac stabile
Tentationis tempore.

4. Ave, lumen angelorum,
Vigil oculus caecorum,
Insidias praevideas,
Ne me seducat Satanas.

5. Ave, mortis triumphator,
Christe, gentium salvator,
Da fidem, da spem
Cum caritate, fili Dei.

6. Ave, vita beatorum,
Dulce praemium laborum,
Ad gaudia stabilia
Duc me post exsilia.

Cod. Londinen. Arundel 374. saec. 13/14. — 5, 3 sq. verdorben?

96. De Corpore Christi.

1. O Christe, dum nos reficis
Pane sancto filiorum,
De servis filios facis,
Cum panem das angelorum.

2. Gratias tibi Domine,
Qui tuo sacro corpore
Et pretioso sanguine
Me refecisti hodie.

3. Carnem tuam dans in cibum
Atque sanguinem in potum,
Ut reficeres aegrotum,
Te mihi dedisti totum.

4. O beata refectio
Atque mira dilectio,
Dum pauper servus manducat
Christum, qui in caelis regnat.

5. Christe, qui me refecisti
Pane, quem mihi dedisti,
Per mortem, quam pertulisti,
Serva me a morte tristi.

6. Sanguis, qui die Veneris
Effusus es pro miseris,
Ignem exstingue Veneris,
Ne damnemur cum impiis.

7. O caeleste convivium,
O beatorum gloria,
O requies humilium,
Aeterna refer gaudia.

8. Patri, nato, paraclito
Sit laus, honor et gloria
Eiusque matri merito,
Lux nobis, pax et gratia.

Orat. ms. Thosanum saec. 15. Cod. Bruxellen. 4948.

97. De Corpore Christi.

1. Ave, manna virginale,
Manna novum et legale,
Quod nulli sapit homini
Nisi palato virgini.

2. Gaude, felix et invicta
Cum melle ferens symmicta,
Cum lacte bibens balsamum
Intra amoris thalamum.

3. Quem tua pascis specie
Dilectum in meridie,
De cuius mensa regia
Vivit omnis ecclesia,
Da nobis Deum sapere,
Eius amore vivere.

4. Gaude, per quam panis caeli
Vero datur Israeli,
Quem nulli licet edere,
Qui non scit diligere,
Cuius panis angelici
Ut tam pii viatici
Nos repleas pinguedine.

5. Nobis ostendi nuptias
Sponsi et sponsae [facias],
Maria, dulci patria
Vitae fructu nos satia.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. $^{14}/_{15}$. — 1, 3 nullo. — 1, 4 Nisi placate. — 2, 2 ferens simila. — 3, 1 tu pascis. — 4, 4 fehlt eine Silbe; lies sciat diligere? oder scit hunc diligere? — 5, 1 ostende.

98. Salutatio ad Sacramentum Altaris.

1. Ave, vita beatorum,
Viaticum viatorum,
Ave, mundi pretium.

2. Ave, gustus tu vitalis,
Vitae dator immortalis,
Ave, salus hominum,
Tu perficis te edentes,
Deificas te sumentes,
O sacrum edulium.

3. O victima victimarum,
O sanitas animarum,
Sanctissima hostia,
Sanctus, sanctus, sanctus Deus,
[Deus] et salvator meus,
Iesu, nostra gloria.

4. Tu es Deus in natura,
Qui es sub panis figura
Et sub vini specie,
Qui es natus de virgine
Et es passus pro homine,
Tu es hic identice.

5. Sane credo et sincere,
Quod prolatis verbis vere
Sacris per sacrificem
Panis transsubstantiatur,
In carnem Christi mutatur
Et vinum in sanguinem.

6. Super aquas qui firmavit
Terram, ille sic patravit,
Ut stent accidentia
Sine suo fundamento,
Sine sede et subiecto
Diva providentia.

7. Benedictus, qui venisti,
Crucifixus qui fuisti
In salutem populi,
Ecce, Dei salutare,
Ecce, mundi luminare
Vident mei oculi.

8. Summe Deus, te laudamus,
Sacramentum adoramus
Summo cultu latriae,
Supplicesque [te] rogamus,
Praesta nobis, ut vivamus
Iuste, pie, sobrie.

9. Iesu Christe, te pulsantes
Et pro suis flagitantes
Audi facinoribus,
Iure si vis oppugnare,
Peccatores liberare
Quis potest e manibus?

10. Eia, fide recta rata,
Caritate informata
Fac nos in te credere,
Mentis purae cum fervore
Depuratae in dolore
Digne da te sumere.

11. Age, pie Iesu Christe,
Ut vilescat mundus iste
Cum concupiscentia,
Mentes nostras in te siste,
Gloriose Iesu Christe,
Sancta eucharistia.

12. Fac nos in te transformari,
Voluntati conformari
Tuae tua gratia,
Iter sequi fac virtutis
Et in actibus salutis
Da perseverantiam.

Finem bonum praesta nobis,
Abs peccato mori quovis,
Da post vitae gloriam.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen 4° 29.

99. De Corpore Christi.

1. Ave, vale, o vitale
Sacramentum, quo contentum
Est donum mirificum,
Caeli panis sanctus sanis,
Priscum manna, fluens canna,
Sanguinem vivificum.

2. Ave, agne Dei magne,
Holocaustum vere faustum,
Ad quaevis sufficiens,
Qui in crucis ramo trucis
Immolaris et mactaris,
O fons indeficiens.

3. Ave, Iesu, in hoc esu,
Deus verus et sincerus,
Homo esse crederis,
Nec hic tamen solus: flamen.
On et pater cum te, frater,
Est unius foederis.

4. Ave, tibi hic et ibi
Sancti astant, qui devastant
Hostes, rex pacifice,
Dirigendo et fovendo,
In hoc salo me a malo
Libera magnifice.

5. Ave, caro cara gnaro,
Ave, sanguis Christi, anguis
Hostem necans lividum,
Hac finita mea vita
Me dignare mox vocare
Ad te solem vividum.

Scala Caeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. — 1, 1 Ave, salve.

100. De Corpore Christi.

1. Iesu benignissime,
fons amoris casti,
Tu mortales homines
in tantum amasti,
Quod te ipsum credulis
in cibum donasti
Et, ut tui memores
te sumant, mandasti.

2. Christe benignissime,
fili summi Dei,
Precor, indignissimi
miserere mei,
Tantum caritatis da,
fidei et spei,
Ut digne mysterium
sumam tantae rei.

3. Quid hinc reddam gratiae,
quod me sic dotasti,
Quem tu ministerio
tanto deputasti
Ac indignum miserum
semper tolerasti
Et cum tuis famulis
manere donasti.

4. Heu, mihi, quid faciam,
o summa dulcedo,
Quia indevotus sum,
dum te ipsum edo?
Heu, nimis culpabilis
et durus accedo,
Heu, ad illud durus sum
durusque recedo.

5. O Iesu, quid faciam
vermis et putredo,
Cuius mentem opprimit
peccati nigredo?
Me ministrum dignum fac,
Deus, in quem credo,
Pro amore virginis
matris intercedo.

6. Mirum est certissime,
quod te comedendo
Anima non liquefit
pure diligendo,
Sed, heu, e contrario
dura est tependo
Nec mollire valet se
paululum deflendo.

7. Parce mihi, Domine,
pie tribuendo,
Ut compungi iugiter
queam te sumendo,
Semper matrem virginem
diligam colendo,
Tuam cenam ultimam
in mente tenendo.

Orat. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Londinen. Reg. 2 A II.

101. De Corpore Christi.

1. Ave, verbum incarnatum,
In altari consecratum,
Verus panis angelorum,
Salus, spes christianorum.

2. Salve, corpus Iesu Christi,
Qui de caelo descendisti
Pro vera mundi salute,
Libera nos servitute.

3. Salve, caro sancta Dei,
Per quam salvi fiunt rei,
Servos tuos redemisti.
Dum in cruce pependisti.

4. Unda, quae de te manavit,
A peccato nos mundavit,
Quod peccavit primus homo
Inoboediens in pomo.

5. Sancta caro, tu me munda,
Sanguinis benigna unda,
Lava me ab omni sorde
Et ab infernali morte.

6. Frange meos inimicos,
Fac mihi eos amicos
Nec non et fastum eorum
Destrue, rex angelorum.

7. Tu, qui es salutis portus,
Praesta mihi tuum corpus,
In exitu meae mortis;
Libera me, Deus fortis,

8. A leone rugiente
Et dracone furiente;
Sedem da mihi iustorum
Saecula per saeculorum.

Collect. ms. Benedictin. saec. 14. in. Cod. Palat. Vindobonen. 1054. (Die Hs. gehörte einem Stifte, dessen Kirche 974 geweiht wurde.) A. — Brev. ms. Arremarense saec. 15. Cod. Parisin. 1063 B. — Miss. ms. Garsten. saec. 12. add. saec. 14. Cod. Lincen. Γ o 15. C. — Cod. St. Petri Salisburgen. a VI 35. saec. 15. D.

Str. 1 und 2 fehlen C; umgestellt B. — 1, 3 Panis vivus B, D. — 1, 4 Vita spes B; Spes et salus infirmorum D. — 2, 1 Ave corpus Christi B. — 2, 2 caelis B. — 2, 3 Nostra mundi pro salute B; 2, 3 sq. Populum tu redemisti Dum in cruce pependisti (cfr. 3, 3 sq.) D. — Str. 3 und alle folgenden fehlen D. — 3, 1 sancta caro B, C. — 3, 2 Per te B. — 4, 4 de pomo C. — 5, 1 tu me salva C. — 5, 2 Sanguis et benigna A. — Sacrati sanguinis unda B. — Vor 6, 1 schiebt C ein:

Per tuam sanctam pacem Dona mihi sanitatem,
Per tuam benignitatem Dona prosperitatem.

Ähnlich, aber nur 2 Verse, A: Ac per tuam sanctam pacem Da mihi prosperitatem; ebenso B vor 7, 1 mit der Variante: Et per tuam sanctitatem etc. — 6, 1 Placa B. — 6, 2 Et fac A; Et eos mihi fac C. — 6, 3 Et superbiam eorum B, C. — 6, 4 Tu destrue A. — 7, 2 Dona mihi C. — 7, 3 In extremo C. — 7, 4 Salva me tu C. — 8, 2 A dracone C; saeviente A. — Nach 8, 2 schiebt B ein: Et ab infernali morte = 5, 4. — 8, 3 Concede sedem iustorum A; Da mihi sedem B. — 8, 4 Qui regnas deus angelorum (cfr. 6, 4) A; Per saecula saeculorum B.

102. De Corpore Christi.

1. Salve, verbum incarnatum,
Hic in ara consecratum
Et pro nobis immolatum.

2. Salve, panis angelorum,
Salve, cibus electorum,
Dulcis gustus supernorum.

3. Salve, caro Iesu Christi,
Quae de morte redemisti,
Quos in fine dilexisti.

4. Salve, sanguis pretiose,
Rogo, lava copiose,
Quod commisi vitiose.

5. Salve, Iesu, fili Dei,
Tota salus meae spei,
Rogo, miserere mei.

6. Rogo, fac me manducare
Carnem tuam, qua mundare
Me digneris et sanare.

7. Sis virtutum incrementum,
Vitiorum purgamentum,
Contra hostes firmamentum.

8. Praesta mihi veram pacem,
Carnis, mentis sanitatem,
Panis vitae suavitatem.

9. Et da mihi sensum purum,
Fac in morte me securum,
Post hanc vitam intraturum
In caeleste gaudium.

Cod. Lambacen. 463. saec. 14.

103. De Corpore Christi.

Ave, verum corpus Christi,
Qui nos tuo redemisti
Pretioso sanguine;
Ut pius et propitius
Respice pater super nos
Mortis in examine.

Cod. Trecen. (ol. Claravallen.) 1612. saec. 15.

104. De Corpore Christi.

1. Salve, summum sacramentum,
Sensum meum fac intentum
In te omni tempore.

2. Salve, verum sacramentum,
Per quod nobis est ostensum
Lux aeternae gloriae.

3. Salve, dulce sacramentum,
Spiritale condimentum
Corporis et animae.

4. Salve, firmum sacramentum,
Tutum nobis firmamentum
Sis nunc et in perpetuum.

Oration. ms. Tegurinum anni 1467. Clm. Monacen. 19991. —

105. De Corpore Christi.

1. Ave, vivens hostia,
Veritas et vita,
In qua sacrificia
Cuncta sunt finita,
Per te patri gloria
Datur infinita,
Per te stat ecclesia
Iugiter munita.

2. Ave, vas clementiae,
Scrinium dulcoris,
In quo sunt deliciae
Caelici saporis,
Veritas substantiae
Tota salvatoris,
Sacramentum gratiae,
Pabulum amoris.

3. Ave, manna caelicum
Verius legali,
Datum in viaticum
Misero mortali,
Medicamen mysticum
Morbo spiritali,
Morte dans catholicum
Vitae immortali.

4. Ave, corpus Domini
Et munus finale,
Corpus iunctum numini,
Nobile iocale,
Quod reliquit homini
In memoriale,
Cum finali termino
Mundo dixit vale.

5. Ave, plenum gaudium,
Vita beatorum,
Pauperum solacium,
Salus miserorum,
Grande privilegium
Est hoc viatorum,
Quorum sacrificium
Merces est caelorum.

6. Ave, virtus fortium,
Obvians ruinae,
Turris et praesidium
Plebis peregrinae,
Quam insultus hostium
Frangere non sine,
Ne vi malignantium
Pereat in fine.

7. Hic Iesus veraciter
Duplex est natura,
Non est partialiter
Nec solum figura,
Sed essentialiter
Caro Christi pura
Latet integraliter
Brevi sub clausura.

8. Caelo visibiliter
Caro Christi sita,
Forma panis aliter
Latet hic vestita,
Solus novit qualiter,
Hanc qui ponit ita,
Potest hoc faciliter
Virtus infinita.

9. Sumptum non consumitur
Corpus salvatoris,
Idem totum sumitur
Omnibus in horis,
Forma panis frangitur
Dente comestoris,
Virtus carnis sugitur
Morsibus amoris.

10. Christus nihil patitur
Huius laesionis,
Forma panis solvitur
Vi digestionis,
Tunc si Christus quaeritur,
Est in caeli thronis,
Sicut vult, hinc tollitur
Datis vitae donis.

11. Hoc ardoris calculo
Veni nos ignire,
Hoc amoris stimulo
Frange motus irae,
Et eodem ferculo
Qui nos vis nutrire,
Velis cordis vinculo
Fortiter unire.

12. Moris est amantium
Invicem sitire,
Ut arcana cordium
Possint introire,
Sic vult rex regnantium
Caritatis mirae
Cibando fidelium
Intima subire.

13. O Iesu dulcissime,
Cibus salutaris,
Qui sic nobis intime
Tribui dignaris,
Mala nostra deprime
Fletibus amaris
Et affectus imprime,
Quibus delectaris.

14. Iesu, vivens hostia,
Placa maiestatem,
Sacramenti gratia
Confer sanitatem,
Pauperum substantia,
Da aeternitatem,
Domini memoria,
Fove caritatem.

15. Vanitatem spernere
Fac nos, consolator,
Hostes dona vincere,
Christe, propugnator,
Et quod doces credere,
Iesu reparator,
Per te tandem cernere
Da, remunerator.

Orat. ms. Arnesti de Pardubic ca. 1350. Cod. Mus. Bohem. XIII C 12. A. — Scala caeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. B. — Cod. Lambacen. 463. saec. 14. C. — Cod. Mazarin. 1348 A. saec. 15. D. — Miss. ms. Vallumbrosan. anni 1471. Cod. Laurentian. Conv. sup. 232. E. — Cod. S. Petri Salisburgen. b VII 10 anni 1470. K. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19354. saec. 15. G. — Oration. ms. Heilsbronnen. saec. 15. Cod Frlangen. 770. H. —

Oration. Erphesfurten. saec. 15. (Privatbesitz) I. — Collect. ms. Campense saec. 14/15. Cod. Palat. Vindobon. 883. K. — Collect. ms. Benedictinum saec. 14. in. Cod. Palat. Vindob. 1054. L. — Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. M. — Orat. ms. Gerundense saec. 15/16. Cod. S. Felicis Gerunden. s. n. N. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20 123. O. — Cod. Londinen. Reg. 2 A II. saec. 15. P.

1, 3 Per quam L. — 1, 5 und 6 fehlen L. — 1, 8 unita A. — 2, 5 Virtus substantiae D. — 2, 5 sq. und 2, 7 sq. umgestellt L. — 3, 7 Vere dans BC; Morem dans F. — 4, 2 Munus et AL. — 4, 4 locale C. — Str. 4 steht hinter 6 FL. — 5, 4 Honor miserorum CL. — 5, 8 Est merces L. — 6, 7 Ne vis ABCL. — 5, 8 Pereat divine BC; Praeeat A. — Str. 7 und 8 umgestellt L. — 7, 3 Nec est B. — 7, 5 Sed est spiritaliter C. — 8, 4 Latens D. — 8, 7 Ponitque faciliter B; Potest quod faciliter L. — Str. 8 ff. fehlen D. — 10, 3 panis frangitur L. — 10, 5 Si nunc Christus C. — Str. 11 und 12 umgestellt F. — 12, 1—4 und 5—8 umgestellt E. — 13, 3 Sicut nobis intime E. — Nach Str. 13 schaltet B ein:

Cunctis venerantibus istud sacramentum
Nobis et credentibus fiat nutrimentum,
Devotis sumentibus sit delectamentum,
Cunctis adorantibus fiat adiumentum.

Dieselbe Strophe, aber in abweichender Form, führt F:

Nobis consecrantibus istud sacramentum
Et cunctis credentibus fiat nutrimentum,
Devote sumentibus sit delectamentum,
Omnibus negantibus fiat detrimentum.

14, 1 O Iesu vivens L. — 15, 3 doce vincere L. — 15, 4 sq. Iesu et quod doces vere reparator L. — Nach Str. 15 folgen in F noch folgende zwei Strophen:

Ave, simplex deitas trinae unitatis,
Te laudamus, trinitas, hostiis beatis,
Nos adfligit pravitas fame egestatis,
Dapes nobis inclitas da aeternitatis.

Vita, salus, gaudium, spes universorum,
Tu merces et praemium, salus beatorum,
Tibi laudes omnium corda devotorum
Concinunt in saecula et in saeculorum.

Verfasser des Liedes ist Iohn Peckham. „Et qui hanc praescriptam orationem devote dixerit ac pro Conrado Contuariensi [!] oraverit, quadraginta dies criminalium obtinebit.“ B. — „Devota meditatio de sacramento altaris, edita a fratre Iohanne Pictaviensi [!], archiepiscopo Cantuariensi, ordinis minorum.“ D. — „Sequitur oratio optima de sacramento altaris Iohannis de Pitsthano [!], ad quam Iohannes XXII contulit tres annos indulgentiarum, Nicolaus papa unum annum et 300 dies mortalium et octingentos dies venialium.“ H. — „Reverendus magister, dominus Iohannes de Sichem [!], archiepiscopus Cantuariensis, magister in theologia, ordinis fratrum minorum, ordinavit sequentia.“ KM. — „Carmen Alberti magni de corpore Christi.“ O. Völlig gleichlautend findet sich diese Notiz im Orat. ms. saec. 15 Cod. Cremifanen. 394. — „Explicit devota meditatio de suavissimo sacramento et eius utilitatibus cum explicatione fidei, devotis mentibus ruminanda, edita a fratre Iohanne de Pechano archiepiscopo Cantuariensi et primato [!] totius Angliae, ordinis minorum.“ P.

Vergl. Morel 54 (aus dem Cod. Engelbergen. 314. saec. 14; Morel's Text weicht an ca. 20 Stellen von der Hs. ab. Diese Abweichungen bezw. die Varianten der Hs. zu verzeichnen, schien belanglos): Roth. 35 (vier Strophen); Mone Nr. 230 (drei diesem Liede entlehnte Strophen). In dem

1516 gedruckten Brevier von Chiemsee ist das Lied als Hymnus (auf Matutin. und Laudes verteilt) angewendet. In einem Orationale Campoliliense saec. 15. Cod. Campolilien. 2. ist es verteilt zu einem *Cursus de corpore Christi*, und zwar für jede Tagzeit je zwei Strophen mit der Doxologie:

Gloria tibi, Domine,
Nos pascens cottidie
Corpore quoque et sanguine
Tuo rex piissime,
Cum patre sanctoque spiramine
Regnans invictissime,
Fac nos collaudare te
Nunc et in omni tempore.

106. Metra de Sacramento Eucharistiae.

Hostia praeclara cordis mactatur in ara
Estque Deo cara, quanto plus fiet amara.
Nos, quia peccamus, medicamine semper egemus;
Hanc pro peccatis medicinam semper habemus.
Viscera munda para, qui pasci quaeris in ara,
Astans altari, pia mens, gaude lacrimari,
Libens libari, sacrans curato sacrari,
Agnum sumpturus sis omni crimine purus
Nec prius hinc capias, quam flendo victima fias;
Primum te luctu, post vitae pascito fructu.
Est cum lactucis agrestibus agnus edendus
Nec nisi cum lacrimis et cum gemitu capiendus;
Lacrima dat risum, lavat artus, dat paradisum.
Cum bene plorasti, cum te lacrimis satiasti,
Mande saginatum vitulum de virgine natum;
Pastus eo rite properes ad pascua vitae.

Collectaneum ms. Sanctae Crucis saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Sanctae Crucis 155 A. — Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. $^{14}/_{15}$. B. — 1—5 fehlen B. — 9 prius hunc B; flendo vel hostia B. — 11 Et cum A. — 12 Et nisi B. — 13 lavat actus A. — 14 Tunc bene te pasti A. — 16 Castus eo rite properans ad gaudia vitae B. — Hieran schliefsen sich in B unmittelbar folgende Verse, die sichtlich ein eigenes Lied für sich bilden:

Constat in altari carnem de pane creari,
Iste cibus Deus est, qui negat, homo reus est.
Qui capit indigne, digne cruciabitur igne.
Hic cibus est mentis non implens gaudia dentis,
Hic cibus est fortis dissolvens vincula mortis,
Hic cibus est vitae; iusti, properate, venite,
Edite de vite botrum, qui gaudia vitae
Confert credenti dignos fructus facienti.

107. Oratio bona ante Communionem.

O pater noster, Iesu digne,
Alme, mitis et benigne,
Confiteor me praemalignum
Corporis tui et indignum,
Cum corpus tuum summe purum
Non exigat cor nimis durum,
Abundans sorde et peccatis,
Nil habens verae pietatis.
Nam cum non compatiantur
Contraria, sed separantur,
Vilis ego, heu, peccator,
Terrestrium cohabitator,

Animam meam maculando,
Tua mandata non servando,
Sed et peccatis adhaerendo,
Diutius his insistendo
Sic contrarius tibi factus
Propter meos malos actus,
Heu, heu, te saepe offendi,
Me contra hostem non defendi.
Quamvis tamen, Christe care,
Non sim dignus, ut intrare
Digneris domum meam foedam,
Immunditiis multis plenam,
Te invoco et imploro,
Misericordiam adoro,
Ut sicut quondam voluisti,
Cum corporaliter vixisti,
Intrare domos peccatorum
Et fugare pestes horum,
Claudis gressum reparando
Et caecos illuminando,
Pestiferos redintegrando
Et mortuos resuscitando,
Sic me misericors et fortis
Participem fac huius sortis,
Licet sim peccator vere,
Tu mei tamen miserere,
Ut sumptio corporis tui
Taliter mihi detur frui,
Quod sordis sit fugatio
Et cordis mei purgatio,
Daemonis alienatio,
Sensuum reparatio,
In bonis confortatio
Et in his perseveratio,
Ut a te non separari,
Sed semper tibi famulari
Merear, sanctis sociari,
Faciem tuam contemplari.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19636. saec. 15.

108a. Infra elevationem corporis Christi salutatio.

Ave, mirum sacramentum,
Angelorum nutrimentum,
Ave, panis animarum
Salusque salvandarum;
Veni, munus pretiosum,
Corpus Christi gratiosum,
Fac me digne te gustare,
In salutem manducare,
Nomen tuum ob famosum
Pariter et gloriosum
Venerandum et decorum
Saecula per saeculorum.

Collect. ms. Hospitalense saec. 15. Cod. Vindobonen 4347.

108b. Infra elevationem sanguinis.

Ave, sanguis Iesu Christi,
Ex cuius latere fluxisti
Fusus pro me peccatore,
Tuae bonitatis rore
Lava me a criminibus
Coniugens caeli agminibus.

Collect. ms. Hospitalense saec. 15. Cod. Vindobon. 4347.

109. Ad elevationem sanguinis Christi.

1. Salve, sacer Christi sanguis,
Iter rectum nobis pandis
Ad aeterna gaudia.

2. Ave, potus salutaris,
Nullus fuit nec est talis
Bonitatis copia.

3. Miserere mei, Christe,
Fiat mihi rivus iste
Peccatorum venia.

4. Salva me ab omni malo,
Fac me frui omni bono
In caelesti patria.

Oration. ms. Pataviense saec. 15. Cod. Gottvicen. 444.

110. Incipit oratio Iohannis presbyteri de sanguine Domini nostri Iesu Christi.

1. Salve, sanguis Christi Dei,
Dos aeterna, firma spei,
Merces, qua salvantur rei,
Vita, salus hominum;
Ave, cruor large fusus
Ad nostrae salutis usus,
Saevus hostis est detrusus
Per te Christum Dominum.

2. Nobis puer circumcisus
Es cruentus orans nisus,
Virgis, flagellis elisus,
Sanguis fluxit libere;
Grandi ludribrio daris,
Triste spinis coronaris,
Carne totus laceraris,
Cruor manat ubere.

3. Vide clavos penetrare,
Manus, pedes vulnerare
Et sanguinem distillare
Corpore poenaliter,
Impetu currit cruoris
Fons de corde salvatoris,
Lancea portam amoris
Aperit totaliter.

4. Saliunt cruor et unda,
Lavacra reis fecunda,
Gratia datur abunda
Purgans omne vitium;
Dulcis cruor, liquor suavis,
Virgis, spinis, ferro, clavis
Prorumpit, quo culpa gravis
Sumit beneficium.

5. Originale peccatum
Solvit delet et reatum,
Omne crimen perpetratum
Postulantis veniam;
Misericors miserator,
Sanguine tuo, salvator,
Cito respirat peccator
Salvatus per gratiam.

6. Iesu Christe, tu thesaurum
Pretiosum super aurum
Dedisti culpae restaurum
Largiter hominibus,
Nos hic qui perigrinamur,
Eius gustu recreamur,
A cunctis morbis sanamur
Mundati criminibus.

7. Ingens pretium solvisti
Sanguinis, quo redemisti,
Christe, lapsos quos vidisti
Mortis in interitum;
Nobilis ara salutis,
Data sexies virtutis
Opem praestat et salutis
Culpis, auget meritum.

8. Obtulisti, Christe, Deo
Patri sanguinem pro reo,
Moriens totum pro eo,
Mundum reconcilians;
Sacro sanguine beatur,
Baptismo Christi sacratur,
Unda lateris lavatur
Reus se humilians.

9. Tale munus, divum pignus,
Donas, quo reus fit dignus,
Dispensator es benignus,
Ablue me maculis;
Refice, sanguis, lassatum,
Me lava coinquinatum,
Culpae vinculis ligatum
Solvas a piaculis.

10. Instaura me peccatorem,
Tuum, Christe, per cruorem
Passionis et dolorem
Reforma, sanctifica;
Iesu, me cruore pota,
Mea mens sit ut devota,
Conscientia sit lota,
Animam vivifica.

11. Huius cursum vitae bonum
Da, me fac ad bona pronum,
Sanguis tuus me ad thronum
Introducat gloriae;
Egrotanti sit medela,
Timenti salus, tutela,
Hostis ne laedant me tela,
Signum sit victoriae.

12. Sanguis fecundet cor, mentem,
Gratia soletur flentem,
Abluat me paenitentem,
Reatum indulgeat;
Vivax cruor, vitam praesta
Puram, mundi fuga maesta,
Orna mores, actus, gesta,
Virtus in me fulgeat.

13. Confer pacem, lites plana,
Purga sensus, corpus sana,
Iusta doce, pelle vana,
Rectifica spiritum;
Rumpat nexus delictorum
Virtus sanguinis meorum,
Veritas sacramentorum
Meum salvet exitum.

14. Induratum cor compungat,
Cruor spiritum perungat,
Transeuntem me coniungat
Caelesti militiae;
Sancte pater, audi natum,
Pro me passum, immolatum,
Omni parte cruentatum,
Auctorem iustitiae.

15. Triumpho, sanguine, cruce
Iesu fisus ab hac luce
Transeam te Christo duce
Ad sanctorum aciem;
Ibi patris creatoris
Cernam, nati redemptoris,
Sancti spiritus amoris
In aeternum faciem.

16. Hoc in loco continetur
Sanguis Christi, qui medetur
Omnem aegrum, si precetur
Deum corde credulo;
Iste sanguis restauravit
Urbem hanc, quam ignis stravit,
Christus gratiam donavit
Hoc in loco sedulo.

17. Civitas ista formosa,
Fidelibus populosa
Effecta est gloriosa
Cruoris praesentia;
Praestantur hic sanitates,
Succedunt prosperitates
Felices et dignitates
Domini clementia.

18. Rex aeterne, dona pacem
Per sanguinem efficacem,
Gladium tolle minacem
In die iudicii;
Emunda cor inquinatum,
Cruor, ablue reatum,
Finem tribue beatum.
Poenam tolle vitii.

19. Sempiterna claritate,
Semper immortalitate
Potiar felicitate,
Deprecor suppliciter;
Eterno fungar thesauro,
Sacro merear restauro
Ditari caelorum auro,
Quo pergam feliciter.

20. Nova fruar visione,
Christi Dei censione,
Pro sanguinis fusione
Dona praecellentia,
Stola gemina beatus,
Dotibus septem donatus,
Perpetim glorificatus
Loco refulgentiae.

Cod. Brunswicen. 48. saec. 15. „Scriptum per manus Henrici Thoren, alias Nessellren, anno Domini 1458 in octavis beatorum apostolorum Petri et Pauli.“ — Nach dem Liede folgt Versikel und Oration: V. Omnia in sanguine Iesu Christi purgantur R. Et sine sanguine eius non fit remissio. — Deus, qui praesentem ecclesiam pretiosi sanguinis tui thesauro ditare voluisti, praesta, quaesumus, ut qui ad adorandum mysticum tuum sanguinem in loco isto convenerunt, omnium suorum peccatorum remissionem plenissimam consequantur. Qui cum Deo patre etc. Nach dieser Oration und 16, 1 dürfte das Lied wohl aus Wilsnack stammen. — 10, 6 Tua mens. — 11, 2 fac et bona. — 13, 8 salvat. —

Man beachte aufserdem das Akrostichon: „Sanguis Domini nostri Ihesu Cristi hic presens.“

III. Ad Spiritum Sanctum.

O princeps pacis et principium pietatis,
O verum lumen, retinens par cum patre numen,
Spiritus o sancte, quo constant cuncta volante,
His quoque personis unus semper specularis,
5. Ordine qui miro finis constas et origo
Leges aeternas ac solus iure gubernas,
Qui genus humanum miseratus mortificatum
Vivere fecisti pretioso sanguine Christi,
Cuius iudicio statuentur cuncta sub aequo.
10. Da sentire fidem, qua felix fert sibi finem,
Ut credam recte nec sint aliae mihi sectae
Atque sciam plane, quod iustum sit vel inane;
Spem concede mihi, qua possit vita videri;
Virtus in his prima restat dilectio bina,
15. Quam Deus infunde sub viscera cordis abunde,
Aures adverte, rogo, sint mihi semper apertae,
Ne reminiscaris delicta mei puerilis,
Sed pius ignosce factis veniam quoque posce.
Non mea mens, quaeso, laedatur more superbo,
20. Adveniat rite custos patientia vitae,
Mors et perditio discedat, ecce, libido,
Nunquam deliciis confundar crimine ventris,
Ne polluta caro somno turbetur amaro.
Obsecro, me frenas, cum videro res alienas,
25. Sint procul invidia, iactantia, lis, sed et ira,
Nec rebus vanis me laus seducat inanis,

Fructificaque, mihi quaecunque talenta dedisti,
Sicque meos mores, precor, in aetate decores,
Ut mea sit cura, quod gestat vita futura,
Ac regis veri merear sic talis haberi,
Qui sancto tecum cum flamine regnat in aevum.

Clm. Monacen. (ol. Benedictoburan.) 4549. saec. 11. — 30 tales.

112. De Spiritu Sancto.

1. Veni, sancte spiritus,
Visita nos caelitus,
Funde in nos funditus
Tuae rorem pluviae;
Veni, dulcis, dulciter,
Unge nos suaviter,
Munda nostrae iugiter
Domum conscientiae.

2. Veni, dulcis Domine,
Da frui dulcedine
Caritatis geminae,
Qui es ipsa caritas;
Veni, nostrum gaudium,
Da maestis solacium,
Da copulam cordium,
Qui es pacis unitas.

3. Veni, amor optime,
Veni, vita animae,
Veni suavissime
Amator humilium;
Veni, dator veniae,
Veni in nos hodie,
Veni, sator gratiae,
Dans reis remedium.

4. De supernis fontibus
Stilla sitientibus
Aquam vivam cordibus
Singulos reficiens,
Uni nos pax unica,
Da lucem, lux caelica,
Tuos tibi dedica,
Amor indeficiens.

5. De patre et filio
Tua est processio,
Tu es ab initio
Omnipotentissimus;
Tu creasti omnia
Caelum, terram, maria
Proportionalia,
Pacis dator optimus.

6. Tu formasti, Domine,
A mundi origine
Tuo aquas numine,
Salubris salubriter,
Vatibus veridicis
Et figuris mysticis
De adventu iudicis
Praecinens veraciter.

7. Tu obumbrans virgini
Unis Deum homini,
Ut unius numini
Homo sit homo Deus;
Tu fecundas virginem,
Rerum novas ordinem,
Ut per Deum hominem
Salvetur homo reus.

8. Tu praees virginibus,
Tu ades martyribus,
Tu das confessoribus
Gratiam pro gratia,
Per te candet castitas,
Per te fervet caritas,
Per te vitae sanctitas
Regnat in ecclesia.

9. Tu praelatos eligis,
Tu subiectos colligis,
Tu collectos dirigis,
Ut in unum habitent;
Tu es rex humilium,
Tu dux innocentium,
Tu via simplicium,
Ne a te exorbitent.

10. Tu sapores conficis,
Quibus corda reficis,
Tu nos laetos efficis
Ferre iugum Domini;
Tu nos ditas munere,
Tu nos ligas foedere,
Tu nos colla subdere
Tuo facis ordini.

11. Tuus sapor allicit,
Tuus odor afficit,
Tuus viror reficit
Nostrae mentis oculos;
Tua dulcis unctio,
Omni plena gaudio,
Forti desiderio
Trahit te ad parvulos.

12. Tu dissolvis odia,
Tu extinguis iurgia,
Tu unis contraria,
Artifex mirabilis;
Tu adversa temperas,
Tu incepta prosperas,
Tu signata reseras,
Doctor invisibilis.

13. Tibi ergo canimus,
Tibi corda pandimus,
Tibi manus tendimus
Nova danti munera;
Tu nos in te refice,
Tu nos tales effice,
Quales scis a iudice
Locandos in dextera.

Orat. ms. Maioris Carthusiae saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Gratianopolitan. 181.

113. De Spiritu Sancto.

1. Sancte, veni, corda leni
Ac subveni, paraclite,
Veni, clare, et dignare
Dulcis dare pignus vitae.

2. Veni dita et invita
In hac vita nos pie,
Da veniam, da gratiam,
Da copiam laetitiae.

3. Nos complue et ablue
Et indue divinitus,
In communi pace uni
Triuni nos funditus.

4. Da socium humilium
Et proprium te convivam,
Pota mentem sitientem
Et quaerentem aquam vivam.

5. Fac humidam hanc aridam
Et floridam virtutibus,
Da humorem, da calorem,
Da virorem cum fructibus.

6. Corda munda et fecunda,
Roris unda salutaris,
Da cor latum, da optatum
Pacis datum singularis.

7. Sana vanum, serva sanum
Cor humanum, pax superna,
Da medelam, da cautelam,
Da tutelam, lux interna.

8. In hoc festo tuis esto
Intus praesto per gratiam,
Tua lege tuam rege,
Rectam tege familiam.

9. Corda fove, linguas move,
Dator novae libertatis,
Doctor bone, unione
Nos compone caritatis.

10. Melliflui potus tui
Fac nos frui dulcedine,
Nil melius, nil mitius,
Nil dulcius te, Domine.

11. Nos pariter, nos dulciter,
Nos iugiter inebria,
Manna verum et sincerum,
Misce merum cum copia.

12. Mentes unge et compunge
Et coniunge, vis amoris,
Tu es pium refugium,
Gaudium peccatoris.

13. Spira gratis fatigatis
Dulce satis, sanctum flamen,
Te laudamus et optamus,
Ut vivamus in te. Amen.

Orat. ms. Maioris Carthusiae saec. 14/15. Cod. Gratianopolitan. 181.

114. Ad Spiritum Sanctum.

1. Veni, creator Domine,
Veni, dulcis paraclite,
Veni, o clementissime,
Tuo reple nos numine.

2. Veni, divina pietas,
Veni, summa benignitas,
Veni, perennis bonitas,
Veni, summa tu caritas.

3. Da mihi cor docibile,
Mundum atque intelligens,
Quo sciam, velim, faciam
Semper, quod est conveniens.

4. Scripturae da notitiam,
Memoriam, facundiam,
Qua verbis sacris profluam,
Et oris da custodiam.

5. Da mihi te diligere,
Da bona cuncta sapere
Et opere perficere,
Quod tecum possim vivere.

6. Da facienda facere
Nec agenda neglegere,
Da bonis me intendere
Et te nunquam offendere.

Cod. S. Floriani. XI 122. saec. 16. — 3, 2 et intellegens. — 3, 3 Quo scientiam velim. — Nach Str. 6 noch Anfang einer Doxologie: Sit laus patri cum filio.

115. De Christo D. N. et Spiritu Sancto.

1. Tu, Christe, nostrum gaudium,
Amor et desiderium,
Deus creator omnium,
Tu esto nostrum gaudium.

2. Iesu, redemptor omnium,
Homo factus ex Maria,
Tu esto nostrum gaudium
Mundana vincens gaudia.

3. Cui magi ferunt munera
Supplices ad praesaepium,
Tu scandis supra sidera
Nostrum futurus praemium.

4. Qui caeli pandis ostium
Patris sedens in gloria,
Ad hinc promissum gaudium
Da exspectata gaudia.

5. Cuius suxisti ubera,
Eius prece paraclitum
Demitte, patris munera
Sanctum daturus spiritum.

6. Mitte eius solacia,
Cui damus in praeconium:
„Beata nobis gaudia“
Et „esto nostrum gaudium.“

7. Ad regni caeli solium
Nos erige clementia,
Ubi sollemne gaudium,
Ubi vera sunt gaudia.

8. Perque septem insignia,
Septem largitor munium,
Da gaudere in patria,
Da sempiternum gaudium.

Brev. Bituricense imp. Venetiis 1481. (Appendix post Sanctorale). — 6, 1 Mire eius.

116. Te Deum de Spiritu Sancto.

1. Te laudamus orphanorum
Spiritum paraclitum,
Pectora apostolorum
Qui ditasti nimium,

2. Te iuvante fidem Christi
Quod monstrarunt saeculis
Et fecerunt, quae iussisti,
Nunc te laudant canticis.

3. Numerus te prophetarum
Laudat super aethera,
Quos fecisti figurarum
Intonare vetera.

4. Martyresque te laudare
Non cessant cum gaudio,
Quos curasti confortare
In omni supplicio.

5. Te ecclesia fidelis
Collaudat hymnidice
Tam in terra quam in caelis,
Cui fons es gratiae.

6. Nosque pie te laudamus
Iubilo cum mentium,
Dare donum te oramus
Septenorum munerum.

7. Fac nos Dei in timore,
Quae sunt recta, agere,
Proximi et sub amore
Pietati vivere.

8. Fac scientiam sitire,
Opera iustitiae,
Fortitudinem, subire
Iugum patientiae.

9. Fac consilio pensare,
Vitare malitiam,
Intellectum penetrare
Ad Dei notitiam.

10. Sapienter gubernare
Fac nos nostra opera,
Ut possimus impetrare
Partem super aethera.

11. Unum tecum pater, natus
In misericordia
Nostros deleat reatus,
Ut absque vecordia

12. Deum semper diligamus
Perfecte et proximos;
In te, Domine, speramus,
Salva tuos famulos.

Collect. ms. Hospitalense saec. 15. Cod. Palat. Vindobon. 4347. — 1, 1 Te Deum laudamus orphanorum. — 10, 1 sq. fac nos gubernare nostra.

II.

DE BEATA.

117. De Festivitatibus BMV.

Aveto, salus omnium,
Mater et virgo virginum,
Ora pro nobis Dominum
Patrem tuum et filium,
Ut tua annuntiatio
Atque sancta conceptio,
Gloriosa paritio,
Digna purificatio
Et in caelis assumptio
Tormentis sint remedium
Et in poenis solacium,
Ut per istam memoriam,
Quam pro salute omnium
Recolimus, dignissimum
Caelestis vitae bravium
Consequamur et gaudium.
Ave, mater orphanorum,
Spes, solamen miserorum,
Pro nobis ora Dominum,
Patrem tuum et filium.

Cod. Trecen. (ol. Claraevallen.) 1612. saec. 15.

118. De Conceptione BMV.

1. Iam laetum mundo promitur,
Dum nova lux accenditur,
Sub nube stella tegitur
Ventris sub umbraculo;
Antiquum ius dispergitur,
Scelus nostrum abstergitur,
Dum coluber submergitur
Virginis oraculo.

2. Plaude nunc interius,
Homo fraude perditus,
Te respexit Dominus
Larga pietate,
Quam promisit angelus,
Deitatis nuntius,
Nobis peccatoribus
Pia largitate.

3. Sol contectus nubilo
Congaudet altissimo,
Corpus in corpusculo
Spiritali iubilo
Et in matris gremio
Conridet huic saeculo,
In claritatis speculo
Laudem trinam dat Domino.

4. Nunc praefulget claritas,
Haec clara pia raritas,
Virginalis fecunditas
Fecundaque virginitas.
Ave, nata nunc concepta,
Infra matris sacra saepta,
Ab omni malo erepta,
Caelesti sponso adepta.

5. Devotum quam oraculum,
Stupendum quam miraculum,
Dicamus Deo gloriam,
Quod Anna profert filiam.
O quam dulcis et beata
Est haec mater, de quanata
Est haec virgo illibata,
Pro salute nobis data.

6. O quam clamant omnes rei:
Summa salus nostrae spei,
Precor te, sis memor mei
Ante vultum Christi Dei.
Non sis mihi aliena,
Omni bonitate plena,
Rosa vernans et amoena,
De salutis fonte vena.

7. Haec festiva conceptio
Fit laeta omni populo,
Quam celebrat cum gaudio
Nunc in praesenti saeculo.
Tua laus cum gloria
Resonet in saecula,
Nostra sume suspiria
Et da beata gaudia.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

119. De Conceptione BMV.

Sicut tres pueros Dominus protexit ab igne,
Sic prorsus matrem macula praeservat ab omni,
Et sicut Moysi rubus ardens non fuit ustus,
Sic nec primorum vitiis est lapsa parentum.
Ut pungentibus aculeis nux clausa tuetur,
Sic est a vitiis utero protecta parentis;
Ut rosa de spinis procedit non lacerata,
Sic ex Iudaeis producitur immaculata.

Orat. ms. Carthus. Colonien. saec. 15. Cod. Colonien. 28.

120. De Nativitate BMV.

1. Vale, virgo stirpis piae,
Porta clausa, laus sophiae,
Quae es sibilus Eliae,
Ibi nempe Dominus;
Mons a Daniele visus,
De quo lapis est excisus,
Emmanuel indivisus,
Per quem mortis terminus.

2. Ave, nebula festinans,
Universa medicinans,
Vitae praemia propinans
In partu puerperae,
Fons aquarum viventium,
Fons hortorum fertilium,
Nutriens regem omnium
Virginali ubere.

3. Vale, nardus pretiosa,
Quae es mater generosa,
Quae es Rachel speciosa
Verum Ioseph pariens,
Qui nos vini cibo pavit,
Se in potum propinavit,
Vita mortem morte stravit
Pro iniustis moriens.

4. O Noemi, si novisses,
Si perfecte didicisses,
Quod ex tua debuisses
Ruth talem accipere
Progeniem, siluisses
Nec reditum suasisses
Totiens nec intulisses:
Filia, revertere.

5. Ruth meruit mater esse
Obed, qui genuit Iesse,
Qui David, qui penes se
Dei semen habuit,
Cum in utero Mariae
Iuxta voces prophetiae
Isaiae, Ieremiae
Verbum carnem induit.

6. Virgo summum creatorem
Hominumque redemptorem
Suum traxit in amorem
Casta pulchritudine;
Quem capere nequiverunt
Caeli claustra, concluserunt
Virginis et conceperunt
Sine viri semine.

7. Norma morum, o Maria,
Spes lapsorum, vitae via,
Placa Deum prece pia
Nobis peccatoribus;
Per nativitatem tuam
Dona nobis continuam
Caritatem et mutuam
Pacem te laudantibus.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 2, 1 O nebula. — 5, 3 fehlt eine Silbe; lies: Quique David? — 7, 6 Da nobis. — Vielleicht Sequenz.

121. De Nativitate BMV.

1. Thronus summae clementiae
Domusque sapientiae
Fabricatur,
Cum mundo vas munditiae
Mater misericordiae
Propagatur.

2. Promittitur oraculo,
Concipitur miraculo
Virgo pia,
Partus praesentis luminis
Matris iactura veteris
In Maria.

3. Matris iactura veteris
Vigore novi foederis
Instauratur,
Cum porta nobis aetheris
Nascentis luce sideris
Reseratur.

4. Beata nobis gaudia,
Per ipsius suffragia
Largiatur,
Quo nunc mater in gloria
Supra cunctorum praemia
Coronatur.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343. anni 1351. — 2, 4 Portum praesentis. — 2, 5 (= 3, 1) scheint verderbt zu sein.

122. De Nativitate BMV.

1. Ave, virgo, sponsa, nata,
Mater Christi sublimata,
Ab aeterno ordinata,
Ab antiquo prophetata,
Dei placens oculis.

2. Ave, rosa delicata,
Quae de ramis regum nata
Es trans caelos exaltata
Et per mundum dilatata,
Sis nobis umbraculum.

3. Ave, caelum deitatis,
Paradisus voluptatis,
Aula summae maiestatis,
Templum sanctae trinitatis,
Christi tabernaculum.

4. Salve, mater benedicta,
In qua nulla sunt delicta,
Evae iugo non astricta
Nec in partu es adflicta,
Sed enixa iubilans.

5. Salve, humilis ancilla
Dei veri, quem, pusilla,
Tua lactas ex mamilla,
Luce frui fac nos illa,
In qua fulges rutilans.

6. Salve, Saba generosa,
O regina gloriosa,
Dona regis pretiosa
Impertire gratiosa
Nobis in exsilio.

7. Salve, speculum virtutum,
Sis certanti mihi scutum,
Hostem reprimas versutum,
Mole carnis me exutum
Caeli iunge gaudio.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395.

123. De Nativitate BMV.

1. Ave, virgo, pulchra nimis,
Corporis albedine,
Cuius captus est sublimis
Deus pulchritudine,
Quando venit in his imis
De beatitudine.

2. Unde ipse te laudavit
Omnium pulcherrimam
Et in tantum adamavit
Super omnem feminam,
Quod te sibi desponsavit
In amicam propriam.

3. Et tu eum sic amasti
Caritate nimia,
Quod licenter acceptasti
Ipsius sponsalia,
Dum te ei sociasti
Corpore et anima.

4. Mirum autem non fiebat,
Quod te noster Dominus
Super omnes diligebat,
Nam ut solis radius
Forma tua resplendebat
Omni luce clarius.

5. Aurum tibi in fulgore
Non est comparabile,
Nec argentum in candore
Potest esse simile,
Nam tu omnes in decore
Superas mirifice.

6. Recte ergo nominaris
Cunctis praeclarissima
Et dilecto comprobaris
Esse dilectissima,
A quo totiens laudaris
Esse formosissima.

7. Ipse etiam formosus
Est et pulcher facie,
Rubens, candens, speciosus
Per virtutem gratiae,
Regnans Deus gloriosus
In superna acie.

8. Almo Deo melodiae
Sint et iubilatio
Atque virgini Mariae,
Cuius deprecatio
In caelestis hierarchiae
Ducat nos palatio.

Orat. ms. Epternacense saec. 15. Cod. Luciliburgen. 1. — Acrostich: Ave Maria.

124. De Nativitate BMV.

1. Ave, thronus maiestatis,
Ave, flos humilitatis
Et candoris lilium,
Totius divinitatis
Illibatae caritatis
Templum vel sacrarium.

2. Ave, terra virginea,
Sine caelestis area
Gerens florem gratum,
Quam fecundavit spiritus,
Obumbravit divinitus
Verbum, Mariae natum.

3. Ut lux aurorae vernula
Caeli depellit nubila,
Diei dat splendorem,
Sic ortus tui claritas
Est novella iucunditas
Proferens salvatorem.

4. Nos in mortis angaria,
Virgo, pro tua gratia
Digneris visitare
Et ad superna gaudia,
Ubi perennis gloria,
Post mortem convocare.

Orat. ms. Thosanum saec. 15. Cod. Bruxellen. 4948.

125. De Nomine BMV.

1. Mater mirabilis, Maria, nomine
Multum lucidior quocunque lumine,
Muni me miserum mortis in limine,
Malignis obvians tuo iuvamine.

2. Aurora rutilans lunaque pulchrior,
Astris fulgentior et sole clarior,
Adflictum respice, qui nimis crucior,
Averte iaculum hostis, quo ferior.

3. Regina nobilis, filia filii,
Rosae consimilis et flori lilii,
Refove flebilem lacte consilii,
Ruentem per vias huius exsilii.

4. Iesse tu congrue vocata virgula,
Immarcessibilis et sine macula,
Iesum dans floridum, qui regit saecula,
Ipsi tu suggeras, ut solvat vincula.

5. Ancilla Domini, sumens tam humilis
Ave, quod Gabriel dedit mirabilis,
Accipe canticum servi inutilis,
Assis in omnibus mihi placabilis.

Cod. Trecen. (ol. Claraevallen.) 1612. saec. 15. A. — Cod. Parisin. 3639 saec. 15/16. B. — 1, 1 Mater amabilis B. — 1, 2 nobilior B. — 1, 3 in tuo lumine. B. — 3, 3 flebiles B. — 3, 4 Ruentes B. — 4, 3 das B. — Str. 4 fehlt A.

126. De Nomine BMV.

1. Mater pia orphanorum
Consolatrixque maestorum,
Advocatrix peccatorum,
Miserere miserorum.

2. Angelorum o domina,
Audi nostra precamina,
Eruens nos a ruina,
Pia virgo et regina.

3. Rege nos tu, ne cadamus,
Sed ut post te transeamus,
Viam vitae inquiramus,
Ubi tecum gaudeamus.

4. Iam in caelis coronaris,
O praeclara stella maris,
Ab angelis veneraris
Et a nobis salutaris.

5. Ave, mater Iesu Christi,
Quae ad caelos conscendisti,
Morte deposita tristi
Te filio sociasti.

6. Iesum placa, tuum natum,
Nostrum solvat quod reatum.
Pacem donet et ducatum
Ad caelestia beatum.

7. Sit laus patri cum filio,
Sancto simul paraclito,
Trino et uni Domino,
Qui regnat sine termino.

Brev. ms. Raigradense $\frac{D}{K}$ Ia 17. anni 1342. add. saec. 15. Strophe 6 steht in der Hs. zwischen 2 u. 3 und zerstört so das Akrostich.

127. De Nomine BMV.

1. Ave, luminis imago,
Vera numinis propago,
Felix virgo Maria,
Mira cuius ornamenta
Exponit per elementa
Nominis harmonia.

2. Margarita mundans mentes,
Mater mitigans maerentes,
Mel misericordiae,
Aula agni, Abel ara,
Arbor auferens amara,
Ales alimoniae.

3. Rosa roscida ruboris,
Rubus rubens, rivus roris,
Regis regum regia,
Intacta, inviolata,
Ipotheca, illibata,
Iaspis, iconomia.

4. Amans asylum ardentum,
Animarum alimentum,
Amoris alarica;
Ad amorem amatoris
Tui tuos mortis horis
Trahe dulcis amica.

Cod. Trecen. (ol. Claravallen.) 1612. saec. 15.

128. De Nomine beatae Mariae V.

1. In adplausu virginis
Novi melos carminis
Levet cor in gaudium,
Parum cernit luminis,
Qui Mariae nominis
Ignorat mysterium.

2. Nam sonat amarum mare,
Docens nihil nos amare
Carneae libidinis,
Istud mare non amare
Sapit, sed in ipso clare
Viget fons dulcedinis.

3. Sonat idem domina,
Tua sunt nam culmina
Caeli, terrae, marium;
Caeli substant agmina
Tibi, mundi machina,
Tuum sunt imperium.

4. Idem sonat maris stella,
Nam nunc motu, nunc procella
Navibus absconderis,
Surgant venti, stipent bella,
Pietatis semper cella
Parens es tu miseris.

5. Huius influentia
Stellae magnes gravia
Trahit ferri pondera,
Sic Mariae gratia
Corda levat gravia.
. . . . . .

6. Obsoletis noxiali
Mentibus fuligine
Redde vestem, virgo, textam
Virginali vellere,
Candidatam victimali
Mitis agni sanguine.

7. O Maria, subveni
Peccatori misero,
Te benignam inveni,
Virgo, non te desero.

8. Ora pro me, mater fortis,
Patrem, natum hora mortis,
Virgo et puerpera,
Ne me trahat saevae sortis
Inimicus vinclis tortis,
Lac profer et ubera.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343 anni 1351.

129. De Nomine beatae Mariae V.

1. Magna, maior, maxima,
Regalis genetrix,
Regis regum optima
Parens et alitrix.

2. Creatorem Dominum
Creatura portans,
Mundum plenum sanguinum
Es virgo supportans.

3. Magnum mare, Maria,
Es et spatiosum,
Quo secura est via
Iterque planosum.

4. Mare servans, nutriens
Pisces condecenter,
Hoc est stare faciens
Mundos innocenter.

5. Mare mundans immundos
Faece peccatorum,
Mare reddens fecundos
Victus proximorum.

6. Mare, quod est plenum
Gemmis medentibus,
Quae pellunt venenum
Eas ferentibus.

7. Mare, inquam, redundans
Sine periculo,
Cunctis bonis abundans
Inunda famulo.

8. Tanti maris rivulis
Ipse tam conscius
A cunctis maculis
Laver interius.

9. Et cor meum foetidum
Nimis indecenter,
Virgo, purum, nitidum
Facias clementer.

10. O magna fiducia,
Tutum refugium,
Discreta prudentia,
Certum consilium.

11. O cunctis fidelior,
Fida fidelibus,
O melle suavior,
Dulcis pauperibus.

12. Currenti mentaliter
Ad te sis obvia,
Subveni celeriter,
Fias propitia.

13. Numquid [tu] non poteris
Mox Iesum placare,
Cum ipsum merueris
Sola tu portare?

14. Credo sine dubio,
Quod, quidquid rogabis,
Id a tuo filio
Statim impetrabis.

15. Vere tuis meritis
Potes liberare
Mox me cunctis debitis
Et bene ditare.

16. Ergo mihi, rogito,
Postulare velis
Divitias a genito,
Quae fluunt e caelis.

Orat. ms. Caelestinorum saec. 15. Cod. Meten. 571. — 3, 3 est fehlt. — 10, 2 O tutum. — 11, 3 O fehlt. — Die Hs. hat die Bemerkungen „Alia oratio eiusdem ad eandem.“ Da dieselbe keinen Namen nennt, erfahren wir nur, dafs der anonyme Verfasser dieses Liedes und des langen Gedichtes über die Psalmen „*Quoniam virgo Maria* etc.“ ein und dieselbe Person ist.

130. De Nominibus BMV.

1. Salve, virgo gloriosa,
Parens femina formosa,
Funde preces, pulchra rosa,
Pro nobis ad filium.

2. Salve, civitas divina,
Cedrus, speculum, regina,
Funde preces, alma spina,
Pro nobis ad filium.

3. Salve, domina, puella,
Thalamus, amica, cella,
Funde preces, maris stella,
Pro nobis ad filium.

4. Salve, mulier, ancilla,
Nubes, scala, turris illa,
Funde preces, nardus, stilla,
Pro nobis ad filium.

5. Salve, benedicta navis,
Genetrix, aurora, clavis,
Funde preces, turtur, avis,
Pro nobis ad filium.

6. Salve, rubus, virga gregis,
Mons, cupressus, porta legis,
Funde preces, sponsa regis,
Pro nobis ad filium.

7. Salve, luna, sol et ortus,
Cinnamomum, flumen, portus,
Funde preces, fons et hortus
Pro nobis ad filium.

8. Salve, puteus, rosata,
Marathus, malagranata,
Funde preces, spes beata,
Pro nobis ad filium.

9. Salve, balsamus, oliva,
Platanus, columba, diva,
Funde preces, terra viva,
Pro nobis ad filium,

10. Salve, palma, flos, viola,
Lilium, fenestra, schola,
Funde preces, magna sola,
Pro nobis ad filium.

11. Salve, thronus, aula pia,
Semita, directa via,
Funde preces, o Maria,
Pro nobis ad filium.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Guelfenbyteran. Helmst. 1296. — 2, 3 alma pspina. — 2, 4 ad tuum filium. — 10, 1 et flos. — „Ista sunt septuaginta nomina beatae Mariae virginis. Quicunque ea devote legerit flexis genibus singulis sabbatis diebus, illi misericorditer apparebit in hora mortis suae et animam eius ducit[!] ad gaudia sempiterna.“

131. De Nominibus Christi et Virginis.

Virgo parens loquitur, et mystica res aperitur,
Se notat et natum verbis signisque notatum:
Mons ego sum, lapis hic, ego vinea, botrus hic, aula
Regis ego, rex hic, ego vellus et area, ros hic.
Sidus ego, sol hic, ego nubes, numen hic, urna
Legis ego, man hic, ego Iesse virgula, flos hic.
Vestis ego, Ioseph hic, ego tellus, vermis hic, olla
Moab ego, spes hic, ego schema throni, Salomon hic.
Hesther ego, sceptrum hic, ego sum rubus, ignis hic, arbor
Turis ego, tus hic, ego virgo, rhinoceros est hic.
Urbs ego, conditor hic, ego cortex, granum hic, oliva
Pinguis ego, liquor hic, ego ianua clausa, means hic.

Sum favus ipsa, mel hic, ovis ipsa, agnus hic, ipsa
Massa vitri, iubar hic, arx ipsa Sion, David hic est.
Dulcis ego, magis hic, miseraus ego, plus hic, amator
Pacis ego, dator hic, homo sum, sed homo Deus est hic.

Cod. Londinen. Reg. 7 A VI. saec. 14/15.

132. De Annuntiatione BMV.

1. Laetare, virgo virginum,
Trinitatis triclinium,
Quae genuisti Dominum,
Aeterni patris filium.
2. Salve, virgo speciosa,
Quam salutavit angelus,
Dicens: Ave, gratiosa,
Quia tecum est Dominus.
3. Tecum inquit est Dominus,
Caelorum rex, non alius,
Pater et Deus filius
Atque amborum spiritus.
4. Pater est tecum confortans,
Spiritus sanctus impraegnans,
Filius sibi humana
Ex te aedificans membra.
5. Ecce, virgo, concipies
Sine aliquo pudore
Et lesum Christum paries
Absque aliquo dolore.
6. Hic erit Dei filius,
Caelorum rex, non alius,
Et dabit ei Dominus
Sedem David, patris eius.
7. In domo Iacob regnabit
Et plebem suam salvabit,
Regnum eius quippe stabit
Et in aeternum durabit.
8. Cumque Maria audisset,
Quae Gabriel promisisset,
Quomodo, inquit, fecunda
Mater ero et iucunda?
9. Quia virum nunquam novi,
Ex quo a Deo sum facta,
Sed virginitatem vovi
Manensque virgo intacta.
10. O virgo, inquit Gabriel,
Tibi dico mysterium,
Concipies Emmanuel,
Redemptorem fidelium.
11. Spiritus superveniet,
Purificator cordium,
Qui te concipere faciet
Patris aeterni filium.
12. Sertum tuae castitatis
Erit Deus maiestatis,
Dum eris filii mater,
Cuius rex caeli est pater.
13. Mox ut Maria audivit
Gabrielis eloquium,
Mater esse concupivit
Redemptoris fidelium.
14. Ecce, Domini ancilla,
Respondit virgo credula,
Fiat mihi illud verbum
Secundum sermonem tuum.
15. Verbum, quod pater genuit,
Statim de caelo prodiit,
Carnis pallium induit
De virgine, quam condidit.
16. Castae parentis viscera
Caelestis intrat gratia,
Venter Mariae baiulat
Secreta, quae non noverat.
17. Virgo mater salvatoris
Fit sine tactu pudoris,
Fitque templum creatoris
Domus pudici pectoris.
18. O res valde mirabilis
Et excellens mysterium,
Quando ancilla humilis
Generat Dei filium.

19. Nos de tali mysterio
Inter laudes angelicas
Benedicamus Domino
Dicentes Deo gratias.

Orat. ms. Thosanum saec. 15. Cod. Bruxellen. 4948.

133. De Annuntiatione BMV.

1. Grata Deo o ancilla,
Cuius verbo dum consentis,
In iucunda hora illa
Verbum caro factum sentis
Per virtutem obumbrantem,
In te Christum tunc formantem.
Animam fac depingentis
Hanc annuntiationem
Infra caeli mansionem
Vita frui resurgentis.

2. O maestorum consolamen,
Pro adflictis quibuscunque,
Qui ad tuum sublevamen
Huc concurrunt undecunque,
Ora, virgo benedicta,
Gratiae dono sic dicta,
Quia reis quibuscunque,
Licet tibi tam ingratis,
Gratiam Dei das gratis
Ac indignis quantumcunque.

3. O virgo, quae meruisti
Exaltari apud eum,
Cuius natum genuisti,
Redempturum omnem reum,
In angusta mortis porta,
Te precor, me sic supporta
Spiritum sumendo meum,
Ut tunc plenum pietate
Gratia et veritate
Clara luce cernam Deum.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 2, 6 Gratiae domina sic dicta. — 2, 10 Hac. — 3, 6 Te deprecor.

134. De Annuntiatione BMV.

1. Fortis ut mors dilectio,
Qua durum fit suave,
Ut sacra refert lectio,
Amor nos traxit a vae,
Dum de caelesti solio
Fit Gabrielis Ave
In virginis conclave:
O felix, inquit, ave,
In te fiet conceptio,
Sed non pudoris laesio,
Tu tamen Deo fave.

2. Auditis his obstupuit
Puella Deo grata,
Et, ut pudicam decuit,
Silebat salutata;
Ne fieret turbata,
Mox angelus retexuit,
Modum prius exposuit,
Quo foret illibata;
Qua serie prolata
Vexillum crucis claruit,
Dum virgo verbo paruit
Et mansit impraegnata.

3. Archangelus regreditur,
Qui venit haec narrare,
Et gravida relinquitur
Puella sine pare,
O decus singulare,
Virgo mater efficitur,
Creator est, qui gignitur
Et Dei salutare;
O pectus singulare,
Thesaurus in te tegitur,
Virtute cuius regitur
Caelum, tellus et mare.

4. Magna sunt haec miracula,
Quae manant ex amore,
Dum virgo sumit verbula,
Frondescit Aaron virgula
Omni carens humore,
Et vellus madet rore,
Nec terram tangit stillula,
Dum virgo sine macula
Meretur mater fore.

5. Mira matris integritas
In ventre Deum vexit,
Et subolis divinitas
Portantem se protexit,
Pro nobis se despexit
Vera Dei sublimitas,
Dum infirmatur sanitas,
Quae mori non neglexit,
Sed, quando resurrexit,
Vera patebat deitas,
Et sic probatur caritas,
Qua Deus nos dilexit.

6. Virgo mente purissima,
Te reus hinc honoro,
Dei mater castissima,
Virili carens thoro,
Te postulans exoro,
Ut, quae feci, nequissima
Pellantur et turpissima,
Ne hostis trahat, oro,
Condonans, quod ignoro,

Ad gaudia clarissima
Nos transfer, beatissima,
Iungens caelesti choro.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — Str. 1 geht vorher:

Vale, Dei genetrix,
Virgo inaestimabilis,
Vale, caelestis pietas
Et pietatis caritas,
Sic [1: Sis] servi tui, deprecor,
Immeriti non (esto) immemor.

135. In Visitatione BMV.

1. Salve, o fructifera palma,
Virginum decus, mater alma,
Quae castitate floruit
Et vitae fructum protulit.

2. Salve, tu virga Aaron,
Quae et fronduit in Sion,
Obumbrata ab altissimo,
Irrigata spiritu sancto.

3. Salve, iubar aethereum,
Illustrans omne saeculum,
Tua praecellens claritas
Nobis diva iucunditas.

4. Salve, dies hodierna,
Digna laude sempiterna,
Qua visitavit Maria,
Per quam patet vitae via.

5. Salve, virginalis porta,
De qua nova lux est orta,
Sicut stella matutina
Lucens, sicut lux divina.

6. Salve, pia visitatrix,
Nostrae salutis amatrix,
Visitare nos dignare,
Tu scis, dulcis mater, quare.

7. Salve, sacrum Dei templum,
Virtutum tu es exemplum,
In quo rex regum tunc obtulit
Hostiam, quae sibi placuit.

8. Salve tu lucis claritas,
Solis Dei iucunditas,
Visita nos, mater, hodie
Ut fervor solis meridie.

9. Salve, tu pacis ianua,
In qua iucundant agmina,
Per quam patet huic saeculo
Sollemnis nunc visitatio.

10. Salve, casta o Maria,
Nostra spes, laus, mater pia,
Nam te collaudat, domina,
Trina haec mundi machina

11. Salve, mater luminis,
Quam divini numinis
Visitavit gratia,
Felix aurora splendida.

12. Salve, ros balsamamiticus,
Cuius color lac candidus
Et odor suavissimus,
Sapor plus quam mellifluus.

13. Salve, aeternum sacrarium,
Quo splenduit sacerdotium
Atque virtutum armarium,
Quo reconditur praeconium.

14. Salve, regalis progenies,
O tu veneranda species,
Unde surgit ut aurora
Virgo mater tam decora.

15. Salve clausus fons signatus,
O flos florum illibatus,
Tua pia visitatio
Sit nobis nunc consolatio.

16. Salve, praeclarum aureum vas,
Quo se transtulit divinitas,
Ad te nostrum refugium
Ut ad tutum praesidium.

17. Salve, ierarchia caelestis,
Cuius amoenitatis testis
Est Iesus tuus filius,
Pater et almus spiritus.

18. Salve, fulgens diadema,
Dictis prophetarum thema,
Tu es arca mosaica,
Plena divina gratia.

19. Salve, aureum ciborium
Et eburneum solarium,
Quod divinitas exstruxit,
Nobis natus quo illuxit.

20. Salve, pia visitatrix,
Omnis boni larga datrix,
In salutari nos visita,
Beata mater o Maria.

Orat. ms. Charthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

136. De Visitatione BMV.

Virgo Dei genetrix, nostrae vitae reparatrix,
Caelica regina, praefulgens stella marina,
Semper laudanda, cui laus non sufficit ulla;
Namque tuas laudes minime depromere possent,
Omnia si linguae mundi creata forent.
Praesenti festo laudes cape, quas tibi praesto
Et tibi corde promo, sono, simul ore iucundo.
O mater Christi, postquam tu, virgo, fuisti
Caelitus adfata, verbo Domini gravidata,
Exsurgis propere, montana petis, Zachariae
Uxorem quaeris, sed huic bona munera geris,
Prolem laetificas, dum matrem virgo salutas.
Pneumate repletam, cum fructu te benedictam
Nuntiat admirans, te prae cunctis fore sanctam.
Tunc, virgo celebris, genetrix clarissima Christi,

Magnificans Dominum caeleste melos cecinisti.
O mundi domina, tibi laus hodie super astra.
Vas deitatis, fons pietatis, lucis imago,
Virgo decoris, fructus honoris, sancta propago,
Filia prolis, ianua solis, regis amica.
Lux tenebrarum, spes animarum, virgo pudica,
Sacra sacrarum, pulchra rosarum, flos sine spina,
Munditiae flos, laetitiae ros et medicina,
Fructificans mons, mellificans fons, gemma decora,
Virgula turis, normala iuris, nardus odora,
Caelica clavis, virgo suavis, vera lucerna,
Iustitiae dux, laetitiae lux, porta superna,
Cellula mellis, nescia fellis, dulcis amanti,
Dura malignis, grata benignis, blanda precanti,
Regula morum, forma bonorum, femina digna,
Meta laborum, pax odiorum, virgo benigna,
Pulchra puella, caelica cella, regula legis,
Dulcis, amabilis et venerabilis, virgula regis.
O iuvenis praegnans, vetulae famulans parienti,
Virtum speculum, te corde precor sitienti,
Nostram nunc animam Dominum fac magnificare,
Spiritus ut noster queat in Domino iubilare,
Et sic in hoc festo facias nos humiliatos,
Ut post hanc vitam contingat esse beatos.
Qui tibi magna dedit, cuius est nomen benedictum,
Per te det veniam famulis trementibus ipsum,
Exaltans humiles, ponens de sede potentes,
Evacuans divites, implens simul esurientes;
Israel accipiat pueros per te memoretque
Pacto, quod pepigit patribus Abrahae seminique.
Pulsatis vitiis, victis cunctis inimicis
Per te, virgo pia, capiamus caelica regna.

Orat. ms. Carthus. Erfordien. saec. 15. (Privatbesitz). A. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19363. saec. 15. B. — 7. et ore B. — 8. O mater Christi, postquam montana subisti B. — 9 und 10. fehlen B. — 13. repleta A. — 16. Magnificat A. — 21. Dux A. — 27. laetiae dux B. 29 fehlt A. — 32. Pulchra puellula, caelica stellula A. — 35. Virtus speculor A.

137. Thalamus beatae Mariae V.

1. O quam pulchrum thalamum,
Iesu, construxisti,
In sole tabernaculum
Tuum posuisti,
Quod virtutum floribus
Undique sparsisti,
Quando novem mensibus
Ibi quievisti.

2. O beata viscera,
Quae te portaverunt.
O beata ubera,
Quae te lactaverunt,
O beati oculi,
Qui hoc conspexerunt,
Quod prophetae plurimi
Et reges optaverunt.

3. O Iesu, te carissima
Mater educavit,
Virgo sacratissima
Lacte suo pavit,
Quam virtus altissimi
Sola fecundavit,
Sic ut mater fieret,
Quae virgo duravit.

4. Quae putamus praemia
Parentum fuerunt,
Quae vel quanta gremia
Fore valuerunt,
Quae tantum infantulum
Ferre meruerunt
Quem caeli, terra capere
Nequaquam potuerunt!

5. Quanta sunt praeconia
Matris gloriosae,
Cuius sacri digiti
Manusque formosae
Tractare te gestiunt
Multum curiose,
Prae filiis hominum
Iesu speciose!

6. Humanum imperium
Nunc est dilatatum
Nec sanctis ab angelis
Ultra minoratum,
Cum tantum mysterium
Verbum incarnatum
Iam visum est oculis
Et manibus tractatum.

7. O parens sanctissima
Tui conditoris
Et nostri gratissima
Nutrix salvatoris,
Quantum tibi debemus
Laudis et honoris,
Quod nos ad hanc gloriam
Duxeris amoris!

8. Iesu, qui nos colere
Parentes iussisti,
Qui hanc benignissimam
Matrem elegisti,
Tu nostrae inopiam
Laudis supplevisti,
Dum sic tuum thalamum
Ad aethera sumpsisti.

9. Ubi mille milia
Tibi electorum
Et centena milia
Assistunt angelorum,
Qui in suis citharis,
Organis sanctorum,
Mariam glorificant
In saecula saeculorum.

Orat ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen IV° 29. — 8, 5 nostri.

138. De Partu beatae Mariae V.

1. Salutemus reverenter
Dei matrem, quam decenter
Salutavit angelus,
Qua salute modo miro
Gravidatur sine viro
Eius sacer uterus.

2. Ave, mater, virgo pura,
Ex qua factus creatura
Et creator omnium;
O quam mira genitura,
Sed in carnis hac natura
Nihil habet proprium.

3. Qui te mundat, te obumbrat,
Obumbrando te fecundat,
O Iesu gignitio,
Nostrum vae per ave tollis,
Nomen Evae dum revolvis
Gabriele nuntio.

4. Virgo, prolem genuisti,
Stella, solem induisti
Veste singulari,
Mundo vitam contulisti,
Evae damnum abstulisti
Partu puellari.

5. Quae res huic similis,
Quod ex matris humilis
Ventre propagatur,
Flos de rosa nascitur,
Pudor non amittitur,
Decor augmentatur.

6. Fructum natum de Maria
Triplex laudat hierarchia,
Tremunt venerantes
Caeli, terrae conditorem,
Hominis reparatorem
Digne collaudantes.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343 anni 1351.

139. De Partu Virginis.

1. Virgo, thronus Salomonis,
Virgo, vellus Gedeonis,
Virgo, mater gratiae.
Salve, cuius nubem nescit
Neque partu dediescit
Dies pudicitiae.

2. Increatum res creata,
Virgo Deum, patrem nata,
Fontem fudit rivulus,
Sic naturae cancellato
Primo iure designato
Vase prodit figulus.

3. Usu partus destituto
Fructum flore non soluto
Parit Iesse virgula,
Fructus flos non defloreſcit,
Et aeterni non marcescit
Veris rosa primula.

4. Salve, servis spes aeternae
Libertatis, lux, supernae
Lucis ostiaria,
Salve, per quam servitutis
Iugo fracto sunt salutis
Restituta gaudia.

5. Per te nubes denubescat,
Vitae nubes exarescat
Primae sortis lacrima,
Ut ad mensam trinitatis
Post fermentum vetustatis
Epulemur azyma.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 3, 5 aeternae.

140. De Partu Virginis.

1. Salve, salvatrix hominum.
Superlativa virginum
Virtutum privilegio,
Quae paris lumen luminum,
Quae mundi paris Dominum
Salvo pudoris lilio.

2. Ad renovamen veterum
Tuum fecundat uterum
Puer ex alto veniens,
Paris, Maria, puteum
Nec florem siccas tenerum
Nec infirmaris pariens.

3. O mira rei novitas,
Assumit in te deitas
Huius velamen habitus;
O mira Christi caritas,
Serviles currit semitas,
Quem nulla tenet servitus.

4. Vivendi factus formula,
Quem Deus ante saecula
Aequalem sibi genuit,
In virginali cellula,
Sub monachali regula
Cucullam carnis induit.

5. Hic novus abbas clanculo
Et nesciente pessulo
Claustrum subintrans virginis
Virtutum in capitulo
Toti texendam saeculo
Telam orditur ordinis.

6. Nos iter docens regium
Rex missus in exsilium,
Ut hoc regnemus exsule,
Primusque doctor omnium
Ad formam patientium
Manum supponit ferulae.

7. Qui licet possit omnia,
Non posse tamen vitia
Hoc solum soli deficit,
Sed talis impotentia,
Si dici debent talia,
Potentiorem efficit.

8. Nemo praesumat dicere,
Quod virgo possit parere
Deum non virginaliter;
Hoc de me dico libere,
Non possem natum credere,
Si natus esset aliter.

9. Sed si de modo quaerimus,
Male quaerendo claudimus,
Quod certa fides aperit;
Nos, qui sub ipso vivimus,
Indubitanter credimus,
Quod eum virgo peperit.

10. Et quia scimus licitum,
Quidquid est Deo placitum,
Credantur et incognita,
Et si credenti cognitum,
Fides non habet meritum
Experimento credita.

11. Nobiscum foedus iniit,
Per quem vetustas periit
Actor aetatis aureae,
Iam enim hiems transiit,
Iam sol aestivus rediit,
Iam floruerunt vineae.

12. Dum, quod in orbe sonuit,
Scire Iudaea renuit
Subole de virginea,
Nobis patenter claruit,
Quod vellus rore maduit,
Arente tamen area.

13. Dum mater virgo creditur,
In rubo flamma cernitur,
Nec rubi fit combustio,
Quidquid ubique legitur,
Si minus intellegitur,
Christus est expositio.

14. Virgo, quae tanta reseras,
Quae terram caelo foederas
Omni mundatam scelere,
Ne servos tuos deseras,
Sed mentes trahe miseras
Peccati pressas pondere.

15. Succurre, pia, miseris,
Perire ne permiseris
Mundi commissos fluctibus,
Sed corruptores foederis
Refoederare superis
Tuis dignare precibus.

16. Clama, reclama saepius,
Clama fiducialius,
Quod vino carent nuptiae;
Nam, quidquid quaeres, amplius
Hoc dabit matri filius,
Hoc dabit pater filiae.

17. In me peccata reprime,
Suavitatis intimae
Propina mihi stillulam,
Ut peccatricis animae
Compunctionis lacrimae
Delere possint maculam.

18. Per te, Maria, veniam
Ad peccatorum veniam,
Fortis et potens mulier,
Per te deducar etiam
Ad angelorum gloriam,
Ut in aeternum glorier.

19. Ubi nec in supplicium
Vertetur desiderium,
Quod non carebit gaudio,
Nec illud in fastidium
Verti licebit gaudium
Non carens desiderio.
Hoc praestet, Christe, praemium
Coetui supplicantium
Tua propitiatio.

Cod. Trecen. (ol. Claraevallen.) 1612. saec. 15. — 19, 1 Tibi nec.

141. De Partu Virginis.

1. Gaude, admirabilis,
Virgo venerabilis,
Quae paris intacta,
Sine viri coitu,
Plena sancto spiritu,
Genetrix es facta.

2. Cardine de supero
Rore salutifero
Venter fecundatur,
Peperit fecunditas,
Et sacra virginitas
Integra servatur.

3. Sicut ros in gramine
Descendit in virgine
Verbum summi patris,
Patrem non deseruit
Et mortalem induit
Formam alvo matris.

4. Sicut terram pluvia,
Sic divina gratia
Virginem fecundat,
Sanctus eam spiritus
A peccato penitus
Abluit et mundat.

5. Non est opus hominis,
Sed est opus numinis
Et magnae virtutis,
Concipit et generat,
Quae virum non noverat,
Auctorem salutis.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

142. De Partu Virginis.

1. Matri dignae non indigne
Praebe laudes tu, qui gaudes
In Mariae laudibus;
Dic de matre sine patre,
Sicut patrem primum fratrem
Fecit multis fratribus.

2. Virgo mater, natus pater,
Modo miro sine viro
Fit homo de homine;
Haec natura nescit iura,
Clausa domo Deus homo
Nascitur de virgine.

3. Nullus quidem istis fidem
Dare posset, nisi nosset
Hoc ex lege veteri;
Per fidelem Gabrielem
Nuntiatur et testatur
Sic debere fieri.

4. Si vis nati incarnati
Scire modum, istum nodum
Denodare nescio;
Sed hoc scito, quod audito
Salutatu fecundatu
Virgo gaudet regio.

5. Virgo credit et oboedit,
Et tu credas, ne te laedas
Animali vulnere;
In hoc sane, christiane,
Fidem puram, non naturam
Opus est consulere.

6. Prima parens spina carens
Fit spinosa et nodosa,
Dum a spina pungitur,
Qua radice illa vice
Vitiata, spineata
Virga quaevis oritur.

7. Hoc frutecto spina tecto
Sine spina vi divina
Iesse prodit virgula,
Rorans flore quae cruore
Sanans unctum spina punctum
Tersa spinae macula.

8. Ergo nati qui peccati
Spinae sumus, spinae dumus,
Hanc precemur virgulam,
Ut nos portet et confortet
Et puncturae spinae durae
Omnem tergat maculam.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1, 1 Salve digne. — 7, 2 ut divina.

143. De Partu Virginis.

1. Mira Dei caritas,
Deus incarnatur,
Mira rei novitas,
Virgo impraegnatur.

2. O novum conubium,
Soli nubit stella,
Novum puerperium,
Protulit puella!

3. Moyses qua iacuit,
Scirpea fiscella,
In qua Deus latuit,
Virgo res novella.

4. Aures et mens pervia
Deo sunt ingressus,
Non patent vestigia,
Quibus est egressus.

5. Sicut vitrum radio
Solis penetratur,
Inde tamen laesio
Vitro nulla datur:

6. Sic, immo subtilius
Matre non corrupta
Deus Dei filius
Sua prodit nupta.

7. Prodit cogitatio
Clausa cordis vena,
Praegnans absque vitio
Parit sine poena.

8. Non perit lux oculi,
Cum lux evagatur,
Nec in ortu flosculi
Mater defloratur.

9. Candens plus quam lilium,
Vernans plus quam rosa,
Tuum ora filium,
Virgo speciosa,

10. Ne post mortem puniat
Nos inferni poena,
Sed tecum reficiat
Angelorum cena.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Ecc. 375. — 1, 3 mira Dei. — 3, 3 Aqua Deus. — 4, 1 praevia. — 10, 3 tecum nos. — Vor Str. 1 befinden sich in der Hs. zwei Strophen, die augen-

scheinlich nicht zu diesem Liede gehören, sondern eher der Schluſs einer Sequenz zu sein scheinen:

1a. Vale, porta cristallina,
Vivi panis officina,
Dirae mortis medicina,
Flos mundi Maria.

1b. Vale, rosa carens spina,
Virga florens vi divina,
De qua nux amygdalina
Crevit vitae via.

2a. Vale, virgo virtuosa,
Dei mater generosa,
Plena sancto flamine.

2b. Te laudamus, ut condigne
Nos accendat Deus igne
Caritatis geminae.

144. De Partu Virginis.

1. Gaude, quae es obumbrata
Caelitusque fecundata;
Sic in nullo violata
Christum nobis genuit;
Rubus visus inflammari
Super Sina nec cremari
De conceptu puellari
Signum olim praebuit.

2. Contra casum primae sortis
Ad delenda iura mortis
Exsurrexit leo fortis
De stirpe Davidica,
Iura mortis sunt disrupta
. . . . . .
. . . . . .
Voce sic angelica.

3. Hoc lex vetus figuravit,
. . . . . .
Prophetarum hoc narravit
Laudabilis numerus,
A prophetis nuntiatum
Et a lege figuratum
Christum profert nobis natum
Virginalis uterus.

4. Vellus prius irrigatum
Tandem manet exsiccatum,
Sicque signum est signatum
Gedeoni creditum;
Sic ad nutum trinitatis
Constat regem maiestatis
Absque damno castitatis
Ex Maria genitum.

5. Virgo sola, mater matrum,
Nupta sola patri patrum,
Ut suorum velit fratrum
Misereri, supplica;
Ut a culpis nos emundet
Virtutibusque fecundet
Et post hanc vitam secum det
Vita frui caelica.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scrippt. Eccl. 375.

145. De Partu Virginis.

1. Gaude, parens contra iura
Cum pudoris lilio,
Hoc praecessit in figura
Certa sine dubio,
Usque tamen et natura
Stupent atque ratio,
Quod tu manes virgo pura
Nato tuo filio.

2. Te, Maria, salutavit
Gabriel archangelus,
Et mox tibi obumbravit
Virtus sancti spiritus,
Ventrem tuum fecundavit
Summi regis filius,
Sed te nunquam violavit,
Sicut omnes credimus.

3. Corpus tuum prolem gessit,
Si quis quaerit quomodo:
Verbum venit et recessit
Clauso tuo thalamo,
Venter tuus sic tumescit
Sine viri vitio;
Illud credo, quamvis nescit
Experiri ratio.

4. Tu es virgo singularis,
Felix muliercula,
Tu es clara stella maris,
Tu es Iesse virgula,
Miro modo natum paris
Sine patris copula,
Tu es facta mater maris
Sine maris macula.

5. Tu es mitis, non severa,
Te collaudant angeli,
Tu es vera vitis vena,
Laus totius populi
Tu es atque virgo plena
Spiritus paracliti,
Patrem paris sine poena
Salvatorem saeculi.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

146. De Partu Virginis.

Salve, flos, qui salvas nos virtutis odore,
Flos candens, fructum pandens remanente decore.
Salve, flos, cui caeli ros vim fructificantem
Sic tribuit, quod non minuit speciem rutilantem.
Salve, flos, cui lex et mos naturaque cedit,
Quando paris, non fuscaris, nec forma recedit.
Tu niveus, tu virgineus flos, alma Maria,
Quam mundat et fecundat divina sophia.
Productus tuus est fructus non te violata,
Ventre tuo miranda duo simul sunt sociata;
Integritas et fertilitas, duo dissona, rite
Consona sunt et conveniunt in te sine lite.
Sancta phoenix, virgo genetrix, quia nulla secunda,
Concipiens et parturiens manes integra, munda.
Quam nisi te transcendere se natura stupescit?
Quae nisi tu sine concubitu fecunda tumescit?
Quae praegnans opus ignorans, in quo violetur,
Quae pariens nil experiens, in quo crucietur,
Sola tenes castos renes, quando gravidaris,
Nec quereris nec torqueris, cum fasce levaris.
Conceptus tuus et partus non sunt generales,
Hic coitu caret, hic gemitu, tibi sunt speciales.
Dum generant aliae, temerant decus integritatis,
Te sequitur nec conteritur flos virginitatis.
Dum pariunt aliae, plangunt, tu nescia planctus,
Cui natus sine sorde datus per omnia sanctus.

Corporei domus esse Dei sine labe mereris,
Ingressus fit et egressus, sed clausa teneris.
Ingreditur, qui concipitur, qui nascitur, exit,
Sed salvam servans valvam claustrum bene texit.
Producis dominum lucis, qui te penetravit
Ut vitream nec virgineam portam violavit.
Sublimem gestas humilem magnumque pusillum,
Nam rerum Dominum verum virtus probat illum.
Amne rigas pannisque ligas, quo vincla reorum
Laxantur, quo mundantur sordes animorum.
Stella poli, regina soli, tu proxima soli,
Digna coli, sine nube doli, me spernere noli.
Flos florum, fons hortorum, regina polorum,
Spes veniae, lux laetitiae, medicina dolorum;
Ave, Dei clavis fidei requiesque laborum,
Clara dies, secura quies et regula morum;
Virga recens virgoque decens, tu forma bonorum,
Alma parens, tu labe carens spes atque reorum,
Prece reis opem fer eis pro pace eorum,
Pasce tuos, succurre tuis, miserere tuorum.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. $^{14}/_{15}$. — 3. caeli flos vim. — 9. tuus est sanctus fructus. — 13. Tu sancta phoenix. — 14. et fehlt. — 30. bene rexit. — 31. Producens donum lucens. — Nach Vers 36 eingeschoben:

Sancta Dei genitrix, benedicta puerpera, salve,
Inclita mater, ave, virgo beata, vale.

43. que fehlt. — 44. tu fehlt. — 45. Per te reis. — 46. Der Binnenreim zerstört. — Mone II, 323 hat Anfang und Schluſs des Gedichtes, nicht das Ganze, wie Chevalier, Repert. Hymnol. 17966, angiebt.

147. De Uberibus BMV.

Gaude, caeli domina,
Quae Deum deorum
Pascis ex papillula
Uberum tuorum;
O beata ubera,
Omni laude digna,
Usu tam nobilia,
Christo praeparata.

Virginis christiferae
Ubera, valete,
In summis praeconiis
Milies avete,
Pausat Dei filius
Inter vos quiete,
Lac ex vestris faucibus
Sugit delicate.

Salve, liquor nobilis,
Dulcis, pretiose,
Manans ex uberibus
Virginis formosae,
Praebens alimoniam
Christo amorose,
Sis medela animae
Meae vulnerosae.

O Christi puerpera,
Virgo generosa,
In superno solio
Regnans gloriosa,
Ad tua clara ubera,
Asylum reorum,
Reus nunc confugio,
O dulcis spes tuorum.

5. Eia, digna ubera,
Vobis me impendo
Protectionis gratia
Sub vobis me abscondo,
Rogo, me eripite
Trementem fovendo,
A districto iudice
Benigniter tuendo.

6. O Iesu dulcissime,
Amor mentis piae,
Casto natus sanguine
Virginis Mariae,
Quae te et in osculis
Strinxit laetabunde
Gratisque uberibus
Lactavit iucunde.

7. Tremenda iudicia
Tua expavesco,
Ad tuae matris dulcia
Ubera appello,
Ubi tuus feriens
Mucro religatur,
Sicque reus latitans
Sub ubere salvatur.

8. At si me ob crimina
Iustum sit puniri,
Per matris manus punias,
Quae taxet poenas mihi;
Age, dulcis domina,
Tibi ut condoner
Ac propter peccamina,
Ut sanxeris, flageller.

9. Benedicta ubera
Tua, flos sanctorum,
Quae de te, pulcherrima,
Suxit rex caelorum,
Fac, ut sine macula
In regno polorum
Laudem haec in saecula
Et in saeculorum.

Cod. S. Petri Salisburgen. b II 3. saec. 15. A. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20020. B. — 1, 5 O beata liberata A. — 1, 7 Usu tamen A. — 5, 7 Et districto A.

148. De Uberibus BMV.

1. Mariae matris mammulae,
Nitentes velut faculae,
Lac filio praebentes,
Ardoris sunt scintillulae,
Quibus delentur maculae
Odore redolentes.

2. Velut mala punicorum
Fragrant, halitus istorum
Fugantes hostem saevum,
Laxant gesta nefandorum,
Stillant nectar per os florum
Salvantes nos per aevum;

3. Fluunt ut vitis pocula
Currentia per rivula
Summae deitatis.

Orat. ms. S. Mariae ad Scotos saec. 15. Cod. Scotor. Vindobon. 55 g 14. — 1, 1 mamillulae. — 2, 1 Font mala. — 2, 2 Fluunt ali ipsorum. — 2, 4 Lactans gesta. — 3, 1 Flant ut vitis.

149. In Purificatione BMV.

1. O Maria illustrata,
Summa luce consignata,
Vera lux est dilatata
In mentis tuae speculo;
Tu lucerna radiosa,
Cuius vita gloriosa
Per exempla virtuosa
Lucem dedit saeculo.

2. O amatrix meritorum,
Tu meorum peccatorum,
Vitiorum et errorum
Caliginem illumina,
Ut in via te ductrice
A te Dei genetrice
In me semper et hac vice
Sint gratiarum lumina.

3. O Maria, stella maris,
Claritate singularis,
Decus mundi nominaris
Mira pulchritudine,
Clara stella splenduisti,
Quando virgo concepisti
Salvatorem peperisti
Sine naturae ordine.

4. Tu salutis mihi stella,
Mihi placa mundi bella,
Ne involvat me procella
Damnantis miseriae,
Mea stella directiva,
Sis a malis salvativa
Et ad portum productiva
Perennalis patriae.

5. O Maria, tu amarum
Mare, quando in poenarum
Passione tuum carum
Conspexisti filium,
Magnum tunc compassionis
Iuxta verbum Simeonis
. . . . . .
Persensisti gladium.

6. Fac me Christo adhaerere,
Pro me passum fac lugere,
Crucifixo condolere
Tanto de supplicio,
Da peccata emendare,
Mihi flere da amare
. . . . . .
Mea sit contritio.

7. O tu domina Maria,
Tu cum potestate pia
Constitutis in hac via
Praesides hominibus,
Angelorum imperatrix,
Infernorum triumphatrix,
Miserorum miseratrix,
Sic dominaris omnibus.

8. O regina tu virtutum,
Esto mihi pacis scutum,
Iter meum serva tutum
A malignis hostibus;
Tuum natum pro me ora,
Ut instante mortis hora
Me commendet sine mora
Angelorum coetibus.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

150. De Vocabulo Purificationis BMV.

1. Festum, quod nobis imminet,
Purificationis
Hoc sacramentum continet
Sanctae religionis,
Ut, quidquid actionis
Pravae mens in se retinet,
Totum virtus eliminet
Purae confessionis.

2. Ob hoc purgari voluit
Maria stella maris,
Quae nil purgandum habuit
Velut ignara maris,
Ut tu, qui macularis
In his, quae lex prohibuit,
Confitendo, quod polluit,
Mundus efficiaris.

3. Consignat haec mysteria
Sub numero sacrato
Dies quadragenaria
Te bene subiugato
Decalogi mandato,
Quod quadrant evangelia,
Ut septiformis gratia
Stet in te pede rato.

4. Verbum patris a virgine
Dum patri praesentatur,
Ut hominis ab homine
Redemptor redimatur,
Per hoc insinuatur,
Ut cum in tuo nomine
Fit bonum opus, Domine,
Tibi laus ascribatur.

5. Oblata legis redditur,
Cum cor simplex et maestum,
Par columbarum geritur,
Ad omnia modestum,
Vincens omne molestum,
Par turturum adicitur,
Cum caritatis sequitur,
Sed carnis fugat aestum.

6. Quinque siclis redimitur
Oblatio legalis,
Quando sensus subicitur
Spiritui carnalis,
Ut fiat spiritalis,
Sic suus Deo solvitur
Regique regnum redditur
Denarius regalis.

7. Sic bonis tergens actibus
Vitae corruptionem
Velut apum operibus
Stuppae collectionem,
Ad pacis visionem
Procedes cum luminibus,
Christum portans in manibus
Sequensque Simeonem.

Cod. Londinen. (Liber Cistercii) Add. 15722. saec. $^{12}/_{13}$.

151. De Compassione BMV.

1. O Maria, mater Christi,
Quem dolorem habuisti,
Cum in cruce conspexisti
Contemplando filium!
Fac me tecum condolere
Et de Christo semper flere,
Qui est passus pro me vere
Peccati patibulum.

2. Tota eras dolorosa
Et plorabas lacrimosa,
Velut nubes pluviosa
Dans cordis suspirium,
Quia Christus, tuus natus,
Spinis erat coronatus
Et irrisus et velatus
In conspectu hominum.

3. Vultus eius gloriosus
Et decore speciosus
Erat turpis et lutosus
Sputis infidelium,
Corpus eius candidatum
Totum erat denigratum,
Quia fuit flagellatum
Manibus crudelium.

4. Quem tu, virgo, dum vidisti,
Prae dolore defecisti,
Sed nec loqui potuisti
Per cordis martyrium;
Corde vero tu dolebas
Et amare nimis flebas
Propter natum, quem videbas
Verberatum nimium.

5. Tantus dolor abundavit,
Qui te totam conquassavit,
Sed et mente laniavit
Scindens tuum animum,
Tu videbas patientem
Christum crucem deferentem
. . . . . .
Ad perdendum unicum.

6. Post hoc Christus denudatur
. . . . . .
. . . . . .
Ut salvetur saeculum;
Per manus ipse pendebat,
Qui iam mundum redimebat,
Tibi mater condolebat
Per cordis incendium.

7. Nimis dure tu plorabas
Et te totam laniabas,
Quia Christus, quem amabas,
Ferebat supplicium;
Non est mirum, o decora,
Si plorabas sine mora,
Iam videbas illa hora
Sanguinem sanctissimum.

8. Post haec Christus exclamavit
Et in cruce exspiravit,
Sol se totum obscuravit,
Quasi lugens Dominum;
O quis possit cogitare,
Quaenam lingua explicare,
Quam tu flebas tunc amare
Videns unigenitum!

9. Stabas, virgo, cum dolore
Iuxta crucem cum maerore,
Quasi virga sine flore
Et amittens lilium,
Nec a cruce recedebas
Et in corde perferebas
. . . . . .
Passionis poculum.

10. Intus eras cruciata
Et in mente vulnerata,
Tota quoque denigrata
Perdens vultum roseum,
Duras plagas Iesu Christi
Sola corde pertulisti,
Vere martyr tu fuisti
Per doloris gladium.

Cod. Vallicellan. B 75. saec. 14. — 2, 8 spectu fehlt. — 4, 4 Prae cordis. — 10, 2 Et in ventre.

152. De Compassione BMV.

1. Gabrielis vox de caelis
Salutavit, quam amavit
Dei excellentia,
Dicens ave, verbum suave,
Virgo tota labe lota,
Plena sapientia.

2. Mater fui novo more
Fecundata sacro rore
Gabriele nuntio,
Genui sine dolore
Reservatoque pudore
Cum candoris lilio.

3. Christum pavi cum honore,
Dans amplexus cum amore
Et cum pleno gaudio,
Nunc repleta sum dolore,
Cum privata sum a flore,
Iesu, meo filio.

4. O Iudaea, quid fecisti!
Prolem meam tenuisti,
Istum sine vitio,
Iesum Christum condemnasti,
Barrabam sed liberasti
Reum homicidio.

5. Christi vultum tu velasti,
„Prophetiza", tu clamasti,
„Cuius haec percussio?"
Illusisti, flagellasti,
Conspuisti, coronasti
Spinis et opprobrio.

6. Crucem hinc imposuisti,
Vestes eius divisisti
In tuo collegio,
Manus, pedes perfodisti,
Cruci Christum infixisti
In latronum medio.

7. Prolem meam blasphemasti,
Sitim eius tu potasti
Felle et absinthio,
Latus eius perforasti,
Hinc cor meum vulnerasti
Cum doloris gladio.

8. Fili, cruce me vidisti,
Iohanni me commisisti
Cum dolore nimio;
Non est dolor ut est meus,
Proles mea, verus Deus,
Moritur suspendio.

9. O vos omnes, qui transitis
Viam vitae, mecum sitis
Tristes, et est ratio.
Pia mater, fac me flere
Mala nostra, ut gaudere
Possim in iudicio

10. Et in huius mundi luctu
Nobis assis tuo fructu,
[Virgo], adiutorio,
Ut post nostri vanos dies
Nobis detur vera quies
In caelesti solio.

Orat. ms. Montis S. Georgii (apud Goslariam) anni 1464. Cod. Guelfenbyteran. 1514, Helmstadien 1391. — 4, 1 O Iuda. — 9, 6 Possim tecum in. — 10, 2 fructo. — 10, 5 vera requies. — „Quicunque hanc orationem devote legerit singulis diebus flexis genibus et cum ea 7 Ave Maria, sciat veraciter, quod non moritur, quin beata virgo Maria assit sibi in fine vitae visibiliter.“ — Ob Strophe 1 zum Liede gehört, bleibt zweifelhaft.

153. De Compassione BMV.

1. Mater Alma Redemptoris,
Iubar Aurei viroris,
Claritatis radius,
Adest en plangenda hora,
Qua cor tuum, o decora,
Pertransivit gladius.

2. Recordare, virgo dia,
Verbum patris et sophia,
Tuus unigenitus,
Iesus Christus captus, caesus,
Spinis diris fronte laesus,
Crucifixus penitus.

3. Ah, quid dicam, spes lugentum!
Mihi si sint linguae centum,
Si facundus fuero,
Virgo, tamen nihil digne,
Nihil tibi coinsigne
Explicare potero.

4. Intuere, rosa, florem,
Vide tuum sic amorem
Exaltatum misere,
Rosascentes patefactas
Mundae carnis catharactas
Quino cerne vulnere.

5. Grandis dolor, quem ferebas,
Quem in corde sentiebas,
Nato cum assisteres,
Ornamentum sic foedari,
Sic virtutem maculari,
Praesto dum aspiceres.

6. O quis dolor, dum spectares,
Dum maternis inundares
Lacrimarum fontibus;
Rosa rubens pallescebat,
Corpus tuum fatiscebat
Admirandis luctibus.

7. Ab amaro demum fletu
Tibi flenti sine metu
Vultus intumuerat,
Post caligo nebulosa
Tibi, dulcis vernans rosa,
Oculos obvolverat.

8. Rubicunda plane rosa,
Tota rubes, amorosa,
Dulcis nati sanguine,
Omni parte profluentem
Quem dum rapis rosascentem,
Rubescis aspergine.

9. Heu, heu, mors o dura!
Morientis tamen cura
In te sola figitur.
Et nec illam Magdalenam,
Condoloris igne plenam,
Moriens adloquitur.

10. Res amoris, disclavatum
Corpus rapis cruentatum
Osculando dulciter,
Tibi mortem adoptando,
Corde miti, vultu blando
Flenti maternaliter.

11. Nutabunda sic in mundo
Volvebaris in profundo
Lugubris maestitiae,
Iam sed audis beatorum
Supra choros angelorum
Cantica laetitiae.

12. Dulcis mater, me tuere,
Mei, precor, miserere,
Mater, mater gratiae,
O tu clemens, mater pia,
Virgo mater, o Maria,
Dona locum veniae.

Cod. Lambacen. 476. saec. 15. — Die Aufschrift des Liedes in der Hs. lautet: Oratio ad beatam virginem de memoria passionis Christi; das Akrostich: Maria virgo, ora pro Hertnido, verrät den Namen des sonst unbekannten Dichters.

154. De Compassione BMV.

1. Virgo mater, recordare,
Quod vidisti filium
Ligno crucis exspirare,
Ut salvaret saeculum.

2. Iuxta crucem astitisti
Corde gemens anxio,
Natum tuum aspexisti
Mori in patibulo.

3. Dolor, tunc quem habuisti,
Maior est martyrio,
Sed gavisa tu fuisti
Resurgente filio.

4. Bona mater, me tuere
Et labentem erige,
Sum peccator miser vere,
Ad te cogor fugere.

5. Rei mei miserere,
Quem gravant miseriae,
Fac me digne paenitere,
Dum est tempus veniae.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1, 1 Gaude virgo recordare.

155. De Compassione BMV.

1. In templo Ierusalem
Iesu praesentato
Plenus ille Simeon
spiritu sacrato
De te prophetaverat,
virgo o Maria;
Completa in filio
est haec prophetia.

2. Tuam, inquit, animam
gladius transibit,
Nec quidquam de omnibus
istis praeteribit,
Quin patrentur singula
a me nunc praedicta,
Audi, mater regia,
o mater invicta.

3. De ferro vel calibe
nihil prophetavit,
Sed doloris gladium
vere denotavit.
Quae vel lingua dicere
aut quis intellectus
Potest comprehendere
adeo perfectus

4. Mensuram et pondera
desolationis
Tuae, virgo regia,
et compassionis?
Quae in tui filii
praesens astitisti
Poenis et in omnibus
particeps fuisti.

5. Nam et Christi animam
spiritu frementem
Conspexisti oculis
mentis et paventem,
Taedentem, maestissimam
et in passione
Nunc tristem, nunc anxiam,
sicque in agone

6. Esset tam horribilis
eius in natura
Haec imaginatio
morte de futura,
Ut patrem de transitu
calicis oraret,
Sudorque sanguineus
ab eo manaret.

7. Immo tua anima
amplius est laesa,
Quam si sic in corpore
tuo esses caesa,
Cum videres pauperem
ipsum assum, flentem,
Labores, insidias,
famem patientem,

8. Duris caesam alapis,
sputo maculatam
Cuius sanctam faciem
veloque velatam,
Nec decor nec species
eius apparebat,
Sed aspectus pallidus
poenas detegebat.

9. Fuit hic rex gloriae
Christus et exosus,
Sic ut aestimatus sit
quasi vir leprosus;
Hunc corona spinea
cernis coronatum
Et puncturis milibus
caput vulneratum.

10. Carnemque tenerrimam,
quam tu concepisti
Et tuo virgineo
lacte nutrivisti,
Flagellatam undique
virga duriori,
Plagas plagis additas,
livores livori.

11. Unde sanguis fluxerat
ut rivi fluentis
Per sacrata latera
Christi innocentis,
Quod in eo sanitas
nec a pedis planta
Capitis ad verticem
esset aliquanta,

12. Adfixum patibulo
clavis laniari,
Pendentem atrociter
nimis cruciari,
Haberi ludibrio,
aceto potari
Morteque pallescere,
latus vulnerari.

13. Multum tibi addidit
doloris, Maria,
Sepultura filii
tui Iesu, quia
Aut vivum aut mortuum
habuisti ante,
Sepulturae siquidem
tempore instante.

14. Omnino praesentia
tibi corporalis
Tunc subtracta fuerat;
o quanta et qualis
In te desolatio
consequens descendit,
Quae et tuam animam
perturbans offendit!

15. Cum propheta dicere
potuisti flendo:
Aquam ducat oculus
meus deplorando,
Quia recessit a me
consolator meus,
Ducens meam animam
Christus homo-deus.

16. Nunc ergo, misericors
virgoque benigna,
Omni plena gratia,
omni laude digna,
Te precamur supplices,
quatenus illorum
Fletuum, tristitiae,
omnium dolorum,

17. Quibus ut compatiens
pia mater Christo
Toto plena saeculo
fueras in isto,
Digneris perfundere
nos una saltem stilla,
Ut nostrae memoriae
sit infixa illa.

18. Iesu poena vulneret
tuique doloris
Gladius nos qualibet
die septem horis,
Ut sic tuo gaudio
filiique tui
In aeterna gloria
mereamur frui.

Scala caeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. — 1, 1 templum.

156. De Compassione BMV.

1. In templo Ierusalem
Christo praesentato
Plenus ille Simeon
Spiritu sacrato

2. Tuam, inquit, animam
Gladius transibit,
Nec quidquam de omnibus
Istis praeteribit,

3. Quin patrentur singula
A me nunc praedicta,
Audi, mater regia,
O mater invicta.

4. De ferro vel de calibe
Nihil prophetavit,
Sed doloris gladium
Vere denotavit,

5. A quo tua anima
Acrius est laesa,
Quam si sic in corpore
Tuo esses caesa,

6. Carnem hanc dum cerneres,
Quam tu concepisti
Et tuo virgineo
Lacte nutrivisti,

7. Flagellatam undique
Virga duriori,
Plagas plagae additas,
Livores livori,

8. Adfixum patibulo
Clavis laniari
Morteque pallescere,
Latus vulnerari.

9. Ubi ensis Simeon
Te tunc vulneravit,
Tuam sanctam animam
Dire penetravit.

10. Nunc ergo misericors
Virgoque benigna
Omni plena gratia,
Omni laude digna,

11. Te precamur supplices
Tuique doloris
Gladius nos vulneret
Die septem horis,

12. Ut sic tuo gaudio
Filiique tui
In aeterna gloria
Mereamur frui..

Scala caeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. — 5, 3 sit in. — 9, 1 Simeonis. — Ein Auszug aus dem vorhergehenden Liede.

157. De Compassione BMV.

1. Maria, quae Iesu Christi
Iuxta crucem astitisti
Concussa dolore,
Cum videres ex te natum
Mortuum et immolatum
Pro me peccatore,

2. Quo dolore movebaris
Supra tui salutaris
Iesu passione,
Nullus est, qui vel pensare,
Vel ad plenum explicare
Valeat sermone.

3. Nec mirum, nam ipsum pati
Videbas, in quo peccati
Macula non erat,
Sed quem sine genitura
Concepisti, virgo pura,
Si quis modum quaerat.

4. O quam tristis es effecta,
O quam intime confecta
Poena patientis,
Circumquaque cruentatum
Videns ex te propagatum
Corpus innocentis.

5. Videns, inquam, flagellari,
Conspui, colaphizari
Et ut morte dignum
Cum iniustis reputatum,
Manus pedesque clavatum
Super crucis lignum.

6. Videns sursum sic suspensum
In opprobrium immensum
A pravis Iudaeis,
Spinis densis coronari
Potu fellisque potari
Despectum ab eis.

7. Videns eius inclinatum
Caput atque „Consummatum
Est“ ipsum dicentem
Audiens, ut commendarat
Ei te, quem praeamarat
Et vidit praesentem.

8. Videns ultimo sacratum
Latus eius perforatum
Lancea pungenti,
Videns tantumque maerorem,
Cumularent ut dolorem
Haec tibi videnti.

9. Tunc, in partu quas nescisti
Poenas, experta fuisti
Materni maeroris,
Tunc, tunc iuxta praedicentem
Pertransivit tuam mentem
Gladius doloris.

10. Sed, Maria, iam laetare,
Quia Christus tam amarae
Passus probra mortis,
Sicut antea praedixit,
Die tertia revixit
Ille leo fortis.

11. Laetare, nam qui descendit,
Ipse est, et qui ascendit
Super omnes caelos,
Ubi secum collocatam
Laudat cunctis te praelatam
Angelorum melos.

12. Illuc, virgo, nos dignare
Filio recommendare,
Cum quo gloriaris,
Quia nobis post eundem
Es fiducia tantundem
Et spes singularis.

13. Mone atque pietatem
Tuam penes egestatem,
Cui subiacemus;
Spes, quam de te reportamus,
Cuius precibus speramus,
Quod salvi fiemus.

14. Alioquin vice versa
Propter opera perversa,
Quibus inhaeremus,
Si iuste diiudicemur,
Ne, quod absit, condemnemur,
Maxima timemus.

15. Sed, o felix advocata,
Quae clamantibus parata
Soles advenire,
Nostras preces admittendo
Nobisque compatiendo
Velis subvenire.

16. Ut redemptis te iuvante,
Virgo post partum et ante,
Lumen vultus sui,
Velit, nolit hostis victus,
Promat Christus, benedictus
Fructus ventris tui.

Cod. Londinen. Reg. 7 A VI. saec. 14/15. — 6, 1 Videns cursus sic. — 6, 6 Despectui. — 10, 4 Sicut anua praedixit.

158. De Compassione BMV.

1. Venite, mares et feminae,
Ploremus cum matre virgine,
Planctibus fruamur intimis
Facies rigando lacrimis
Cum Maria.

2. Cor nostrum ploret et oculus,
Nos pungat amoris stimulus,
Heu, mater carens contagio
Tam dulci privatur filio
In sepulcro.

3. Innocens et expers criminis
Moritur misertus hominis,
Maeroris simus consocii,
Cum simus causa supplicii,
Cum Maria.

4. Gloria virginis filio,
Qui pro nobis in exsilio
Se dedit tormentis asperis
Vitam reddendo miseris
Cum Maria.

Cursus hinc inde collecti, imp. Augustae 1487. — 1, 2 cum Maria virgine. — 3, 4 sumus. — 4, 4 Lies: Ut vitam redderet miseris?

159. De Compassione BMV.

1. Verus homo, verus Deus,
Propter reos factus reus,
Carne crucifigitur;
Sic salvator condemnatur,
Ut mors iure moriatur,
Vita sponte moritur.

2. Et videris ratione
Non hic minus in agone
Tulisse quam filius;
Suum corpus victimam
Dedit, tuam animam
Pertransivit gladius.

3. Sed resurgens leo fortis
Aufert principatum mortis,
Praedam refert inferi;
Plus compassa patienti
Plus consurgis resurgenti
Quam sanctorum ceteri.

4. Placa nobis, o beata
Parens, natum, patrem, nata,
Carnis pro flagitio
Ne mens ipsa flagelletur,
Sed in nobis iteretur
Christi resurrectio.

Cod. Trecen. (ol. Claraevallen.) 1612. saec. 15.

160. De Compassione BMV.

Ave, regina angelorum et archangelorum,
Laus et gloria sanctorum
Et totius trinitatis nobile triclinium;
Tu [inno]cens plus quam innocentem genuisti,
Tu munda mundum mundo protulisti.
Propter plagas Iesu Christi,
Quas cruentas flens vidisti
Pro nostra miseria,
Fac nos dignos te videre
Et in caelis tecum gaudere
In perenni saeculorum tempore.

Cod. Parisin. 11343. saec. 15. — „Hanc orationem dicentibus remittuntur xl dies de iniuncta paenitentia."

161. De Compassione BMV.

I.

1. Iam nunc matri virgini,
anima, intende,
Quantum ipsa doleat
sub cruce, perpende,
Ut te secum vulneret,
preces mox impende,
Et quod illi condoles,
lacrimis ostende.

2. O quantum es, genetrix,
intus cruciata
Ob tormenta filii,
tam multiplicata!
O virgo christifera,
mea advocata,
Mihi nude aliquid
pande exorata.

3. O mea fiducia
meaque patrona,
Omnis pudicitiae
rutilans corona,
Esto praesens spiritu,
praesens non persona,
Et quod ipsa edoces,
loquar, mater bona.

4. Loquere nunc, domina
super omnes digna,
Reum ne despicias,
precor, o benigna,
Mihi tua vulnera
concite designa
Ac tantae materiae
verba da condigna.

5. Sed respondes forsitan,
me non esse talem,
Cui hanc materiam
reveles poenalem,
Meque tuis ultimis
servis non aequalem,
Ut petam hanc gratiam
a te spiritalem.

6. Scio vere, domina,
me indignum esse,
Sed quid accusanti se
poterit obesse?
Te pro nato supplico,
virgo stirpis Iesse,
Ut tu meis precibus
digneris adesse.

7. Sed dicis non omnia
me fateri vere,
Nec, sicut peccaverim,
promere sincere,
Oblivisci plurima,
quaedam reticere,
Nec vitando crimina
bene paenitere.

8. Heu, mater clementiae,
haec sunt dura verba,
Quae, proh dolor, vera sunt,
licet sint acerba,
Nam nudari, sicut est,
non vult mens superba,
Sed te rogo, sana me,
o salutis herba.

II.

9. En, tibi confiteor
omne crimen meum,
In peccatis omnibus
fateor me reum,
In quibus cognoscis me
offendisse Deum,
Ut et ipse salvet me,
prece coge eum.

10. Peccavi superbia,
cogitatione,
Visu, verbo, opere
et omissione,
Gustu, tactu, auditu,
odoratione,
Multa negligentia,
delectatione.

11. Deliqui malitia
et perverso more,
In Dei et proximi
modico amore,
Luxu, avaritia,
ira et livore,
Gula et acedia,
odio, torpore.

12. Haec tibi confiteor
et omnipotenti
Et sanctorum coetui
vobiscum manenti,
Deprecor ob meritum
divini tormenti,
Salvate culpabilem
parcendo petenti.

13. Ecce, qualis factus sum
saepe delinquendo,
Tibi aliquantulum,
o clemens, ostendo,
Mea mala omnia
tibi nunc commendo,
Ut tu ipsa salves me
ea auferendo.

14. Sed, quid ago referens
sordes foeditatis
Ad auditum virginis
summae puritatis!
Horresco, sanctissima
mater pietatis,
Ista loqui auribus
tuis illibatis.

15. Expavesco, ne forsan
te a me avertas
Mentis ob putredines
intra me insertas,
Sed per Iesum deprecor,
ad me te convertas,
In quo tot miserias
cognoscis tam certas.

16. Tu, quae vota omnium
pie intueris,
Numquid soli misero
mihi dura eris?
Cur misericordiae
ergo nomen geris,
Si reo petenti te
tu non misereris?

17. Hanc consuetudinem
propter me non mutes,
Per quam soles miseris
reddere salutes,
Nec me, quamvis impium,
flagito, refutes,
Sed tuae clementiae
fac in me virtutes.

18. Recordare, domina
prae cunctis perfecta,
Quia ob culpabiles
fuisti electa,
Mater propter miseros
Dei es effecta,
Ergo salva miseros,
nostra spes erecta.

19. Te pro reis, domina,
Deus est ingressus,
Pro eis miserias
multas est perpessus,
Pro ipsis vidente te
in tormentis fessus
Ac mortis angustiis
est pro illis pressus.

20. Ergo nobis, genetrix,
semper sis parata
Reorumque infimum
audi me rogata,
Memento, pro quibus es
tantum exaltata,
Et pro quibus tua est
proles tormentata.

21. Meas preces, domina,
digneris audire
Et nunc et in posterum
semper subvenire,
Tuas atque Domini
plagas fac me scire
Et in corde iugiter
devote sentire.

22. O fracta doloribus,
stans sub crucis ara,
Ex nati vulneribus
plena et amara,
Cur precanti vulnera
mihi es ignara,
Quae larga et libera
dicta es et gnara?

23. O mea fiducia,
mater salvatoris,
Me transfige gladio
tui mox doloris,
Dita me ex munere
perfecti amoris
Ac dic meae animae
vim tui maeroris.

24. Nunc, nunc praesens spiritu,
mater singularis,
De tuis doloribus
aliquid loquaris,
Quod placere valeat
tuis servis caris
Et eos aspergere
lacrimis amaris.

III.

25. Importuna anima,
cur ad me sic clamas,
Quae tam raro recolis
et tam parum amas?
Sed dicis audisse te
de me pias famas
Et ob hoc audacius
sic ad me exclamas.

26. Modo si audire vis
poenas meae mentis,
Crucifixo filio
meo condolentis,
Vanitates abice
cordis discurrentis
Et lamenta animi
da compatientis.

27. Sine fletu, [anima,]
haec audire noli,
Ubi me sic compati
vides meae proli,
Vere fudit lacrimas
multas factor poli,
Ubi mortem sustulit
dominator soli.

28. En, imprimis adloquar
te certificando
Ex hoc, quod tu cogitas
de me aliquando,
Si cognovi vulnera
cuncta speculando,
Quae suscepit filius
meus tolerando,

29. Scias, quia dolor me
in tantum premebat,
Quod vim veri corporis
cum sensu dolebat,
Sed immensus filii
amor me cogebat
Omnes poenas cernere,
quas ipse ferebat.

30. Cumque poenam aliquam
inferri cernebam,
Tota quasi moriens
mox deficiebam,
Sed amoris impetu
statim revivebam
Et tormenta filii
avide videbam.

31. Nam in eo meum cor
totum habitabat,
Quem ineffabiliter
plus quam me amabat,
Idcirco, quod filius
meus tolerabat,
Inconsolabiliter
meum cor gravabat.

32. Nam cum eo meum cor
dure est ligatum,
Colaphis et alapis,
sputo maculatum,
Probris et blasphemiis
illusum, vexatum,
Flagris eius asperis
multum tormentatum.

33. Cum nato et cor meum
spinis coronatum,
Ligni crucis pondere
secum oneratum,
Ad locum calvariae
cum ipso tractatum,
Eius potu fellico
est amaritatum.

34. Cum magnis doloribus
vidi spoliatum,
Delicato sanguine
totum cruentatum,
Cum eo et cor meum
tensum et clavatum,
Ecce, vides meum cor
totum laceratum.

35. Contemplare, anima,
meum cor clavatum
Et cum meo filio
saepe perforatum,
Sed mihi est maxime
metu cor gravatum,
Quod non est suppliciis
his vita privatum.

36. Sed inenarrabiles
poenae me torquebant,
Quando crucem impii
sursum erigebant,
Nam cum tanto impetu
stare faciebant
Et ineffabiliter
natum adfligebant.

37. O si scires, quantum me
poena haec gravabat,
Quando nati manuum
plagas dilatabat,
Quamquam profundissime
ipse supplicabat,
Et quam amarissime
vere tunc plorabat.

38. Stabam sub patibulo
mater verbi Dei,
Videns pati Dominum
universae rei,
Condolebam intime
eius speciei,
Quam deformem fecerant
torquendo Iudaei.

39. In languore maximo
et dolore gravi
Ad natum saepissime
oculos levavi,
Vere vae, ut poteram,
vae, fili, clamavi
Ego te ad poenas has,
fili, generavi.

40. Suspexi multoties
ad natum suspensum,
In cruce atrociter
clavatum, distensum,
Solum iustum filium
inter reos pensum
Et haec gemens perdidi
paene meum sensum.

41. In dolore maximo
filium videbam
Et iuvare penitus
eum non valebam,
Gemitus, suspiria,
singultus edebam,
Lacrimas multiplices
amare fundebam.

42. Vidi sacram faciem
et deliciosam,
Plus quam lingua exprimat
dulcem, gratiosam,
Multis prae angustiis
totam lacrimosam,
Cruentatam, lividam
atque maculosam.

43. Nam tam largas lacrimas
oculi stillabant,
Quod prae multitudine
fletus caligabant,
Quia nulli aderant,
qui eos mundabant,
Sed lugentem filium
multi subsannabant.

44. Sanctum caput filii
lassum dependebat,
Nam, ubi quiesceret,
locus non manebat,
Praeter spinas minime
pulvinar habebat,
Cuius dolor multiplex
multum me torquebat.

45. Manus sacratissimas,
quas saepe tractavi,
Laceratas graviter
tunc consideravi,
Quas augebant nequiter
perforatas clavi,
Quos in his transfixerant
tunc Iudaei pravi.

46. Aspexi dignissimos
pedes laniatos,
Heu, percussos malleo,
ferro terebratos,
Omnes artus corporis
simul cruciatos
Et compages ossium
dire dissipatos.

47. Gustum mei filii
felle cruciabant,
Auditum blasphemiis
Iudaei vexabant,
Olfactum putredines
loci tormentabant,
Et haec simul omnia
multum me gravabant.

48. Me loqui ad filium
amor compellebat,
Ac affectuosum cor
sermones edebat,
Sed, heu, dolor nimius
eos dirumpebat,
Quod verba edicere
lingua non valebat.

49. Sensibus languentibus
iam deficiebam
Et confractis viribus
dolens corruebam,
Sed resumpto spiritu
voce, qua valebam,
In verba huiusmodi
statim prorumpebam:

50. Vae, vae mihi, fili mi,
vae, vae, care nate,
Ecce, diviserunt me
hi perversi a te,
Adiuva me, obsecro,
in anxietate,
Audi preces miserae
matris desolatae.

51. Per te, fili, habui
omnia secunda,
In te, Iesu, exstiti
iugiter iucunda,
Heu, nunc in tristitia
pro te sum profunda,
Qua te sic excruciat
turba haec immunda.

52. Tecum fac obire me
per istum agonem,
Quae te ipsum alui
ad hanc passionem;
Ergo, heu, lactavi te
ad occisionem,
Fac me, precor, commori
per compassionem.

53. In te impassibilis,
fili mi, fuisti,
Totum hoc, quod pateris,
de me assumpsisti,
Ergo fac, ut moriar
tecum caede tristi,
Quia te exposui
dirae morti isti.

54. O, quis det, ut subeam
pro te, fili, mortem,
Cuius de me misera
tu sumpsisti sortem?
Fili, cur permittas me
nunc esse tam fortem?
Rogo, moriendo me
tuam fac consortem.

55. O mea laetitia,
salus, spes et vita,
Cur me relinquis, fili,
desolatam ita?
En, sine auxilio
sum in poenis sita,
Iam mea solacia
cuncta sunt finita.

56. Eia, vide, fili mi,
maternum gravamen;
Quis mihi de cetero
praestabit iuvamen?
Audire nunc digneris
maternum precamen
Et ad minus mihi da
aliquod solamen.

57. At tunc Iesus audiens
me indesinenter
Supplicare, gemere
et flere continenter
Intuensque anxium
meum cor patenter,
Consolari lugubrem
nisus est clementer.

58. O si scires, qualiter
mihi condolebat.
Nempe pro me multo plus,
quam pro se languebat,
Et eius poenalitas
multum me premebat,
Ac utrosque passio
vicissim angebat.

59. O immensa gravitas
et anxietudo,
Poena ineffabilis
et amaritudo,
Quantum pressit ambos nos
haec vicissitudo,
Quos inaestimabilis
strinxit gratitudo.

60. Iam morti adproximans
flentem me vocavit,
Iohannem in filium
mihi ordinavit,
Me in matrem pariter
illi commendavit,
Heu, doloris gladius
me tunc perforavit.

61. Semivivum Dominum,
heu, audiebamus,
Loqui pro maestitia
nihil valebamus,
Iesum pene mortuum
fari videbamus,
Respondere aliquid,
heu, non poteramus.

62. Ego cordis iubilum
mei amittebam
Et in multas lacrimas
tota defluebam,
Vitam meae animae
obire videbam,
Sic poenis ingentibus
tunc liquefiebam.

63. Nam sibi humanitas
derelinquebatur,
Tunc tota nec deitas
opitulabatur,
Verum et passibilis
valde reddebatur
Et „Cur reliquisti me,
Deus?“ loquebatur.

64. Anima, si rumines
pie hunc dolorem,
Possidebis forsitan
lacrimarum rorem,
Et si tu devota sis
cupiens honorem,
Meditare saepius
hunc meum maererem.

IV.

65. O misericordiae
immensae repleta,
Laus et honor tibi sit,
mater, sine meta,
Omnia, quae facta sunt,
nota et secreta,
Tibi solvant gratiam,
virgo nomen feta.

66. Iam orbaris lacrimis
per compassionem,
Cogor interrumpere
tuum hunc sermonem,
Gratiarum reddere
tibi actionem
Et tuam extollere
miserationem.

67. O mea fiducia
mater Dei veri,
Per te oro iugiter
ad bona urgeri
Et a malis omnibus
per te cohiberi
Tuisque doloribus
semper adimpleri.

68. Utinam cum lacrimis
possem nunc rugire
Et pro te, o domina,
dolendo obire,
Poenas tuas semper me,
peto, fac sentire,
Meum cor durissimum
digneris mollire.

69. Heu, quare post filium,
domina, abisti
Et cur ad Calvariae
locum exivisti?
Quare solitarie
domi non mansisti?
Fortassis, ut in morte
perimaris Christi?

70. Nonne nati passio
nobis esset satis,
Nisi crucifigeret
te plebs feritatis?
Cur fecisti, domina,
corpus sanctitatis
Vas amaritudinis
et poenalitatis?

71. Heu, non solum cerno te
iuxta crucem flentem,
Sed simul cum filio
in cruce manentem,
Ipsum corporaliter
in ligno pendentem,
Tuam vero animam
suspensam dolentem.

72. Heu, contemplor tuum cor
saepe perforatum
Et cum membris singulis
nati conclavatum,
Ecce, geris infra te
crucifixum natum,
Flagris, spinis, ictibus,
clavis laceratum.

73. O cor delectabile,
dulce et sacratum,
Heu, nunc in angustias
totum es mutatum,
Probris et blasphemiis
nimis molestatum,
Sputis, felle, fletibus
es amaritatum.

74. O amabilissimum,
plenum cor dulcoris,
Quare sic conversum in
globum es maeroris?
Partem mihi, flagito,
da tui doloris,
Lacrimarum, vulnerum
natique languoris.

75. Tunc caro discipulo
matre commendata.
Ut sacrata pagina
esset consummata,
Proles Dei „Sitio“
dixit fatigata,
Sed, heu, ei potio
est amara data.

76. O Messia, supplico
tuam pietatem,
Pelle a me crapulam
et ebrietatem,
In cibis et potibus
da sobrietatem,
Ne sinas me subire
per edacitatem.

77. Heu, heu, quare cupimus
lautius cibari
Sive delicatius
unquam satiari?
O Iesu, ne sinas nos
ita delectari,
Qui felle dignatus es
pro nobis potari.

78. Tunc, sicut apostolus
Iohannes dictavit,
Iesus „Consummatum est“
statim recitavit,
Sicque suum spiritum
patri commendavit
Cum clamore valido,
et sic exspiravit.

79. Moriente Domino
terra contremebat,
Scindebantur lapides,
sol lumen claudebat,
Resurgebant mortui,
populus maerebat,
Velum templi scissum est,
luna non lucebat.

80. Si insensibilia
sic compatiantur,
Et in morte Domini
lapides scindantur,
Erubescant homines,
qui non contristantur,
Dum obisse Dominum
Iesum meditantur.

81. Tu dixisti, Domine,
prophetiam vere,
Quod nostrum lapideum
velles cor delere
Et cor tuo populo
carneum praebere;
Sed, heu, vix vult anima
tibi condolere.

82. O plus quam lapidei,
ingrati, indigni,
O nostri duritiam
cordis inbenigni,
Nonne contumelia
multa sumus digni,
Qui parum compatimur
regi tam insigni?

83. O cor meum pessimum,
durum, vagum, vanum,
Durius lapidibus,
quasi inhumanum,
Saltem nunc compatere,
nisi sis insanum,
Dum sic vides compati,
quod non est humanum.

84. O Iesu, quot gratiae
das donationes,
Omnes tuas supplico
miserationes,
Cordis mei dilue
obdurationes,
Et da mihi lacrimas
et compassiones.

85. Contemplare, anima,
cum magno fervore
Iesum Christum madidum
in suo cruore,
Virum sine specie
et sine decore,
Vulneratum, mortuum
tuo pro amore.

86. O, quantae, deifera,
tuae sunt pressurae,
Dum sic miserabiles
dolent creaturae!
O, quae lingua exprimit
vel mens penset pure,
Quales nato mortuo
tuae sint torturae?

87. O, quis novit, mea spes,
tuos cruciatus,
Quando Iesus coram te
est translanceatus,
Quando sic percussum est
illud sacrum latus,
Cuius sanguis pretium
nostrum est vocatus?

88. Nam corpus exanime
ictus non gravabat,
Sed tuum beatum cor
dire perforabat,
Iam cruorem lancea
de corde libabat,
Sed totius vulneris
dolor te vexabat.

89. Bernhardus, qui multum te,
virgo, diligebat
Et pro suis viribus
tibi serviebat,
Sicut tua pietas
eidem praebebat,
Sensum subsequentium
nobis describebat.

90. Iuxta crucem filii
mater assistebat,
Fletu amarissimo
iugiter lugebat,
Nam sensu emortua
ipsa vix vivebat,
Voce atque viribus,
proh dolor, carebat.

91. Immo fracta, anxia,
tacensque pallebat,
Vivens fuit mortua,
moriens vivebat,
Heu, plena angustiis
anima manebat,
Vivens tamen mortua
mori non valebat.

92. Rursus sese erigens
in maerore stabat
Et pendentem filium
flens considerabat,
Mori plus quam vivere
nempe adoptabat,
Dum deponi filium
suum exspectabat.

93. Tunc dicebat eiulans
illis depravatis:
Ecce, desideriis
vestris consummatis
Mihi matri miserae
corpus deponatis,
Vel, si libet, illi me
necando iungatis.

94. Suum natum tangere
mater cupiebat
Seque, quantum poterat,
sursum erigebat,
Sed ad eum tangere
nequaquam valebat,
Heu, ad terram debilis
graviter cadebat.

95. Iterum vi amoris
sursum ferebatur
Et crucis patibulum
mox amplectebatur,
Filiumque tangere
multum nitebatur,
Sed ad terram durius,
heu, collidebatur.

96. Ibi iacens anxia
male torquebatur,
Immensis doloribus,
heu, opprimebatur
Et cadentem sanguinem
deosculabatur,
Quod cruore facies
rubra reddebatur.

97. Inter haec discipuli
Iesu duo grati,
Nicodemus et Ioseph
qui sunt appellati,
Habita licentia
praesidis Pilati,
Ut Iesum deponerent,
venerunt parati.

98. Quibus visis paululum
mater revivebat
Ac eis, quod poterat,
iuvamen praebebat,
Unus de vulneribus
clavos extrahebat,
Alius, ne caderet,
corpus sustinebat.

99. Tunc caput et brachia
mater assumebat
Et ad se maestissima
concito trahebat,
Super iam depositum
osculis ruebat,
Satiari minime
de caro valebat.

100. Tunc ad sui filii
caput mater stabat
Beatamque faciem
lacrimis rigabat,
Saepe profundissime
gemens suspirabat
Se ipsamque feriens
tales voces dabat:

101. O fili carissime,
quid mihi fecisti?
Cur Iudaei morti te
tradiderunt isti?
Quare me relinquere
post te voluisti?
Succurre spiritui
meo nimis tristi.

102. O mi amor unice
atque salutare,
Gaudium, solacium
meum singulare,
Vita meae animae,
o fili, dic, quare
Permittis dolere me
pro te tam amare?

103. Ubi est, quod habui,
gaudium tam latum,
Dum virgo concepi te
peperique natum?
In magnam maestitiam,
heu, nunc est mutatum,
Dum te, meum gaudium,
video necatum.

104. Sed dolendo domina
modum conservabat,
Firmam fidem retinens
nihil desperabat,
Immo iuste doluit
recteque plorabat,
Dum iniuste Dominum
perimi spectabat.

105. Tunc volentes Dominum
sepulcro locare,
Ne tam cito facerent,
coepit haec rogare,
Hi volebant mortuum
sepulturae dare,
Ipsa ad se visa est
corpus retractare.

106. Inter eos taliter
pia lis fiebat,
Sed eorum quilibet
acriter dolebat,
Et pro matre virgine
maxime plangebat,
Quia ipsa anxie
iugiter lugebat.

107. Tunc ad tumbam Domini
singuli venerunt
Et sepulto Domino
laudes persolverunt,
Sed Mariae oculi
lacrimas fuderunt,
Singultus et gemitus
eam vexaverunt.

108. Taliter in tumulo
Iesu collocato
Genetrix tristissima
benedixit nato,
Commendavit, aestimo,
eum patri grato,
Gemens, flens et eiulans
pro mortificato.

109. En, qui nunquam moritur,
dominus deorum
Sepelitur mortuus
manibus servorum,
Quem nec terra continet
nec caeli caelorum,
Clausus est sub lapide
more mortuorum.

110. Tunc is, cui Dominus
matrem commendavit,
Iohannes videlicet
lugentem levavit
Urbemque Ierusalem
cum ea intravit
Et ei ut filius
pie ministravit.

111. Tunc devotae feminae,
quae ista viderunt,
Quae viventem Dominum
secutae fuerunt,
Mortuo obsequium
gratae praebuerunt,
Amentes aromata
ei paraverunt.

112. Inter quas Magdalena
talis videbatur,
Quod sexus feminei
obliviscebatur,
Sic amoris ignibus
fervens reddebatur,
Quod pergens in tenebris
nihil verebatur.

113. Sed virgo puerpera
fletibus vacabat,
Lugendo post filium
iugiter plorabat,
Quanta passus fuerit,
mente haec tractabat
Et in corde languido
flendo ruminabat.

114. Die autem tertia
Christo resurgente,
Captivos ab inferis
secum educente,
Descendebat angelus
de caelo repente
Terrae motu pariter
facto vehemente.

115. Maria Magdalena
ad tumbam pergebat
Secumque aromata
parata ferebat,
Nec arma nec homines
feros metuebat,
Sed ferventer diligens
Dominum quaerebat.

116. In tumbam aspiciens
Christum non videbat,
Conturbata amplius
sublatum credebat,
Consolantes angelos
audire metuebat,
Nulli nisi Domino
placere valebat.

117. Et quia ferventius
ceteris quaerebat,
Ipsi soli Dominus
primus apparebat,
Et, ne eum tangeret,
statim prohibebat,
Sed, quod vivum viderat,
fratribus dicebat.

118. Passionis Domini
finito agone,
Et ex Iudae genere
vincente leone,
Suscitato filio
victoque dracone,
Ergo Dei genetrix
dolores depone.

119. Gaudens vide filii
corpus immortale,
Subtile et agile
et spirituale,
Cui non nocebit plus
coniunctum carnale,
Resurrexit, ut dixit
die quodam tale.

120. Si gaudet Magdalena
viso peramato,
Qui eam absolverat
a suo peccato,
Multo magis gaude tu,
mater, viso nato
In tam vivo corpore
iam glorificato.

121. Deprecor te, domina,
et hanc Magdalenam,
Iuvate, ut cogitem
Christi passi poenam
Atque conscientiam
habeam serenam,
Dei atque proximi
caritatem plenam.

122. Tibi epa offero
mater haec divina,
Angelorum domina,
caelorum regina,
Reorum refugium,
aegris medicina,
Hoc, te rogo, suscipe,
stella o marina.

123. Domina, legentes hoc
deprecor audito,
Saepius legentibus
pie subvenito,
Legentes saepissime,
ne cadant, fulcito,
Hoc amantes intime
ut tuos munito.

124. Me ut tuum, domina,
velis custodire,
Tibi semper coge me
devote servire,
Precor, ne de cetero
indignum perire
Nec nisi praesente [te]
sinas me obire.

125. Pie lector, oro te,
recitare velis
Semel ad christiferam
Ave Gabrielis,
Ut me, qui hoc compegi,
collocet in caelis
Et cunctorum hostium
protegat a telis.

126. O Deus omnipotens,
cuncta qui disponis,
Unus in substantia,
trinus in personis,
Fac nos ita memores
Christi passionis,
Ut aeternis perfrui
mereamur bonis.

127. O Pater, qui filium
in mundum misisti
Et per eum impios
iustificavisti,
Fac nos velle, quae tu vis,
nolle, quae odisti,
Nosque salva meritis
matris Iesu Christi.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. $^{14}/_{15}$. — 3, 6 pravis non. — 15, 3 putredinem. — 40, 8 meae. — 49, 7 Et verba. — 57, 4 indesinenter. — 60, 7 Heu tunc doloris. — 60, 8 tunc fehlt. — 66, 3 cogo. — 69, 7 ne in morte. — 74, 5 Per te mihi; oder construiere: aliquid tui doloris. — 106, 7 Quod ipsa. — 116, 7 Nulli sine. — Vorher geht: Incipit Planctus gloriosissimae virginis Mariae; dann:

Lector posco pie, virginis memorare Mariae,
Non hic auctorem reputes sed quaere saporem,
Esto, quaeso, mitis et pro factore preceris,
Ut verae vitis caelesti dono satieris.

Hierauf folgt ein Prologus in sechs Sequenz-Strophen. Derselbe ist zusammengesetzt aus Teilen der Sequenz: Surgit Christus cum tropaeo (Kehrein, Nr. 227) und der letzten Strophe der Sequenz: Gaude Sion, quod egressus (Kehrein Nr. 800). Hieran schliefst sich noch die Strophe:

Virgo mater, pia, bona,
Advocata et patrona,
Prece semper sedula
Apud curiam summi regis
Derelicti vices gregis
Commenda per saecula.

Bei II steht: Sequitur confessio, bei III: Sequitur responsio beatae Mariae, bei IV: Sequitur gratiarum actio animae.

162. De Compassione BMV.

R° Dic, Maria, quid vidisti.
Contemplando crucem Christi?

1. Vidi Iesum adligatum,
Sic aspexi dulcem natum
Vinctum duci ad Pilatum
Peccatorum manibus.

2. Vidi turbam cognitorum
Undecim apostolorum
Gravi metu Iudaeorum
Christum derelinquere.

3. Vidi Petrum sic ferocem
Dantem morti se per vocem
Formidasse servae vocem
Ter negantem Dominum.

4. Vidi Petrum paenitentem
Et amaros fletus dantem,
Lacrimando se pulsantem
Tunc, cum gallus cecinit.

5. Vidi coram tribunali,
Quem figebant testes mali,
Pro responso quali, quali
Alapa contunditur.

6. Vidi Iesum flagellari,
Heu, spinis coronari,
Illudendo blasphemari,
Meum dulcem filium.

7. Vidi eum deformatum,
Per flagella maceratum
Pondere crucis gravatum
Dorso eius proprio.

8. Vidi Iesum spoliari
Et in cruce sublevari,
Tali more condemnari
Pro mundi criminibus.

9. Vidi Iesum exaltatum,
Dumis caput coronatum,
Latus sacrum perforatum,
Aqua, sanguis profluunt.

10. Vidi „Heli“ ter clamantem,
Sitim felle refoventem,
Vatum scripta consummantem,
Tunc emisit spiritum.

11. Vidi pravos illudentes,
Verbis ad eum clamantes,
Regem ipsum ignorantes
Supernorum civium.

12. Vidi tunc me desolari,
Nimis corde conturbari
Et Iohanni commendari;
Dolor me transverberat.

13. Vidi solem obscurari,
Terram nimis conquassari,
Monumenta reserari
Morte dulcis filii.

14. Vidi de cruce sublatum
Vitae fontem sic fuscatum,
Monumento tunc illatum,
Quem Ioseph recondidit.

15. Vidi Christum resurgentem,
Claustra mortis infringentem,
Protoplaustos liberantem
Fracto mortis vinculo.

16. Vidi caelos conscendentem,
Portam regni iam pandentem
Et ad vitam nos vocantem
In caeli palatio.

17. Nunc te rogo, mater Christi,
Fer medelam mihi tristi
Eius, quem caste concepisti,
Sic facta memoria.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Mantuan. E I 27. — 5, 2 fingebant. — 7, 3 Pondo crucis aggravatum. — 9, 4 Aqua et sanguis. — 14, 1 de cruce tunc.

163. Planctus beatae Mariae V.

1. Virgo plorans filium
Ductum ad supplicium:
Dic, o rex humilium,
Fili, quid fecisti,
Quia gens incredula,
Mordax velut vipera
Te traxit ad vincula
Et crucem subisti?

2. Te in cruce video
Fixum clavo ferreo,
Dulce fili, defleo,
Dulcis amor meus.
Ecce, mater misera,
Quae te parvum tenera
Nutrivit ad ubera,
Fili mi, o Deus!

3. Moreris et morior,
Pateris et patior,
Maerore afficior,
Tecum volo mori;
Qui es totum gaudium,
Dans Iohannem filium
Sed parvum remedium
Materno dolori.

4. Cerne matrem miseram,
Virginem puerperam,
Quam in annis teneram
Tibi dedicasti,
Ut pupillam oculi
Te servavi saeculi,
Qui peccata populi
In cruce portasti.

5. Fili venerabilis,
Multum delectabilis,
Non est dolor similis
Sicut dolor meus;
Matrem tuam respice,
Fili mi dulcissime,
Noli me deserere,
Dulcis amor meus.

6. Fili mi, tu loquere
Et mori me patere,
Cur me solam linquere,
Fili, vis Iudaeis?
Heu, mors amarissima
Te rapit, o misera,
Iam recedat gratia,
Moreris pro reis.

7. Vadis, vera hostia,
Mortis ad supplicia,
Solus fers stipendia
Ad salvandas gentes.
Ubi Thomas Didymus
Vel Petrus apostolus,
Qui dixerunt „Ibimus
Tecum morientes“?

8. Sed tu plagas pateris
Manuum ac lateris,
Et tu solus duceris
Ad crucifigendum.
Natus sine crimine
De me matre virgine,
Agnus sine murmure
Is ad redimendum.

9. Cum in te considero,
Certe pati video
Crucis in patibulo
Sine culpa poenas;
Quanta fers supplicia,
Verbera, ludibria,
Habens in opprobria
Tuas sputa genas.

10. Tamquam latro caperis
Et ligatus duceris
A Iudaeis miseris
Mortem crucis pati
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

11. Heu, Petre, cur frangeris,
Firmam petram deseris?
Pro quo mori asseris,
Iuramentis negas.
Ante multum loqueris,
Postea mulieris,
Naeh, a verbo sterneris
Atque vitam negas.

12. Solus pastor caeditur,
Totus grex dispergitur,
Pastor bonus patitur,
Et crux fugat mortem.
Mors morte destruitur,
Dum sic vita moritur,
Manus crucifigitur
Et destruxit sortem.

13. Quare tanta pateris,
Cum nihil peccaveris,
Quare nunc sic moreris,
Dulcis amor meus?

Cod. Guelfenbyteran. 1385. Helmstadien. 1277. saec. 15. — 7, 1 Vadit. — 11, 1 Heu me Petre. — 11, 2 iam deseris. — 11, 5 In te multum. — 11, 6 Ne aucto sterneris.

164. Dialogus Mariae cum Populo.

Populus.

1. O perpulchra domina,
cur sic perturbaris?
Nive quae candidior,
fletu denigraris,
Luna, sole clarior,
lugens eclipsaris,
Singulorum gaudium,
tristis lacrimaris,
Vita, salus hominum,
mortua iudicaris?

Maria.

2. Dic, quare non debeam
aspere lamentari,
Natum meum intuens
acriter vulnerari?
Totus sanguis funditur
manu militari,
Nulli membro parcitur,
sic commaculari
Corpus eius video,
dolens haec effari.

Populus.

3. O regina saeculi,
barathri dominatrix,
Scala caeli splendidi,
hominum imperatrix,
Virgo mater Domini,
splendida mediatrix,
Non est sui criminis
plagula vulneratrix,
Mortem morte liberat,
haec sunt, dominatrix.

Maria.

4. Et si prosit homini
dura flagellatio,
Meae tamen animae
haec est gladiatio,
Nam non sensus discutit,
obumbratur ratio,
Cum matris sit ad filium
perfecta compassio,
Quae praedixit fieri
prophetica narratio.

Populus.

5. O fontalis venia,
parce delinquenti,
Sanctorum victoria
gloria praecellenti,
Malo quinque verbula
quam mille legenti,
Secundum tua gaudia
hoc do paenitenti,
Quamvis sit apocrypha,
claret hoc studenti.

Orat. ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Maihingen. I 2. 8° 19.

165. De V Doloribus BMV.

1. Maria dulcis, miseros
nos audi loquentes,
Has quinque tristitias
tibi referentes.

2. Primam fers tristitiam
templum te intrante,
Dum prophetat Simeon
de ense vulnerante.

3. Secundo luctus oritur,
quando rediisti,
Natum in Ierusalem
quando perdidisti.

4. Dum hunc captum prospicis
ternus dolor crescit,
Dum materna caritas
subvenire nescit.

5. Quarto tuo animo
valde sauciaris,
Hunc pendentem publice
dum cruce specularis.

6. Quinta fit maestitia,
dum ipse defunctus
Cruce tuis brachiis
natus est coniunctus.

7. Per has quinque tristitias
ablue maerorem
Atque nos ad caelicum
transfer nunc amorem.

8. Et quia statum mundi
nescimus meliorem,
Post hanc vitam animas
ad summum duc honorem.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Palat. Vindobonen. 4659. A. — Orat. ms. anni 1508. Hs. der k. u. k. Familien-Fidei-Kommifs-Bibliothek. 7955. B. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 2894. C. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Sangallen. 517. D. — 1, 1 Maria dulcis, dulcis audi me A; Maria dulcis misericors miseros BCD. — 1, 2 miserum loquentem A. — 1, 3 Has fehlt ACD. — 1, 4 referentem A. — 2, 2 templo A. — 2, 3 prophetavit D. — 1, 4 ense te vulnerante B. — 4, 1 fehlt D; Dum ipsum BC; Ipsum dum A. — 4, 2 tertio dolor D. — 4, 3 Cum B. — 5, 4 dum fehlt D; cruce dum B. — 6, 1 Quinto fuit D. — 6, 3 De cruce B. — Str. 7 und 8 fehlen A. — 7, 3 sq. fehlen B. — Nach 8, 4 fügt D noch bei: Maria, virgo virginum, consolatrix miserorum.

166. De V Doloribus BMV.

1. Recordare, o Maria,
Quo dolore tua pia
Perfusa sunt intima,
Dum narrante Simeone
Transfigenda cum mucrone
Tua fertur anima.

2. Recordare, virgo clemens,
Tuum natum quantum gemens,
Quem quaerebas triduo
Flens, dum illum perdidisti,
Qui est salus, invenisti
Cum corde assiduo.

3. Recordare, quod turbatum
Est cor tuum, dum artatum
Cognoscebas filium,
Quo detento liberabar,
Qui in culpis captivabar
Praesenti in exsilio.

4. Recordare, quantum flebas,
Dum in cruce hunc cernebas
Moriens deficere,
Quia ventris tui fructus
Sic sanare nostros luctus
Volens ac deicere.

5. Recordare, o praeclara,
Quam immensa, quam amara
Tua fuit anxietas,
Dum in cruce est levatus
Et in tuas ulnas datus,
Qui est vera pietas.

6. Recordare quinque horum
Tormentorum ac dolorum
Perenni memoria,
Ut omnes, qui te invocamus,
Per te sisti valeamus
In caelesti gloria.

Orat. ms. Carthus. Hildesheimen. saec. 15. Cod. Iosephini Hildesheimen 3(6).

167. De VII Doloribus BMV.

1. Ave, virgo, gemuisti,
A Simeone dum audisti,
Cuius doloris gladio
Transgladieris animo;
Fac nos pro nostro scelere,
O pia mater, gemere,
Ne in peccati pulvere
Obdormiamus temere.

2. Ave, virgo, quae dolebas,
In Aegyptum dum fugebas
Ab Herodis imperio
Cum Ioseph atque filio;
Sic a peccatis omnibus
Et a daemonis nexibus
Fac nos solutos libere
Ad tunm natum fugere.

3. Ave, mater, per triduum
Dolendo tuum filium
Inter cognatos quaerebas,
Hunc in templo sed cernebas;
Fac nos Iesum quaerere
In praesenti curia
Et post mortem cernere
In paradisi gloria.

4. Ave, virgo, quae maerebas
In spiritu, dum cognoscebas
A Iudaeis captivatum
Dulcem Iesum, tuum natum;
Sancta mater, istud age,
Captum in peccatis trahe
A peccatorum sarcina
Ad superna gaudia.

5. Ave, virgo, quae flevisti,
Dum secuta tu fuisti
Crucifigendum filium
Euntem ad supplicium;
Fac nos, mater, tecum flere,
Crucifixo condolere,
Ut crucifixum filium
Sequamur in perpetuum.

6. Ave, quae planxisti natum,
Dum vidisti desolatum
Poenis ut latro pendentem
Et in cruce morientem;
Tuo planctu contristatos
Fac nos tecum plangere,
Eius cruce consignatos
Poenasque recolere.

7. Ave, martyr martyrum,
Transgladiata nimium,
Dum vidisti filium
Emisisse spiritum;
Fac nos, pia, vulnerari
Amoris tui gladio
Et post mortem collocari
In caelesti stadio.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. $^{14}/_{15}$. — 1, 1 virgo, quae gemuisti. — 3, 1 mater, quae per. — 6, 4 Et fehlt. — Das Lied wird interessant durch die mehrfachen Entlehnungen aus dem Stabat mater.

168. De VII Doloribus BMV.

1. Simeonis nuntium,
matri quod praedixit,
Cor reginae virginum
graviter afflixit,
Vulnus incredibile
cordi dum inflixit,
Donec eius unicus
mortuus revixit.

2. Mater pudicissima,
cum iam perdidisti
Filium dulcissimum
et hinc doluisti
Ipsumque post triduum
in templo vidisti,
Dolorose quereris:
quare sic fecisti?

3. Cum propinquat eminus
tempus passionis,
Renovatur virgini
mucro Simeonis,
Verba dantur mutuae
valedictionis,
Dum ad opus hominum
it redemptionis.

4. Dum caro virginea
nati flagellatur,
Caeditur, conspuitur,
ridetur, velatur,
Operitur purpura,
spinis coronatur,
Videns haec castissima
mater contristatur.

5. Reversatur iterum
mucro pungitivus,
Fitque cordi virginis
dolor disiunctivus
Corporis et animae,
natus genitivus
Dum per mortem tollitur,
datur adoptivus.

6. Continet in gremio
morte deformatum
Mater, quem cognoverat
speciosum natum,
Manibus virgineis
tractat vulneratum,
Fit cor eius denuo
valde contristatum.

7. Hora completorii
est credendum vere,
Virgo mater Domini
quia coepit flere
Magis, quod non licuit
mortuum tenere,
Quam quod prius debuit
vivente carere.

Orat. ms. Francisc. Monacen. saec. 15. Clm. Monacen. 9084.

169. De VII Doloribus BMV.

1. Christi matris animam
vicibus et horis
Septenis pertransiit
gladius doloris.

2. Te, Maria, gladius
doloris anxiavit,
Quem in templo Simeon
primum prophetavit.

3. Secundus, cum parvuli
Bethlehem necantur
Et per matres flebiles
voce deplorantur.

4. Tertius, cum triduo
Iesum amisisti
In doctorum medio
eumque invenisti.

5. Quartus, cum in spiritu
scires captivari
Iesum, [atque] vinculis,
sputis, flagris dari.

6. Quintus, cum in medio
latronum pendentem
Crucifixum cerneres
atque morientem.

7. Sextus, cum depositum
de cruce tulisti,
Fletum et suspiria
gravia dedisti.

8. Septimus, cum tumulo
corpus abscondisti,
Flens et quasi mortua
inde recessisti.

9. Fac me, virgo, plangere
tecum ac turbari,
In extremis ut queam
per te consolari.

10. Hos dolores recolo
dolens cum Maria;
Christe, me caelicolam
fac cum matre pia.

Collect. ms. Garstense saec. 13/14. Cod. Lincen. Cc II 6.

170. De V Gaudiis BMV.

1. Primum fuit gaudium,
cum, virgo, vidisti
Gabrielem nuntium
per quem cognovisti,
Quod deberes fieri
mater Iesu Christi,
De modo non dubitans
modum quaesivisti.

2. Secundum, cum puerum,
virgo, peperisti
Et erranti populo
lucem protulisti,
Cum tu, pura, puerum
pannis involvisti
Et pastores gaudii
testes recepisti.

3. Per tres magos gaudium
tertium sumpsisti,
Adorantes puerum
dum hos conspexisti
Atque trium munerum
causas perpendisti,
Regnum, mortem, gloriam
nati coniecisti.

4. Et ad quartum gaudium
tota conflexisti
Et ad risum prosperum
faciem solvisti,
Cum surgentem filium
amplexa fuisti,
A quo refrigerium
dulce recepisti.

5. Quintum, cum in corpore
caelos ascendisti
Et cum, quem lactaveras,
Deum conspexisti,
Tunc memor praesaepii
thronum stupuisti,
Cum ad nati dexteram
conregnans sedisti.

6. Ergo per haec gaudia,
mater magni Dei,
Gloriosa domina,
mater sanctae spei,
Apud ipsum memor sis,
oro, precor, mei
Meque reconcilia
sine fine ei.

Scala caeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. A. — Orat. ms. Carthus. Hildesheimen. saec. 15. Cod. Iosephini Hildesheimen. 3 (6). B. — 2, 4 edidisti B. — 2, 5 Pura purum puerum B. — 3, 3 Cum orantes puerum B. — 3, 4 ipsos conspexisti B. — 3, 5 Et tres trium B. — 3, 8 quando iacuisti B. — 4, 2 confluxisti A. — 4, 3 risum proprium B. — 4, 5 Eo surgente filio B. — 4, 6 tu consurrexisti B. — 4, 7 Et surgentem filium B. — 4, 8 amplexata fuisti B. — 5, 3 Et quem tu B. — 5, 8 regnantis B. — Str. 6 fehlt B.

171. De V Gaudiis BMV.

1. Gaude, virgo, gaudium
Mundo dans per filium,
Qui a patre genitus
Promissus est redditus,
Tua sugit ubera.
Primum tibi gaudium
Per caelestem nuntium
Missum fuit caelitus,
Per quod tua spiritus
Fecundavit viscera.

2. Secundum nativitas
Christi, quando deitas
Latuit in homine
Carnis tecta tegmine
Ut esca muscipula;
Tertium mirabilis
Cunctisque perutilis
Christi resurrectio
Et quartum ascensio
Regnantis in saecula.

3. Quintum, cum rex gloriae
Te coniunxit curiae
Caeli super omnia
Exaltans in gloria
Agmina spirituum.
Virgo, per haec gaudia
Fac, ut nos in patria
Omni pulso vitio
Laudes tuo filio
Demus in perpetuum.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

172. De V Gaudiis BMV.

1. Gaude, virgo mater Christi,
Quae per aurem concepisti,
Gabriele nuntio,
Ipsa sola tu fuisti,
Quae pacem cunctis emisti
De tuo servitio.

2. Gaude, quia Deo plena
Peperisti sine poena
Cum pudoris lilio,
Ob hoc nulla rupta vena
Virgo manens et serena,
Natum ferens gremio.

3. Gaude, quia tui nati,
Quem dolebas mortem pati
Fulget resurrectio,
Per quem sumus liberati
Et veteris renovati
Ab erroris devio.

4. Gaude, Christo ascendente
Qui in caelum te vidente
Motu fertur proprio,
Sonus de caelo repente
Apostolis fit non lente,
Redditur in solio.

5. Gaude, quae post ipsum scandis,
Et est honor tibi grandis
In caeli palatio,
Ubi cenas vere mandis
Et, quod habes, cunctis pandis
Et das parvo pretio.

6. Ubi fructus ventris tui
Per te nobis detur frui
In perenni gaudio,
Fac nos peccatis exui
Et tecum caelo statui,
Amen dicat contio.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. 14/15. — 4, 2 Et in caelum. — Nach 6, 6 vielleicht Sequenz.

173. De V Gaudiis BMV.

1. Gaude, virgo concipiens
Verbo virumque nesciens,
Te salutavit Gabriel
Praedicens, quod Emanuel
Pareres, et integritas
Maneret et virginitas
Tibi inviolata.
Ha, propter istud gaudium,
Salus et spes fidelium,
Nostri sis apud filium
Miserans advocata.

2. Gaude, clausa parturiens,
Dolores partus nesciens,
Ut vitrum sol ingreditur,
Nec per ingressum laeditur,
Ex te Christus sic oritur,
Nec pudor diminuitur,
Ac manes illibata.

3. Gaude, videns resurgere
Tuo lactatum ubere;
O, quam laeta tunc fueras,
Quando, quem mori videras
Passum poenas innumeras,
Resurrexisse sciveras
Morte mortificata.
Ha, propter istud gaudium,
Salus et spes fidelium,
Nostri sis apud filium
Miserans advocata.

4. Gaude, destructo funere
Natum videns ascendere
Ad caelos super sidera
Captivitate libera,
Ubi patris in dextera
Summa regit et infera
Carne glorificata.

5. Gaude, quae iuncta filio
Suo laetaris gaudio;
Quam digna est praeconio
Tua felix assumptio!
Nam frueris consortio
Stellato sedens solio
Regina coronata.

Orat. ms. Flandricum saec. 15. Cod. Sitanstetten. 95. — 1, 8—11 wiederholen sich nach jeder Strophe.

174. De V Gaudiis BMV.

1. Heu, miser quid faciam?
Plenus sum dolore,
Nescio, quo fugiam
Mortis prae timore,
Nisi ad te, domina,
Stella cum nitore,
Fulgens super omnia
Speciali more.

2. Ave, virgo regia,
Cella Iesu Christi,
Quae tu plena gratia
Verbo concepisti
Castitatis lilium
Neque perdidisti,
Sed aeterni filium
Patris genuisti.

3. Ave, de qua nascitur
Noster advocatus,
Et de cuius pascitur
Lacte Dei natus,
O regina virginum,
Quaeso, sit placatus
Per te Deus omnium
Puer nobis datus.

4. Ave, plena gaudio,
Mater, inquam, Dei,
Resurgente filio
Tertiae diei
In aurora, nuntia,
Per quam verae spei
Nobis datur gratia,
Confitemur ei.

5. Ave, nostrum gaudium,
Laeta quae vidisti
Ascendentem filium,
Quem tu peperisti;
Vitis o fructifera,
Sponsa Iesu Christi,
Salva nos et libera
De timore tristi.

6. Ave, plena gratia,
Virgo coronata,
Summa cum laetitia
Caelo exaltata,
Spes et nostra gloria,
Clemens advocata,
Nobis in memoria
Sis propitiata.

7. Per haec quinque gaudia,
Verbi Dei cella,
Mortis tua gratia
Dira placa bella
Atque nos a dentibus,
Virgo, maris stella,
Tartari foetentibus
Erue, puella.

Cod. Londinen. Reg 7 A VI. saec $^{14}/_{15}$. A. — Aus einer Wolfenbüttler Hs. (Milchsack, 87) B. — 1, 4 prae dolore A. — 1, 5 Nisi tibi A. — 1, 6 cum virore A. — 2, 3 Quae in plena A. — 2, 4 Virgo concepisti A. — 3, 8 nobis natus B. — 5, 3 dominum B. — 5, 5 O vitis B. — 6, 4 collocata B. — 6, 5 Spes o nostra B. — 6, 7 Nobis cum victoria B. — 7, 1 Per haec quoque vulnera B. — 7, 3 Mortis tui B. — 7, 4 Pelle dira bella B. — 7, 7 sedentibus B. — 7, 8 Eripe B.

175. De V Gaudiis BMV.

Salve, stella maris, via, virgo Maria, salutis,
Lux caecis, claudis gressus, facundia mutis.
Salve, munditiae virgo, matrona pudoris,
Mater, quam puritas ornat, regina decoris.
Nomine multiplici vera te scriptura decorat,
Quam mare, terra, polus, quam spiritus omnis adorat.
Tu flos, tu fructus, tu fons, rosa tu sine spina,
Spes miseris, fessis requies, aegris medicina,
Sol rutilans, aurora micans sine vespere, porta
Iustitiae, per quam lux caelica prodiit orta.
Sponsa, thorus sponsi, thalamus, vinaria cella,
Remigium, per quod maris est vitata procella,
Virgula pigmenti redolens, paradisus amoenans,
Hortus conclusus, tu lux tenebrosa serenans.
Virga virens Aaron vellusque madens Gedeonis,
Quae vires veteris vicisti sola draconis.
Tu lac dulcore, tu balsama vincis odore,
Lilia candore praecellis melque sapore.
Tu fulgens, rutilans, tu candida, tu rubicunda,
Tu speciosa nimis et ab omni crimine munda.
Tu sacra Ierusalem, tu verae visio pacis,
Pace data machinas hostis confringe rapacis.
Arbor odorifera, fecundo praedita fructu,

Cuius ab aeterno gustus lavat omnia luctu.
Tu pratum vernans, tu palma, cupressus, oliva,
Munera divina donans tu dextra dativa.
Tu fulgens choris, candore thronus Salomonis,
Tu pretiosarum virtutum praedita donis.
Aeterni regis tu filia, mater, amica,
Tu nutrix, ancilla, soror, tu sponsa pudica,
Triste nihil redolens, lacrimosum nil sapuisti,
Singula qui solus dat gaudia, quem peperisti.
Gaudia gaudenti tibi singula cum famulentur,
Quinque tamen reliquis tibi gaudia pluris habentur.
Primus erat plausus, in quo gavisa fuisti,
Voce salutari Gabrielis dum meruisti,
Dum Christi matrem te nuntiat esse futuram
Atque puellare post partum ius habituram;
Qualiter hoc esset faciendum, cauta petisti,
Credula de facto, sed scire modum voluisti.
Prospera succedent in plausu cuncta secundo,
Dum de te vita nascens est reddita mundo,
Pura paris puerum, proprium, virgo, genitorem,
Virginitatis habens cum matris iure pudorem;
Testantur partum pastores et venerantur,
Dignaque pastori summo praeconia dantur.
In trino plausu gaudes laetata beato,
Dum tria tres reges dant regi munera nato;
Reges ad fidei perducit praevia portum
Stella, novum regem quae signat in orbe subortum,
Carne latens deitas signatur per data tura,
Murra mors hominis, auro regalia iura.
Quartus erat plausus, dum postquam maesta dolebas
Defunctum natum redivivum laeta videbas,
In cruce cui passo maerendo condoluisti,
Laeta resurgendo natum complexa fuisti,
Victor ab inferno consurgens dum redit imis,
Arte nova suprema ligans postremaque primis,
Diruta restituens, reddens ablata, reducens
Perdita, post mortem vitae novitate relucens.
Quintus adest plausus, quo gaudens glorificaris,
Dum super angelicos cives assumpta laetaris,
Dum scandis loca laetitiae, loca plena favoris,
Quo manet aeterna requies ignara laboris;
Prisca tui nati tibi dum memoratur egestas,
Iam tibi regnanti nimis est miranda potestas.
Gaudia plena vigent, ubi nunc in pace locaris.
Illuc virgineum thorum vexisse putaris:
Nos ibi perpetua Christus mercede coronet
Atque tuis precibus plausus post tristia donet.

Suscipe, quaeso, meos per gaudia quinque precatus,
Dilue, quas merui, poenas et terge reatus.
Plaudens plangenti da gaudens gaudia flenti,
Post planctus plausus, post luctus laeta dolenti.
Mater, amica, soror et summi nata parentis,
Sponsa pudica, comes caelum terramque regentis,
Ad te clamantum votis assiste parata,
Protege, munda reos, miseris miserere, beata.
Quae tibi non valeo praeconia reddere digne,
Suscipe, quaeso, tamen quamvis indigna benigne.
Quas licit indignus tibi solvo, suscipe laudes,
Per te subveniat, cum quo per saecula gaudes.
Quinque per hos plausus devoti quam veneramur,
Te nati quinque per vulnera dira precamur,
Redde pium nobis, cum quo regnas sine fine,
Ne nos aeternae tradat post fata ruinae.
Sit tibi, mater, honor, aeternae ianua lucis,
Luci coniungens tenebras, aeterna caducis.
Gloria sit patri, laus proli spirituique
Sit decus, imperium, virtus perennis ubique.

Cod. Londinen. Reg. 7 A VI. saec. $^{14}/_{15}$.

176. De VII Gaudiis BMV.

1. Gaude, virgo mater Christi,
Quae per aurem concepisti
Gabriele nuntio,
Dum confestim credidisti
Et sic F i a t protulisti
Adnuens altissimo.

2. Gaude, quae a Deo plena
Perperisti sine poena
Cum pudoris lilio,
Quem de caelo tu traxisti,
Caste, virgo, dum vixisti,
Mundi de auxilio.

3. Genuisti, virgo, solem,
Sicut spina mundum florem
Nova [prorsus] genitura;
Protulisti, mater, prolem,
Qui peccati nostri molem
Aufert per te, virgo pura.

4. Gaude, quod tres dona ferunt
Nato, quem adoraverunt
Virgineo in gremio,
A remotis hi venerunt,
Murram, aurum, tus tulerunt
Adorato Domino.

5. Adorabant, virgo, natum,
Quem tu mihi fac placatum
Peccatori maximo,
Ut meum solvat reatum
Et cum hoc me nunc beatum
Faciat in saeculo.

6. Gaude, virgo, praesentatus
Per te quod est tuus natus
Legis testimonio,
Mundo per te vere datus
Mihi, peto, fiat gratus
Et omni pio populo.

7. Gaude, quia tui nati,
Quem videbas mortem pati,
Fulget resurrectio;
Gavisi sunt discipuli
Et multitudo populi
Viso pio Domino.

8. Christus tibi, cum surrexit,
Deitatis tunc detexit,
Pia virgo, gloriam
Et te sanctam, quam dilexit,
A dolore sic erexit
Suae mortis dominam.

9. Gaude, mater, ascendente
Christo caelum, te vidente
Motu fertur proprio;
Oro, tibi supplicante,
Ipso memet adnuente
Transfer de exsilio.

10. Iam me taedet et me laedit
Vitae, quia non oboedit
Caro vilis animae,
Unde cum abhinc recedit,
Da videre, quod iam credit,
In caelesti culmine.

11. Gaude, mater, quia scandis
Et est tibi honor grandis
In caeli palatio,
Ubi fructus ventris tui
Per te nobis detur frui
In perenni gaudio.

12. Gaude, quia, ut a sole
Dies fit, a tua prole
Et tua praesentia
Illustrata iucundatur,
Iucundata gratulatur
Tota caeli curia.

Scala caeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3.

177. De VII Gaudiis BMV.

1. Gaude, virgo generosa,
Cuius vita gloriosa
Mundo confert gaudium,
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

2. Gaude, virgo, Dei porta,
Te laudantes nos conforta
Perenni subsidio,
Quem dum in ventre portabas,
Elisabeth ministrabas
Amoris obsequio.

3. Gaude, virgo singularis.
Decus orbis, lux solaris,
Digna Christum parere,
Sis pro nobis advocata,
Tuo nato virgo grata,
Die mortis miserae.

4. Gaude, virgo, mater Christi,
Quem adorare vidisti
Reges cum muneribus,
Dignare nos te laudare
Sic, ut possimus regnare
Sursum in caelestibus.

5. Gaude, mater summi regis,
In sequendo formam legis
Filium cum hostiis
Praesentasti fide plena,
Virgo decens et amoena,
Purga nos a vitiis.

6. Gaude, mater, quae filio
Resurgente cum gaudio
Felici laetitia
Gavisa es prae ceteris,
Subveni, quaeso, miseris
Donando vitae praemia.

7. Gaude, mater ascendente
Iesu Christo te praesente
Cum ingenti iubilo,
Te precamur, nos dirigas,
Mentesque nostras erigas
In aevae vitae speculo.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 4, 1 mater Dei.

178. De VII Gaudiis BMV.

1. Gaude, stirpe regis nata,
Ab angelo salutata
De superni nuntio.

2. Gaude, fide gravidata,
Novo privilegiata
Partus privilegio.

3. Gaude, fructu decorata,
Tribus magis adorata
Signo stellae praevio.

4. Gaude, Maria beata,
Admodum laetificata
Resurgente filio.

5. Gaude, virgo decorata,
Cui est manifestata
Eiusdem ascensio.

6. Gaude, sancto consolata
Spiritu, irradiata
Suae lucis radio.

7. Gaude, superexaltata,
In carne glorificata,
Recepta cum filio.

8. Per haec gaudia sacrata
Mala nostra sint ablata
Tuo patrocinio.

9. Sancta et immaculata,
Per te nobis pax sit data
Et caelorum mansio.

Orat. ms. Italum saec. 15. Cod. S. Ignatii Londinen. s. n.

179. De VII Gaudiis BMV.

1. Ave, virgo virginum,
Ave, salus hominum,
Ancilla, quae Dominum
Genuisti, virgo, gaude;
Ave, verum gaudium,
Amor et solacium,
Sis mihi principium
Et finis in tua laude.

2. Pater, verbum, spiritus
Assit mihi caelitus
Et tu, plena gratiae,
Ut ad tuum libitum
Sit cor meum deditum,
Reddens tibi debitum
Laudis et laetitiae.

3. Gaudia, quibus plus gaudes,
Honores, virtutes, laudes
Dicam Deo annuente
Corde, lingua, voce, mente.
Primum gaudium de caelis
Venit ore Gabrielis,
Voce dicentis serena:
Ave, tu gratia plena.

4. Per hoc gaudium precamur,
Qui hunc regem veneramur,
Habere propitium,
Ut ab eo protegamur,
Protecti recipiamur
In terra viventium.

5. Secunda laetitia
Fuit ortus nuntia
Angelis canentibus:
In excelsis gloria.
Norunt animalia
Deum in praesaepia
Testibus pastoribus.

6. O Maria, mater pia,
Esto nobis recta via
Apud tuum filium
Atque pro tua gratia
Cuncta pelle vitia
Per secundum gaudium.

7. Post secundam tertia
Fuit stella regia,
Magos cum muneribus

Reges regens praevia,
Deo flexis genibus
Trina dantes munia
Fidem designantia.

8. O Maria, stella mundi,
A peccatis simus mundi
Per te, virgo Maria,
Et virtutibus fecundi,
Laeti tecum et iucundi
Laetemur in patria.

9. Et laetitiae quartae
Maria, soror Marthae,
Fuit fidelis testis,
Cui angelus sic dixit:
Quem quaeritis, revixit,
Ecce, locus et vestis.

10. Ergo, mater creatoris,
Funde preces cunctis horis,
Ut per illud gaudium
Post cursum huius laboris
Beatis iungamur choris
Supernorum civium.

11. Quintum fuit gaudium,
Quando mater filium
Ascendentem vidit caelum
Cunctorum solacium.

12. Per hoc gaudium rogamus,
Ne subici valeamus
Daemonis imperio,
Sed ad caelos ascendamus,
Ubi tecum gaudeamus,
Tecum et cum filio.

13. Sextum sancti spiritus
Dans eis divinitus
Novas linguas, novos sensus,
Scire cunctis penitus,
Nulli in hoc veritus
. . . . . .

14. Per hoc gaudium beatum
Ora, virgo, tuum natum,
Ut in hoc exsilio
Deleat nostrum reatum,
Ne sit nobis imputatum
In magno iudicio.

15. Hoc septimum gaudium
Non est par alterius,
Quando Dei genetrix
Assumpta superius
Audivit choros et thronos
Angelorum atque sonos,
Videns suum filium,
Creatorem omnium.

16. Virgo, mater pietatis,
Sentiamus bonitatis
Tuae beneficium,
Ut nos serves a peccatis
Et perducas cum beatis
Ad aeternum gaudium.

17. O Maria, tota munda,
A peccatis nos emunda
Per haec septem gaudia,
Et, fecunda, nos fecunda,
Duc nos tecum ad iucunda
Paradisi praemia.

Orat. ms. Caelestinorum saec. 15. Cod. Parisin. 18571. — 7, 6 munera, gegen den Reim. — 17, 3 Ut per haec septem.

180. De IX Gaudiis BMV.

1. Gaude, virgo singularis,
Virgo mater unica,
Mater veri salutaris,
Salus mundi publica.
Tu de caelo salutaris,
Tu per aurem gravidaris
Et in cella modica
Magnum Deum hospitaris,
Quem nec caeli, terrae, maris
Tota capit fabrica.

2. Gaude, quae, dum honoraris
Voce sic angelica,
Fructu vitae fecundaris
Contra mortis toxica;
Matris infans, quem adfaris,
Scit, quo fructu replearis,
Clausus alvi tunica,
Quo perpenso comprobaris
Via vitae linearis,
Animarum medica.

3. Gaude, quod nec habearis
In conceptu lubrica
Nec in partu torquearis,
Tu porta dominica,
Porta, quae non reseraris,
Tu quae solem stella paris,
Stella non erratica,
Nesciaque parem paris,
In hoc sola praerogaris
Nec instabit aliqua.

4. Gaude, quae dum a praeclaris
Stella duce magica
Reverenter adoraris,
Reges et Arabica
Dona regum admiraris,
Quibus ipsa figuraris;
Murra docet typica,
Quia cruci complantaris,
Auro regnans ostendaris,
Ture mater deica.

5. Gaude, luna transsolaris,
Luna non ecliptica,
Luna, quae non variaris,
Alba, clara, sphaerica,
Quod oblatis sacris aris,
Quae offerre tenebaris
Ex lege Mosaica,
Voce lumen, quo lustraris,
Tanti stupet luminaris
Simeon prophetica.

6. Gaude, sinus puellaris,
Maiestas authentica,
Quae tyrannum depraedaris
Depraedantem reliqua,
Lupum agno tu venaris,
Qui dum sui fit altaris
Hostia pacifica,
Tuque simul immolaris,
Resurgenti collaetaris,
Soli lux enclitica.

7. Gaude, quae dum consecraris
Divina basilica,
Lapis, supra quem fundaris,
Colla premit hostica,
Lapis quidem angularis,
Reprobatus ab ignaris
In gente Iudaica,
Sed in Christo quae firmaris,
Elevatum contemplaris
Supra quaeque caelica.

8. Gaude, lampas olearis,
Lampas aromatica,
Vas, quod solum non solaris,
Olla spei mystica,
Quod, qua summe replearis,
Exundare merearis
Gratia pneumatica,
Reddendaque largiaris
Tua cara tuis caris
Dona paraclitica.

9. Gaude, quae sic dominaris,
Quod nec habet cantica,
Quibus plene concinaris
Tota mundi musica;
Tu suprema collocaris,
Tu perfecte gloriaris,
Tu potens, tu bellica,
Tu, quae victrix coronaris,
Ne nos vinci patiaris,
Sed pro nobis dimica.

Cod. Londinen. Reg. 7 A VI. saec. 14/15. — 1, 3 salvatoris. — 2, 1 quae sic honoraris. — 2, 4 moris. — 5, 4 Alba clara spica; der Schreiber hat den per-Strich durch das p vergessen. — 5, 5 oblate. — 8, 7 pneumata. — Das Lied bedeutet eine wahre Parforcetour, da derselbe Doppelreim sich durch das ganze Lied hinzieht, u. zw. ohne dasselbe wesentlich zu beeinträchtigen.

181. De X Gaudiis BMV.

1. Gaude, dulcis o Maria,
Felix et beata,
Prae cunctis mulieribus
Nam es exaltata.

2. Gaude, nam per castitatem
Tuam meruisti,
Quod tu sola saeculorum
Regi placuisti.

3. Gaude, quia votum tuum
Deus acceptavit
Atque te prae ceteris
Solam adamavit.

4. Gaude, quia mundi rex,
Qui caelum, terram regit,
In sponsam sui thalami
Te solam praeelegit.

5. Gaude, virgo, quod vocaris
Regina saeculorum
Et in aevum dominaris
Choris angelorum.

6. Gaude, quia splendor es
Et saeculi lucerna
Et glorificata es
Laude sempiterna.

7. Gaude, per te christianum
Genus exaltatur,
Atque regnum supernorum
Per te reparatur.

8. Gaude, quod humanum genus
Per te liberatur
Atque lapsus angelorum
Per te restauratur.

9. Gaude, quia sola tu
Salvatrix miserorum
Es necnon refugium
Et salus peccatorum.

10. Gaude, quia portus es
Et spes desperatorum,
Es quoque solacium
Et mater afflictorum.

11. Gaude, quia Moysi
Legem implevisti
Atque novae gratiae
Vitam inchoasti.

12. Gaude, cunctae creaturae
Te laudant et adorant
Et misericordiae
Matrem te appellant.

13. Gaude, pia, gaude, felix,
Vale, iucundare,
Maria, virgo virginum,
Exsultans tu laetare.

14. Fac me, tuum servulum,
Tibi congaudere
Ac in tua gloria
In aevum te videre.

Cod. S. Petri Salisburgen. b II 3. saec. 15. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. b VII 10. saec. 15. B. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. C. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19363. saec. 15. D. — 1, 1 O Maria, felix, gaude D. — 1, 4 eris exaltata D. — 4, 2 caelos BCD. — 5, 1 Gaude, quod vocaberis D. — 5, 3 Atque dominaberis D. — 6, 1 splendor eris D. — 6, 3 Et glorificaberis D. — 7, 1 Gaude, quia per te genus D. — 7, 2 tuum exaltatur D. — 7, 3 Atque germen David regis D. — 8, 2 reparatur D. — 9, 3 Eris et refugium D. — 9, 4 salusque peccatorum D. — 10, 1 portus eris D. — 10, 3 Erisque solacium D. — 11, 2 legem renovabis D. — 11, 3 novam D. — 11, 4 vitam inchoabis D. — 12, 1 Gaude, quia cuncti te D. — 12, 2 mortales adorabunt D. — 12, 3 Et nunc te piissimam D. — 13, 4 Exsultans te laudare AB. — Str. 14 fehlt D. — A giebt die Aufschrift: „Gaudia decem Mariae"; es erscheinen aber deren 12 aufgeführt.

182. De X Gaudiis BMV.

Gaude, Maria, quae Iesum concipis in te,
Gaude, Maria, Iesum paris, inclita virgo.
Gaude, dant nato tres reges dona beato.
Gaude, quae ducis ad templum gaudia lucis.
Gaude, quae caesum vidisti surgere Iesum.
Gaude, cernis eum caelis inferre tropaeum.
Gaude, quae nato sociaris fine beato.
Gaude, quam Jesus fert in sua brachia laetus.
Gaude, quam secum duxit ad aethera Iesus.
Gaude, quam sanctos exaltavit super omnes.
Gaude, patrona, quam laudat ipsa corona.
Gaude, quam prope se locat exsultans, rosa, de te.
Gaude, quam trina vestit deitate, Maria.
Gaude, cui laeta cor pandit ad alta secreta.
Gaude, quam bina decorat stola pulchra, Maria.
Ad tua nos festa perducito, mater honesta,
Ut Iesum tecum potiamur virgo per aevum.

Orat. ms. SS. Udalrici et Afrae saec. 15. Cod. Augustan. s. n. — 13. trina nescit deitate.

183. De X Gaudiis BMV.

I.

1. Gaude, virgo mater Dei,
Firmamentum meae spei,
Ad quam currunt omnes rei,
Sis incola cordis mei,
Et vitiis me purgato
Virtutibusque beato
Reconcilies me nato,
Ne me puniat pro peccato,
Et bis octo promissorum
Confer munus praemiorum
Ob felicem gaudiorum
Denarium hunc tuorum.

2. Gaude, virgo mater Christi,
Verbum verbo concepisti,
Dum hoc Ave suscepisti,
Quod nos solvit a Vae tristi;
Per hoc Ave tam suave
Nos absolve mortis a Vae
Iugum grave tollens, leve
Confer, mutans nomen Evae.

3. Gaude, fulgens stella maris,
Quae tu nescis thorum maris,
Verum solem Christum paris,
Expers post et ante paris;
Ac per hunc desideratum
Fructum verum ex te natum
Illustres me tenebratum
Vitiorum ob reatum.

4. Gaude, quae, quem peperisti,
Natum quaerens corde tristi,
Quem nimium dilexisti,
Hunc in templo repperisti;
Sic invento tuo nato
Compatere tribulato
Mihi meque consolato
Non arguas de peccato.

5. Gaude, quod in trinitate
Et in tota deitate
Deum cernis oculate
Adhuc vivens hic beate;
Eadem me trinitate
Contemplata deitate
Perfrui fac in beatae
Requiei claritate.

6. Gaude, videns baptizatum
A Iohanne Dei natum,
Voce patris nosce datum
Et pneumate illustratum;
Per te mihi rivus detur
Lacrimarum, quo lavetur
Reatus et baptizetur,
Christus mente cum tenetur.

II.

7. Gaude, virgo casta, pura,
Quod ex omni creatura
Es electa, genitura
Christum trinitatis cura;
Me tibi servum elige,
Diligentem te dilige,
Cum electis me collige
Et ad caelum me dirige.

8. Gaude, quod te matrem Dei
Scis, memento, precor, mei,
Tu ancora meae spei,
Qua salvantur omnes rei;
Memento quoque carorum
Utroque sexu meorum,
Vivorum et defunctorum,
Dans his dona praemiorum.

9. Gaude, quod es imperatrix,
Imperantis Dei latrix,
Larga veniae donatrix
Et maestorum consolatrix;
Imperatrix, impetrare
Inimicis tu dignare,
Qui me quaerunt condemnare,
Ne me queant superare.

10. Gaude, quod omnipotentis
Dei mater es et sentis
Omnipotentem te gentis
Miseratricem degentis;
Tuam ostende potentiam
Tuam atque clementiam,
Hostis domans saevitiam
Et iudicis sententiam.

11. Gaude, quod assumpta gaudes,
Cui dignas cano laudes,
Quod potenter quis et audes,
Hostis saevi seda fraudes;
Post te trahe me tuorum
In odore unguentorum,
Ut te sequar ad caelorum
Regna, decus angelorum.

12. Per ista decem gaudia
Dona sedecim praemia,
Quae promisisti, Maria,
Virgo, regnans inclita,
Ac insuper alia
Concede necessaria,
Quae mihi scis utilia,
Orphanorum mater pia.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. $^{14}/_{15}$. — 1, 1 virgo fehlt. — 1, 7 me tuo nato. — 3, 7 me fehlt. — 4, 1 quae dum.

184. De XII Gaudiis BMV.

1. Gaude, mater speciosa,
Mater Dei regia,
Iam in caelis gloriosa,
Benedicta Maria,
Te laudamus pretiosa
Per bis sena gaudia.

* * *

2. Gaude, virgo virginum,
Maria, mater Christi,
Quia primum gaudium
Nobis contulisti,
Quando velut oriens
Aurora prodisti,
Ortu tuo tribuens
Lucem mundo tristi.

3. Ad adfatum angeli
Laeta respondisti:
De me ancilla domini
Fiat, ut dixisti;
Quod dum verbi nuntio
Responsum dedisti,
Ventris sub hospitio
Verbum suscepisti.

4. Exsultat Elisabeth
A te salutata,
Exsultat et suboles
Eius nondum nata,
Eo, quod credideris,
Dicta es beata,
Dominum magnificas
Sic magnificata.

5. Gaude, cuius uterum
Decenter ornavit
Et ad opus proprium
Sibi coaptavit
Caeli rex et Dominus,
Qui et te creavit,
Totus novem mensibus
In te repausavit.

6. Stella sole clarior,
Gaude, stella maris,
Ex te clarus exiit
Radius solaris,
Singularis gloriae
Dono gloriaris,
Dum solem iustitiae
Virgo pura paris.

7. Pastores accelerant
Bethlehem tendentes,
Verbum, quod audiverant,
Sanctum requirentes,
Quaerunt et inveniunt
Et invenientes
Te gaudere faciunt
Tibi congaudentes.

8. Sic et magi de longe
Veniunt dicentes
Verbum, quod audierant,
Sanctum requirentes,
Adorant et offerunt
Dona procidentes,
Laeta magos aspicis
Ista facientes.

9. Gaude, cuius brachiis
Puer deportatur
Ad templum, cum hostiis
Patri praesentatur,
Offertur pro perditis,
Pater sic placatur,
Et pax tuis meritis
Reis redonatur.

10. Cum Christus ad nuptias
In vinum mutavit
Aquas, quibus hydrias
Impleri mandavit,
Signorum primitias
Hoc signo monstravit,
Quo primas delicias
Mundo praeparavit.

11. Ex te vite vitea
Botrus vitae natus,
Crucis trunco figitur
Dirae morti datus,
Cuius sic te cruciat
Crux et cruciatus,
Mire te laetificat
Hic resuscitatus.

12. Partus tui munere
Perit mors consumpta,
Porta patet gloriae
Vitae spe resumpta,
Cum de morte rediens
Ex te caro sumpta
Ad paternae dexteram
Sedis est assumpta.

13. Quando cum discipulis
Mater consedisti
Et de his, quae fuerant
Facta, contulisti,
De vita, de moribus
Et de morte Christi,
Dona sancti spiritus
Laete suscepisti.

14. Per haec tua gaudia
Memor esto mei,
Virgo plena gratia,
Peccatoris rei,
In Christo primitia,
Alma mater Dei,
Pro tua clementia
Me praesenta ei.

R° Per hoc dulce gaudium,
Virgo mater Dei,
Apud tuum filium
Memor esto mei.

Scala caeli saec. 14. ex. Cod Pragen. XIII. E. 3.

185. De XV Gaudiis BMV.

I. Prologus.

1. Gaude, mundi gaudium,
Mater pietatis,
Spes post tuum filium
Summa desolatis,
Miseris refugium,
Portus naufragatis,
Salutis initium,
Flos virginitatis.

2. Castitatis lilium,
Rosa venustatis,
Pneumatis sacrarium,
Templum trinitatis,
Salus et solacium
Reis, desperatis
Iter ad palatium
Summae claritatis.

3. Virgo virum nesciens,
Decus castitatis,
Rivus indeficiens
Summae bonitatis,
Expers paris pariens
Certam spem renatis,
Singulis compatiens,
Cunctos faves gratis.

4. Summi causa nosceris
Boni, spes reorum,
Salus nostri generis,
Vita perditorum,
Expugnatrix sceleris,
Reformatrix morum,
Abstrahens ab inferis
Regna das caelorum.

5. Quidquid boni fuerit,
Per te constat esse,
Mali nihil oberit,
Quibus vis prodesse,
Tuis tuum aderit
Iuvamen expresse,
Quotiens adfuerit
Opus et necesse.

6. Quidquid hostis suggerit,
Mox per te frustratur,
Quidquid mali ingerit,
Per te reparatur,
Per te, cum ceciderit,
Reus relevatur,
Mortis auctor deperit,
Vita restauratur.

7. Nulli lumen radius
Denegat solaris,
Tu vocata saepius
Nullum aspernaris,
Immo cunctis mitius
Omnes amplexaris,
Nilque negat filius,
Quod pie precaris.

8. Omnibus es omnia,
Singulis solamen,
Maestis es laetitia,
Miseris iuvamen,
Peccantibus venia,
Aegris medicamen,
Captivis fiducia,
Oppressis levamen.

9. Sinus tuus panditur
Pio cunctis more,
Singulos amplectitur
Materno favore,
Quidquid est, perfunditur
Tuo pio rore,
Nec ullus absconditur
A tuo calore.

10. Ad te, qui tot respicis,
Tantis misereris,
Te, quae nullum despicis,
Immo cunctos quaeris,
Ad te clemens redeo,
Licet horis seris,
Commissisque defleo,
Ut propitieris.

11. Tibi, inquam, gratiae
Parens absque pari,
Mea causa veniae,
Mens vult praesentari,
Sed pavet, dum anxie
Se cernit foedari,
Te aversa facie
Se abominari.

12. Horreo, dum video
Sorde me foetere,
Teque coram paveo
Foetens apparere,
Vae mihi, nec valeo
Foetore carere
Sine te, quam horreo
Talem me videre.

13. O saeva fallacia
Misera peccandi,
Dulcia principia
Cuius inchoandi,
Amari per omnia
Exitus nefandi,
Et dum spondet dulcia,
Poena pungit grandi.

14. O fera condicio
Servitutis dirae,
O vindicta vitio
Iuncta gravis irae,
Quam in me sic sentio
Horrende saevire,
Ut nec miseratio
Debeat audire.

15. O praepotens domina,
Plena pietate,
Quae sanctorum agmina
Vincis sanctitate,
Purga me propitia
Tanta foeditate,
Conferens remedia
Plena pietate.

16. Ne, precor, contineas
Summam pietatem,
Cum iam meam videas
Summam egestatem,
Quae te movet, deleas,
Quaeso, pravitatem,
Ne, quam horres, videas
In me foeditatem.

17. Purgans dele citius
Foetentis livorem,
Nec senties amplius,
Quam horres, foetorem,
Ad te spectat mitius
Tuum ob honorem,
Miseris quantotius
Praebere favorem.

18. Vernant tua merita,
Vernans mundi rosa,
Omni mundo cognita
Nitent pretiosa;
Restaurantur perdita,
Cedit fraus dolosa,
Vita redit perdita,
Fugit mors exosa.

19. Iuncta namque filio
In sede paterna
Coerces imperio
Infera, superna,
Hostem fraudas pretio,
Spolias inferna,
Solvis a supplicio
Regna dans aeterna.

20. Tu Theophilum pie
Inferis abstractum
Reformasti gratiae.
Irritasti pactum,
Auctorem malitiae
Inter et ipsum factum,
Reddens sub spe veniae
Chirographum actum.

21. Tu tuum Basilium
Attendens rogantem
Per quendam Mercurium
Tibi militantem
Iulianum impium,
Apostatam regnantem,
Te tuumque filium
Perdis blasphemantem.

22. Si tua cuncta quaero
Mira pertractare,
Ei similis ero,
Qui litus vult arare,
Si linguas habuero
Tot ut guttas mare,
Nunquam tamen potero
Ea pernarrare.

23. Ergo, mater gratiae,
Parens pietatis,
Fons misericordiae,
Simul caritatis,
Oculos eximiae
Tuae bonitatis
Ad meae miseriae
Statum verte gratis.

24. Solita succurrere,
Experta mederi,
Docta semper parcere,
Prona misereri,
Officium percipe,
Da, quod das fateri,
Et, quod verum promere,
Vere promereri.

25. Summae vena veniae,
Miserum attende
Et meae miseriae
Clemens condescende,
Consuetae gratiae
Solita rependo
In meae nequitiae
Dona redimendae.

26. Regina clementiae
Iure nominata,
Quae deliqui noxie,
Da, sint condonata,
Ut tibi cotidie
Vota solvam grata,
Tandem tua facie
Perfruar beata.

27. Et ut per te gloria
Potiar optata
Impetrata venia,
Labe condonata,
Tibi, plena gratia,
Clemens advocata,
Haec ter quinque gaudia
Offero beata.

II.

1. Gaude, quae progrederis
Ut aurora nata,
Pacem firmans miseris
Vita reparata,
Illustrans, quae inferis
Erant obserata
Et in terris sceleris
Sordibus caecata.

2. Gaude, cuius inclita
Vita illustrata,
Moribus ecclesia
Floret informata,
Dum virtutum gratia
Omni perornata
Cunctis sanctimonia
Es exemplar data.

3. Gaude, caeli nuntio
Virgo salutata,
Cuius es adloquio
Gratanter adfata,
Certa de mysterio
Modum sciscitata,
Quo gauderes filio,
Mater illibata.

4. Gaude, plena gratia,
Aure impraegnata,
Dei sapientia
In te incarnata,
Intra virginalia
Claustra baiulata
Regem, cui omnia
Serviunt creata.

5. Gaude, cuius gaudia
Necdum proles nata
In ventris angustia
Senserat laetata
Elisabeth, omnibus
Cuius iure fata
Praefert mulieribus
Ex fide beata.

6. Gaude, patrem filia
Gignens fecundata,
Matris habens gaudia,
Sed intemerata,
Quae pascentem omnia
Mamilla lactata,
Stricta cingis fascia
Solventem peccata.

7. Gaude, quod puerpera
Conspicis laetata
Per tres magos munera
Mystice signata,
Numen, regnum, funera
Nati figurata,
In aetate tenera
Ipsi praesentata.

8. Gaude, plena gaudiis
Legem observata,
In templo cum hostiis
Filium oblata,
Simeonis brachiis
Prole baiulata,
Plura vaticiniis
Audis declarata.

9. Gaude, tuo filio
Dolens hilarata,
In doctorum medio
Eius adprobata
Prudenti scientia,
Cunctis admirata,
Quod geris, et alia
Corde conservata.

10. Gaude, quae tot conspicis
Mira perpetrata,
Signorum initiis
Cum nato vocata,
Fit in vinum nuptiis
Aqua commutata,
Cunctis post prodigiis
Signa sunt monstrata.

11. Gaude, quod redemptio
Per te venit data,
Nati tui passio
Dum fit consummata,
Adfixit patibulo
Mortem et peccata,
Omni vitam saeculo
Nece das sublata.

12. Gaude, summo gaudio
Mater iucundata,
Resurgente filio
Maesta confortata,
Cuius resurrectio
Omni mundo grata
Mortis est destructio
Vita reparata.

13. Gaude, caelos scandere
Filium spectata,
Causa, quam peragere
Venit, consummata;
O quam laeto pectore,
Quam exhilarata
Ipsum regna petere
Conspicis beata!

14. Gaude, sancti spiritus
Igne perlustrata,
Quo promisso caelitus
Gaudes inflammata
Intus et exterius
Cum grege beata,
Tanto cunctis plenius,
Quanto magis grata.

15. Gaude, iuncta filio
Caelis exaltata,
Sanctorum collegio
Omnium praelata,
Quo pio suffragio,
Clemens advocata,
Cunctorum praesidio
Faves invocata.

16. Per haec ergo gaudia,
Virgo mater laeta,
Dei plena gratia,
Gaudiis repleta,
Omni fac nequitia
Mea me deleta
Tua tecum gloria
Frui sine meta.

III. Epilogus.

1. Virgo munda, quae fecunda
Solem stella paris,
Quae tantorum gaudiorum
Gloria laetaris,
Per haec laeta sorde spreta,
Quam abominaris,
Iungi tibi me fac ibi,
Quo nunc gloriaris.

2. Mater digna, quae tot signa
Clemens operaris,
Condescende et intende
Fletibus amaris,
Quibus oro et imploro,
Ut me tuearis,
Quae cunctorum miserorum
Spes esse probaris.

3. Satis nosti, favens hosti
Quam prava patravi,
Et delicta, facta, dicta
Scis, quae perpetravi,
Intus, foris, cordis, oris
Labe me foedavi,
Deum patrem teque matrem
Peccans provocavi.

4. Insolenter neglegenter
Scio me vixisse,
Tam commissis quam omissis
Saepe deliquisse
Nec non donis Dei bonis
Abusum fuisse,
Et id novi, me, quod vovi,
Minus persolvisse.

5. O Maria, potens, pia,
Virtute potenti
Regnans caelis, esse velis
Solamen maerenti,
Medicina sis, regina,
Animae languenti,
Ut peccatis des ablatis
Veniam petenti.

6. Scio, spero, hoc, quod quaero,
Per te impetrare,
Cum sit certum et expertum
Te promptam salvare
Et mamillis, quarum stillis
Solebas lactare,
Nunc ostensis in offensis
Natum mitigare.

7. Imperatrix, reparatrix
Humanae miseriae,
Mihi reo coram Deo
Summa spes fiduciae,
In te spero, da, quod quaero,
Mihi munus veniae
Et post mortem me consortem
Fac perennis gloriae.

Cod. Londinen. Arundel 243. saec. 13/14.

186. De XV Gaudiis BMV.

1. Gaude, virgo gloriosa,
Stirpe nata generosa,
Cuius sancta nativitas
Est gaudiorum novitas
Tam infimis quam superis;
Succurre nobis miseris,
Et tua generatio
Sit digna reparatio
Ortus nostri criminalis,
Tuis fove nos sub alis.

2. Gaude, virgo gloriosa,
Radix Iesse speciosa,
Cuius ortus puritas,
Cuius vitae sanctitas
Lucem dedit saeculo,
In te nam ut in speculo
Pura resplendet caritas,
Humilitas et castitas;
Tu per tuam sanctam vitam
Vitam nostram fac politam.

3. Gaude, virgo gloriosa,
Prophetarum yetus prosa,
Quae illud Ave caelicum
Per nuntium angelicum
Sola scire meruisti;
Precor te, o sponsa Christi,
Per hoc sollemne gaudium
Ut id Ave mellifluum
Ad laudem et ad gloriam
Tibi frequenter offeram.

4. Gaude, virgo gloriosa,
Virga Aaron frondosa,
Cuius castis visceribus
De pneumatis operibus
Deus purus et sincerus
Est conceptus homo verus;
Da, ut nobis tuus Iesus
Sit in ore mellis esus,
In aure melos dulcius,
In corde semper iubilus.

5. Gaude, virgo gloriosa,
Miro modo gratiosa,
Elisabeth cum filio,
Cuius salutatio
Magnum infudit gaudium;
Per illud da tripudium,
Ut relicta fide ficta
Te cum prole benedicta
Puro corde salutemus
Et sincere proclamemus.

6. Gaude, virgo gloriosa,
Terra sancta fructuosa,
Nam tu virgo concepisti,
Virgo manens peperisti,
Eburneis hunc manibus
Tractas, lactans uberibus;
Pro hoc dono singulari,
Virgo, da, ut in altari
Reverenter hunc tractemus
Et condigne manducemus.

7. Gaude, virgo gloriosa,
Iacob stella radiosa,
Ad praesaepe tui nati
Magi veniunt prostrati
Dona ferentes mystica;
Per haec precamur gaudia,
Ut nos tus devotionis
Murraque contritionis,
Aurum fulvum caritatis
Locet regno claritatis.

8. Gaude, virgo gloriosa,
Tu lucerna luminosa,
Quae manna gestans aureum
Ulnis, lumen fidelium,
Christum Dei, tuum natum,
Fers in templum praesentatum;
Per hoc sublime gaudium
Exstirpa fraudes cordium,
Ut in pace Simeonis
Perfruamur caeli bonis.

9. Gaude, virgo gloriosa,
Institutrix studiosa,
Cum filium amiseras,
In templo quem inveneras
In medio doctorum
Docentem vias morum,
Cuius suavi praesentia,
Melliflua scientia
Prae cunctis iucundaris;
Nos rege, stella maris.

10. Gaude, virgo gloriosa,
Scripturarum dulcis glosa,
De filii infantia
Virilique constantia,
De eius baptizatione,
Trinitatis ostensione,
De signis et virtutibus,
Quae tu claris obtutibus
Frequenter conspexisti;
Nos salva voce Christi.

11. Gaude, virgo gloriosa,
Condolendo lacrimosa,
Cum vidisti tuum natum,
Captivatum, flagellatum,
Vulneratum, cruentatum,
Diris spinis coronatum,
Mortem crucis sustinentem,
Tamen semper patientem,
Ut nos salvaret miseros;
Fac nos a malis liberos.

12. Gaude, virgo gloriosa,
Paradisi vernans rosa,
Quae tantam post tristitiam
Tam vividam laetitiam
Pio corde concepisti,
Natum tuum cum vidisti
Carne glorificatum,
A morte suscitatum;
Per hoc confer tripudium
Aeternae vitae praemium.

13. Gaude, virgo gloriosa,
Contemplatrix iubilosa
Scandentis super sidera,
Quem tu, stella soligera,
Ventre paris virginali,
O nullius rea mali;
Da nobis illuc tendere,
Quo visus est ascendere
Noster Deus, noster pater,
Nostra caro, noster frater.

14. Gaude, virgo gloriosa,
Quam perfudit copiosa
Deitatis pluvia,
Nam dudum plena gratia
Adhuc in linguis igneis
Cum ceteris apostolis
Repleris sacro pneumate;
Da, virgo, tali dogmate
Nos igniri caritate
Et fulciri castitate.

15. Gaude, virgo gloriosa,
Potens et imperiosa,
Quae corpore et animo
Assumpta es ad aethera,
Ubi nunc tota trinitas
Et velle tui unitas
Sunt unum in consilio;
Pro nobis, mater, filio
Ut imperatrix impera,
Excelsa super sidera.

Orat. ms. Sangallense saec. 15. Cod. Sangallen. 485. A. — Cod. S. Floriani XI 122 saec. 16. B. — 2, 4 vita B. — 3, 2 fatum prosa B. — 3, 6 Prae tot, te et sponsam A. — 3, 8 Ut illud B; Ave fehlt A. — 3, 9 et fehlt B. — 4, 8 mellis Iesus A. — 4, 9 Suave melos dulcius A. — 5, 3 u. 4 umgestellt B. — Str. 6 und 7 fehlen B. — 8, 3 Quae cum legi nil debebas B. — 8, 4 Legi tamen te subdebas B. — 8, 5 Quando Deum tuum B. — 8, 7 solemne gaudium B. — 9, 3 Dum natum amisisti B. — 9, 4 Quem tandem invenisti B. — 10, 4 Et virili B. — 10, 5 De baptismi sacramento B. — 10, 6 Trinitatis de ostento B. — 10, 10 Fac libro vitae sisti B. — 11, 4 Captivum B. — 11, 9 solveret A. — 12, 4 Tam mundam laetitiam B. — 13, 3 Scandens AB. — 13, 6 Tu nullius B. — 13, 8 est fehlt A. — 13, 9 noster fehlt das zweitemal A. — 14, 2 perfundit A. — Nach 14, 4 eingeschoben: Damnosa pellens vitia B. — 14, 8 tali dignitate A. — 14, 9 Nos igitur tali caritate B. — 14, 10 caritate B. — 15, 9 impetra B. — 15, 10 fehlt A.

187. De XV Gaudiis BMV.

1. Gaude, virgo virginum,
namque tuus pater
Ioachim ac domina
Anna, tua mater.
Gaudium, cum fueras
orta, receperunt,
Qui transacto tempore
dolentes fuerunt.

2. Gaude hac laetitia,
quam te salutante
Habebas ab angelo
et tibi narrante,
Quod de sancto spiritu
esses acceptura
Prolem mater florida
et virgo mansura.

3. Gaude eo gaudio,
quo eras repleta,
Dum in ventre gesseras
tuo mente laeta
Iesum, Dei filium,
qui est consolator
Noster fidelissimus
atque liberator.

4. O Maria domina,
gratia tu plena,
Virgo prudens, nobilis,
mitis ac serena,
Ardentis a baratri
me tuere poena,
Per te fruar gloria
cum sanctis amoena.

5. Gaude, nam laetitiam
Iohannes monstravit
Baptista, in utero
quem mater portavit,
Erat hic tripudians
exsultatione,
Quod de tua venerat
salutatione.

6. Gaude eo gaudio,
quod tunc habuisti,
Nocte dum in Bethlehem
mater peperisti
Sine poena puerum,
Iesum benedictum,
Qui nostrum expellere
venerat delictum.

7. Gaude, mater Domini,
nam laeti fuere
Pastores, dum angeli
vocem audiere,
Per quem ortum noverant
nostrum salvatorem,
Christum, caeli dominum,
mundi creatorem.

8. Stella caeli lucida,
o virgo fecunda,
Nulla inter feminas
tibi par secunda,
A te semper profluit
pietatis unda,
Tu me a criminibus
omnibus emunda.

9. Gaude, nam laetitiam,
Dominus dum natus
De te fuit, mundi rex
caelique beatus,
Domanstrabant angeli,
quando cantilenam
Cantarunt cum gaudio
claram et amoenam.

10. Gaude, flos laetitiae,
nam tres laetabantur
Reges, stellam lucidam
dum contemplabantur,
Adorabant gloriae
regem, quem noverunt,
Aurum, murram puero
et tus obtulerunt.

11. Gaude, flos dulcedinis,
nam sanctus gaudebat,
Dum tuum puerulum
in templo videbat,
Simeon, quem manibus
suis acceptavit,
Anna novit vidua
hunc et exaltavit.

12. Virga Iesse florida,
virgo speciosa,
Vel flos atque viola,
lilium ac rosa,
Herba odorifera,
vitis fecundosa,
Caelis fac me perfrui
luce gloriosa.

13. Gaude, nam cum gaudio
filium vidistis
Tu et Ioseph, domina,
dum hunc invenistis
In templo post triduum,
namque quaerebatis
Ipsum prius nimium
atque dolebatis.

14. Gaude, benignissima,
nam erant laetantes
Ad honestas nuptias
simul convivantes,
Aquam dum praesente te
in vinum mutabat
Christus, vim deificam
sic manifestabat.

15. Gaude hac laetitia,
qua, cum superavit
Mortem, surgens filius
te laetificavit,
Amicos ab inferis
suos educebat
Et aeternam gloriam
eis conferebat.

16. O arbor odorifera,
fructum edidisti,
Per quam summum apicem
tu acquisivisti,
Ab inferni protege
me dolore tristi,
Duc ad lumen caelicum
me, o mater Christi.

17. Gaude eo gaudio,
quo cor movebatur
Tuum, Iesus dominus
dum elevabatur
Ad paternam dexteram,
quod tu aspexisti
Cum sanctis apostolis
et laeta vidisti.

18. Gaude, nam laetitia
magna replebantur
Orantes discipuli,
dum illustrabantur
Radio paracliti
eos confortante
Et hos in praesentia
tua consolante.

19. Gaude, caeli domina,
nam rex angelorum,
Iesus, tuus filius,
cum coetu sanctorum
Tibi venit obviam
teque sublimavit
In caelestem patriam
atque coronavit.

20. Alma Dei genetrix,
virgo sine pari,
A cunctis periculis
peto liberari,
In superna patria
me fac gratulari,
Ubi semper valeam
Deum contemplari.

Off. ms. B. Mariae V. sec. usum Romanae curiae saec. 15. Cod. Rossian. VIII 37. — 5, 4 mater fehlt. — 8, 4 tibi par fehlt. — 8, 7 a peccatis. — 9, 3 fuerat. — 9, 4 caeli liberator beatus. — 11, 3 puerum. — 12, 3 Nel flos. — 14, 5 Aquam de praesente Dominus. — 17. 5 dexteram fehlt. — 17, 8 vidisti fehlt. — 18, 5 Radix. — 18, 6 confortantes. — 18, 8 consolantes. — 20, 2 sine partu.

188. De VII Gaudiis BMV terrestribus et totidem caelestibus.

1. Gaude, virgo, mater Christi,
Quae per aurem concepisti
Gabriele nuntio;
Gaude, quae a Deo plena
Peperisti sine poena
Cum pudoris lilio.

2. Gaude, quod tres dona ferunt
Nato, quem adoraverunt
In felici gremio;
Gaude, virgo, praesentatus
Per te quod est tuus natus
Legis testimonio.

3. Gaude, quia tui nati,
Quem videbas mortem pati,
Fulget resurrectio;
Gaude, mater, ascendente
Christo caelos, te vidente
Motu fertur proprio.

4. Gaude, quod post ipsum scandis,
Et est honor tibi grandis
In caeli palatia;
Gaude, angelis praelata,
Trinitati proximata
Singulari gratia.

5. Gaude, virgo, laus cunctorum,
Super decus angelorum
Fulget tua gloria;
Gaude, dies ut ornatur
Sole, ita iucundatur
In te caeli curia.

6. Gaude, tuae voluntati
Affectus est trinitati
Favere ad omnia;
Gaude, te honorant caeli
Cives affectu fideli
Et oboedientia.

7. Gaude, tibi obsequentes
Terrae et caeli gaudentes
Sumunt per te praemia;
Gaude, honor cuius crescit
Semper atque finem nescit,
Nec hic nec in patria.

8. Ergo, cara mater Dei,
Duc nos reformatos ei
Ad festa caelestia,
Ubi fructus ventris tui
Per te nobis detur frui
In aeterna gaudia.

Scala caeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3.

189. De VII Gaudiis caelestibus BMV.

1. Gaude, flore virginali
Quae honore sepeciali
Transscendis splendiferum
Angelorum principatum
Et sanctorum decoratum
Dignitate numerum.

2. Gaude, cara sponsa Dei,
Nam ut clara lux diei
Solis datur lumine,
Sic tu facis orbem vere
Tuae pacis resplendere
Lucis plenitudine.

3. Gaude, splendens vas virtutum,
Cuius pendens est ad nutum
Tota caeli curia,
Te benignam, te felicem
Iesu dignam genetricem
Venerans in gloria.

4. Gaude, nexu voluntatis
Et amplexu caritatis
Iuncta sic altissimo,
Ut ad votum consequaris,
Quidquid totum postularis
A Iesu dulcissimo.

5. Gaude, mater miserorum,
Quia pater saeculorum
Dedit te colentibus
Congruentem hic mercedem
Et fulgentem poli sedem
Sursum in caelestibus.

6. Gaude, pia mater Christi,
Sola quia meruisti,
O virgo piissima,
Esse tantae dignitatis,
Ut sis sanctae trinitatis
Sessione proxima.

7. Gaude, parens virgo pura,
Certa manens et secura,
Quod haec tua gaudia
Non cessabunt nec decrescent,
Sed durabunt et florescent
Per aeterna saecula.

Orat. ms. Carth. Erphesfurten. saec. 15. Cod. Rossian. VIII 56, an zwei Stellen, A und B. — Orat. ms. Salisburgen. saec. 15. Cod. Scotor. Vindobonen 52 d 11 C. — Orat. ms. S. Mariae ad Scotos saec. 15. Cod. Scotor. Vindobonen. 55 g 14 D. — Horae B. M. V. sec. usum Romanum totaliter ad longum sine *require* imp. Parisiis (Hardouyn) s. a. (1531). E. — Miss. Romanum imp. Parisiis (Kerver) 1529. — Hortulus animae imp. Nurembergae 1519. G. — Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29 H.

Ferner: Brev. ms. Tornacense saec. 14. Cod. Tornacen. XXI. H. — Brev. Arremarense saec. 15. Cod. Parisin. 1063. I. — Orat. ms. Cisterciense saec. 15. Cod. Darmstadien. 1228. K. — Orat. ms. Gebennense saec. 15. Cod. Vatican. Palatin. 540. L. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Colonien. 91. M. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Avenionen. s. n. N. — Orat. ms. Windeshemense anni 1508. Cod. 7955 der KK. Familien-Bibl. Wien. O. — Cod. Casanaten. D. V 26 (311) saec. 15. P. — Collectaneum ms. Hospitalense saec. 15. Cod. Palat. Vindobonen. 4347. Q. — Oration. ms. Patavien. saec. 15. Cod. Gottvicen. 444. R.

Lesarten: 1, 2 Et honore B. — 1, 3 Transcendes D; Transscendens B; luciferum C. — 1, 6 munerum F. — 2, 1 sponsa cara BDEFG; sponsa summi C; speciosa cara A. — 2, 2 Nam ut lux clara DFGH; Nam ut claritas lux C. — 2, 3 Sol datur D. — 2, 4 urbem AB; vere fehlt A; mihi vere B. — 2, 5 pace C. — 3, 1 vas fehlt B. — 3, 2 Cuius parens est ACEF; Cuius sedens est D. — 3, 4 et felicem BCDEFG. — 3, 6 Veneratur D. — 4, 3 Iuncta sis CG. — 4, 4 Ut ad nutum AB; Quod ad vocem C. — 4, 5 Quidquid virgo ABCDEFGH; deprecaris B. — 4, 6 dilectissimo A. — Str. 5 und 6 umgestellt GH. — 5, 5 Et felicis poli ACGH; Et felicem DEF. — 5, 6 Regnis in caelestibus ACEFG. — 6, 1 Gaude virgo mater AEFGH; Gaude mater virgo C; Gaude humilis beata BD. — 6, 2 Quia sola meruisti ACEFGH; Corpore glorificata B. — 6, 3 Meruisti maxima BD. — 6, 4 Fore tantae BD. — 6, 5 Quod sis G; trinitati ABCDEF. — 7, 1 Gaude virgo mater ABDEFGH; Gaude mater virgo C. — 7, 3 Quia tua gaudia G; Quia haec tua gaudia C. — 7, 4 decrescunt C. — 7, 6 florescunt C. — Cfr. Kehrein No. 257.

Bemerkungen: Haec sunt septem gaudia spiritualia B. M. V. edita a beato Thoma. I. — Septem gaudia a beato Thoma martyre edita K. — Sequuntur septem gaudia virginis Mariae caelestia a beato Thoma martyre super verbis praedictis composita L. — Septem gaudia a beato Thoma martyre composita. M. — Oratio beati Thomae Cantuariensis de gaudiis virginis gloriosae, quibus iam fruitur in caelestibus. N. — Thomas von Canterbury bezeichnen als Auctor auch HPQ.

Legitur quod beatus Thomas Cantuariensis episcopus septem gaudia corporalia beatae Mariae cotidie cum magna devotione recolebat. Cui eiusdem gaudia in oratorio suo more solito dicenti tandem virgo Maria semel apparens dicit: Cur de gaudiis meis, quae praeterierunt, tantum gaudes et laetaris et de praesentibus, quibus in caelis nunc gaudeo, quae durabunt perpetue, potius non gaudes et laetaris. Et beata virgo dixit ei: Quicunque in his gaudiis mihi congratulando me cotidie honoraverit, in exitu animae ipsius a corpore praesentem consolationem meam obtinebit, et animam suam ab hostibus malignis liberabo et in conspectu filii mei, ut mecum gaudia paradisi possideat, praesentabo. Igitur idem venerabilis pontifex haec eadem gaudia perpetua virginis beatae secundum modum, qui sequitur, rigmice composuit. O. — Quicunque haec gaudia beatae Mariae V. cottidie devote dixerit, quando de hoc saeculo migrare contigerit, in exitu animae ipsius beata virgo ei apparebit, et ab ea consolationem obtinebit, et animam ipsius ab hostibus malignis liberabit et in conspectu filii sui tandem gaudere faci[e]t. Hanc orationem composuit beatus Thomas Cantu[a]riensis archiepiscopus. R.

190. De VII Gaudiis caelestibus BMV.

1. Gaude, mater divi nati,
Sola plus habens gloriae,
Quam insimul adunati
Cives supernae patriae.

2. Gaude, quia perlustratur
Caelum tua maiestate,
Sicut totus radiatur
Mundus solis claritate.

3. Gaude, quia sancti omnes
Atque beati spiritus
Tuas implent iussiones
Teque honorant caelitus.

4. Gaude, quia tibi paret
Imperator angelorum,
Omne, quod vis, et adimplet
Tuus natus, rex caelorum.

5. Gaude, quia Deus tuis
Hic devotis dat mercedem,
Prout optas, et in caelis,
Quam tu voles, dabit sedem.

6. Gaude, nam ad dextram Christi
Throno sedens in regali
Es propinqua trinitati,
Carne pollens immortali.

7. Gaude, quia iam secura
De tam immensa gloria,
In aeternum habitura
Es infinita gaudia.

8. Quae et nobis impetrare
Digneris, o virgo pia,
Vel modicum degustare
De hac tua laetitia.

Offic. BMV. imp. in Castro Lauro anno 1503.

191. De VII Gaudiis caelestibus BMV.

1. Gaude, Dei genetrix,
quae superas omnes
Dignitatis gloria
paradisi cives.

2. Gaude, quia sicut sol
illuminat mundum,
Ita tua claritas
illuminat caelum.

3. Gaude, mundi gloria,
regina caelorum,
Quam laudant in superis
coetus beatorum.

4. Gaude, cui cum Deo
est una voluntas,
Qui libenter exaudit
preces tuas cunctas.

5. Gaude, quia, sicut vis,
hic et in futuro
Servos tuos munerat
Iesus corde puro.

6. Gaude glorificato
corpore amicta,
Trinitati proxima
caelestibus sita.

7. Gaude, quia gaudia
haec sunt sempiterna,
Quibus gaudes, Maria,
gloria superna.

8. Qui de tuis gaudiis
gaudemus in mundo,
Praesenta nos filio
[cum] corde iucundo.

Orat. ms. Caelestinorum saec. 15. Cod. Parisien. 18571. A. — Septemplicata septem gaudia imp. s. l. et a. B. — 1, 3 Dignitate et gloria B. — 2, 2 laetificat B. — 2, 4 laetificat B. — 3, 3 Quam collaudant agmina B. — 3, 4 super coetus B. — 4, 2 est tibi una B. — 4, 3 Et ipse exaudit B. — 5, 4 Deus B. — Str. 8 fehlt A. — B hat folgende Note: „Legitur beatam virginem Mariam haec septem gaudia revelasse cuidam devoto et ut ea cotidie diceret monuisse.“

192. De VII Gaudiis caelestibus BMV.

1. Ave, virgo virginum,
Cuius solius gaudium
Et praecellens iucunditas
Vincit caeli divitias,
Summaque caeli agmina
Ornat tua praesentia;
Per hoc excellens gaudium
Et meritum eximium
Fac nobis placatum fieri
Dilectum tui uteri.

2. Ave, fulgens ut aurora,
Sicut diem sol tu sola
Cuncta reples gaudiis,
Quae torrente voluptatis
Et abysso divinitatis
Deliciose iam potaris,
Sine fine gratularis;
Tu pro nobis, mater, ora,
Ut nobis donentur dona
Tuis in deliciis.

3. Ave, mundi imperatrix
Et caelorum gubernatrix,
Digna sceptro gloriae,
Cuius votis praeparantur
Caeli cives et laetantur
Frui tanta principe.

4. Ave, quam sic honoravit
Summus pater et amavit,
Ut cum sancta trinitate
Una sis in voluntate
Et clementer exaudiris
In cunctis, quae tu requiris;
Per haec tam magna gaudia
Et merita insignia
Assis nobis hilariter
Iuvando nos fideliter,
In hora nostri exitus
Fugando nequam spiritus.

5. Ave, mater clementiae,
Nam tuae providentiae
Tuus commisit unicus,
Ut praemiis caelestibus
Dites, ut volueris,
Tuis datos obsequiis;
Cum colimus haec gaudia,
Cordi tuo tam suavia,
Sis nostri memor, domina,
Quos gravat carnis sarcina.

6. Ave, [virgo], quae dignior
Et caelis es sublimior,
Gratia ex te nati
Tu solis luce clarior,
Tu cunctis praecellentior,
Proxima trinitati,
Quo tota iam exuberas
In Deum et exsuperas
Uranicas naturas;
Per hoc excellens gaudium
Et meritum insolitum
Precare nobis veniam
Et requiem perpetuam.

7. Ave, cuius felicitas
Et gaudiorum novitas
Nunquam minoratur,
Et meritorum dignitas
Et praemii iucunditas
Semper augmentatur.

8. Mater Dei castissima,
Mitis, dulcis, piissima,
Propter haec et omnia
Gaudia, nunc in patria
Cum plena cordis laetitia
Confer nobis caelestia.

Orat. ms. Carthus. Hildesheimen. saec. 15. Cod. Iosephini Hildesh. 3 (6). — 2, 3 Cunctis. — 8, 1 O mater Dei. — 8, 4 Gaudia quae nunc.

193. De VII Gaudiis caelestibus BMV.

1. O Maria virgo, gaude,
Tu es digna omni laude,

2. Quia per te angelorum
Chorus gaudet et sanctorum
Perenni laetitia,
Quos praecellis generosa,
Super omnes gloriosa,
Speciali gloria.

3. Gaude, gemma, templum Dei,
Per quam lucet lux diei
Solis de praesentia,
Per te magis illustratur,
Illustrata iucundatur
Tota caeli curia.

4. Gaude, lampas saeculorum,
Cui parent supernorum
Omnes cives curiae,
Vultum tuum deprecantes,
Tamquam matrem venerantes
Sui regis gloriae.

5. Gaude, cella fluens melle,
Cuius votum Christi velle
Sociavit caritas;
Quidquid tuae pietati,
Placet sanctae trinitati,
O pura virginitas.

6. Gaude, virgo, quae decoras
Tuos servos et honoras
Hic et in caelestibus,
Nos cum ipsis ad amoena
Paradisi laude plena
Transfer tuis precibus.

7. Gaude, rosa, princeps florum,
Super choros angelorum
Gloriosis laudibus
Exaltata iucundaris,
Trinitati sociaris
Et sanctorum civibus.

8. Gaude, cuius non marcescit
Laus et honor, non decrescit
Gaudiorum gaudium,
Iam secure iucundaris,
Iuncta Christo gloriaris
Super regni solium.

9. Omni laude, mater, digna,
Te laudanti sis benigna
In hac vita misera,
Imperatrix virtuosa,
Consolatrix viscerosa,
Nos a malis libera,

10. Et cum dies erit irae,
Fac tormenta non sentire
Haec colentes gaudia,
Ut nos tecum gloriemur,
Sine fine collaetemur
In caelesti patria.

Orat. ms. Carthus. Hildesheimen. saec. 15. Cod. Iosephini Hildesheimen. 3 (6). A. — Orat. ms. Carthus. Erfordien. saec. 15. (Privatbesitz). B. — 4, 1 lampas sanctorum A. — 5, 2 stella fluens A. — 7, 6 sanctorum milibus B. — 10, 1 Ut cum A. — 10, 5 collocemur A.

194. De XV Gaudiis caelestibus BMV.

Iam translata polis, aeterni cellula solis,
Gaudia quindena tibi debita, virgo serena,
Suscipe mente pia, caeli regina Maria.

1. Gaude, clara stella maris,
Quae sub nato principaris
Sanctorum collegio;
Gaude, mater singularis,
Virgo semper quae probaris
Miro privilegio.

2. Gaude cum ipso locata,
In carne glorificata
Patrum testimonio;
Gaude, stellis coronata
Bis senis et illustrata
Luminis principio.

3. Gaude, regina beata.
Super caelos exaltata,
Mater iuncta filio;
Gaude, spes desiderata,
Ex te fulsit salus data
Pressis in exsilio.

4. Gaude, dextris deitatis
Assistens fons pietatis,
Maestis consolatio;
Gaude, norma sanctitatis,
Speculum humilitatis
Boni propagatio.

5. Gaude, fuga vitiorum,
Solvens vincula reorum,
Iustis praemiatio;
Gaude, doctrix et lex morum,
Ductrix ac lux viatorum,
Lapsis relevatio.

6. Gaude, decus angelorum
Omniumque beatorum
Laeta speculatio;
Gaude, nutrix orphanorum,
Liberatrix oppressorum,
Aegris recreatio.

7. Gaude, parens absque pari,
Quam ferventer contemplari
Dulcis est refectio;
Gaude, praedigna laudari,
Digna tamen laudes fari
Impos est affectio.

8. Gaude, celsae vitae via,
Tibi compar psalmodia
Nulla nec oratio;
Ergo posse da, Maria,
Supple nosse poscens, pia
Caeli honoratio.

9. Et iste, qui non meretur,
Ad has laudes inflammetur
Tuo patrocinio,
Et sic semper veneretur
Nomen tuum, ut tenetur
Sincero praeconio;
Dona, quod exterminetur
Omne malum, vita detur
Omni carens vitio.

Cod. S. Petri Salisburgen. b II 3. saec. 15. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. b VII 10. saec. 15. B. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20 021. C. — 4, 6 propagatur AB. — 6, 2 que fehlt AB. —

195. De Assumptione BMV.

1. Ave, dies laudabilis,
In qua Deus mirabilis
Venit mirabiliter,
Gratiose exclamavit
Et matrem suam vocavit,
Dicens affabiliter:

2. Veni, mater et domina,
Transcende terrae limina,
Tota plena gratia;
Veni, templum deitatis,
Triclinium trinitatis
In aeterna gloria.

3. Nunquam decet dissolvere
Nec in terram resolvere
Corpus immaculatum,
Nunquam fuit infamia
Foetoris nec miseria,
Nisi propter reatum.

4. Caro tua caro mea,
Talis caro non est rea
Cuiuscunque criminis,
Ergo tua non sentiet
Dolorem nec percipiet
Foetorem putredinis.

5. Veni, mater, veni mecum,
Quia ero semper tecum
Filius tuus Iesus;
Tunc Seraphim exclamavit
Et Cherubim intonuit:
Veni, caeli regina.

6. Et sic omnis hierarchia
Adclamavit voce pia:
Veni, nostra domina.
Haec apostoli videntes
Et angelis respondentes
Dixerunt: Amen, amen.

7. Tunc Maria in corpore
Fulgente miro decore
Exivit de tumulo,
Quam statim Christus dotavit
Et mirabiliter ornavit
Regio ex annulo.

8. Sic in caelum coronata
Ascendit virgo beata
In regali solio,
Ibi pro nobis exorat
Deum patrem et implorat
Clementer cum filio.

Orat. ms. Tegurinum anni 1476. Clm. Monacen. 19991 A. — Orat. ms. Underdorfense saec. 15. Clm. Monacen. 7815. B. — Nach 1, 3 schiebt B ein:

Cum caelestium curia
Descendit die tertia
Iesus visibiliter.

3, 3 tam immaculatum A. — 7, 6 Ex regio annulo B.

196. In Assumptione BMV.

1. Ave, quae caeli atria
Summa intrasti gloria,
Tuis astantem crebrius
Attende clemens laudibus.

2. Ave, quam vocis organo
Laudo cordeque consono,
Mentem meam illumina
Per lacrimarum flumina.

3. Ave, o Dei filia,
Cuius intrans cubilia
Gaudes ineffabiliter,
Ipsum laudans perenniter.

4. Ave, quam honorifice
Turmae laudant angelicae,
Atque creata omnia
Tua dicunt praeconia.

5. Ave, quae caeli gloriam
Nacta es per victoriam
Hostis mundi et sanguinis
Vi superni spiraminis.

6. Ave, virgo, quam inclitus
Angelorum exercitus
Laudat et conventicula
Beatorum per saecula.

Orat. ms. Tegurin. anni 1467. Clm. Monacen. 19991.

197. De Assumptione BMV.

1. O imperatrix regia,
Caeli et terrae domina,
Mater Dei eximia,
Virginumque pulcherrima.

2. Supernorum laetitia,
Stupor, festum et gloria,
Laus, decus nostri generis
Salvatrixque mirabilis.

3. Ad summum regni solium
Evecta et fastigium,
Nos clarae tuae curiae
Ascribas et familiae.

4. Immenso cordis iubilo
Atque laudis tripudio
Nunc Deum benedicimus
Pro tibi datis omnibus.

Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. b VII 10. saec. 15. B.

198. In Assumptione BMV.

1. O virgo, Dei genetrix,
o mater veneranda,
O intacta Christi parens,
o domina laudanda.

2. O redemptrix hominum,
o decus angelorum,
O regina saeculi,
o gloria caelorum.

3. O spes et desiderium
omnium sanctorum,
O quies laborantium,
o salus miserorum.

4. Ergo benignissimam
te matrem imploramus
Tuamque mellifluam
clementiam rogamus,

5. Ut sicut assumpta es
ad Iesum tuum natum,
Et te caeli credimus
tenere principatum,

6. Tu pro nobis digneris
Deum exorare
Atque suam gratiam
nobis impetrare,

7. Ut nos ab hoc exsilio
cito liberare
Velit et in gloria
sua collocare.

Orat. ms. SS. Udalrici et Afrae saec. 15. Clm. Monacen. 4432.

199. In Assumptione BMV.

1. O virgo prudentissima,
quo progredi disponis,
Quae tantis in virtutibus
coruscas atque donis?

2. Tu es luna clarior
et universis stellis
Et solem tuo lumine
fulgida praecellis.

3. Tu spiritus angelicos
meritis praecedis
Atque sanctos universos
virtutibus excedis.

4. Ave ergo, genetrix
nostri creatoris,
Mater filii Dei,
mundi redemptoris.

5. Ave, virgo virginum,
dulcissima Maria,
Ave clementissima,
misericors et pia.

6. Tu nam desiderabilis
es et affectuosa,
Amabilis, mirabilis
Et nimis gratiosa.

7. Per misericordiam
tuam et virtutem
Corporis et animae
impetra salutem.

8. Et Iesum tuum filium
dulcissimum dignare
Pro me, mater gratiae,
clementer exorare,

9. Ut per suam a te sanctam
incarnationem
Atque per sanctissimam
suam passionem

10. Mihi paenitentiam
meorum peccatorum
Tribuat et scelerum
veniam meorum,

11. Ut mea digne valeam
delicta paenitere
Atque mea, quae commisi,
facinora deflere.

Orat. ms. SS. Udalrici et Afrae saec. 15. Clm. Monacen. 4432. — 4, 3 Ave mater.

200. In Assumptione BMV.

1. Socie, dic et declara,
Quae est ista tam praeclara?
Ista illa virga Iesse,
Quam praeclaram decet esse.

2. Quae est ista stella maris,
Luna plena, lux solaris?
Ista mitis generosa,
Flos regalis, vernans rosa.

3. Quae est ista progrediens
Mundo sicut sol oriens?
Haec est virgo, caeli porta,
De qua mundo lux est orta.

4. Quae est tantae speciei,
Ad quam currunt omnes rei?
Haec est salus infirmorum
Et solamen miserorum.

5. Quae est ista lux iustorum,
Saepta choris supernorum?
Haec est, super quam splenduit
Splendor, quem pater genuit.

6. Quae est ista mater alma,
Quae florescit sicut palma?
Haec est rosa venustatis,
Virgo mater sanctitatis.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. $^{14}/_{15}$. — 1, 3 Ista est illa. — 2, 3 Ista est mitis. — Aufschrift: Interrogationes angelorum, responsiones eorum.

201. In Assumptione BMV.

1. Thronus David elevatur,
Dum in caelis exaltatur
Virgo, mater gratiae;
Mulier haec, quae monstratur,
Amicta sole levatur
Ut signum victoriae.

2. In templo perennitatis
Levant arcam sanctitatis
Caelestes exercitus,
Quae iure maternitatis
Cunctis praesidet beatis
Fecundata caelitus.

3. Et ut fuit Deus homo
Praecellentior in domo
Receptus per virginem,
Sic excelsiore throno
Sublimatur eius dono,
Quae lactavit hominem.

4. Numquid Seraphim miratur,
Quod femina praeferatur
Ierarchiis omnibus?
Sic et mirans contemplatur,
Quo haec iure provehatur
Tam excelsis sedibus.

5. Contemplantur, quanto iure
Veneretur, geniturae
Suae iuncta lateri,
Qui nos iungat mortis durae
Passo transacto secure
Spretis portis inferi.

6. Huius vitae ne procella
Nos submergat, interpella
Iudicem iustitiae.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343 anni 1351.

202. De Assumptione BMV.

Virgo parens triplici mortis nexu retineri
Non potuit, quamvis naturae lege soluta.
Mors, infernalis lacus, incineratio carnis
Non depressit eam, quia vivere credimus ipsam.
Anne potest credi divino munere plena,
Pulchra vel est tota, si pars iacet incinerata?

Absit, ut incineret illam corruptio carnem,
De qua sumpta fuit unita Dei caro verbo.
Nam caruisse suam decuisset honore parentem,
Cuius decreto patres cumulantur honore?
Pone, quod in terra sint ossa relicta beatae
Virginis et nulla tantus thesaurus in ara
Sit celebris populis: certe solertia regum
Prorsus in abstrusis telluris hiatibus illum
Quaereret et cultu mundo celeberrimus esset,
Nec quasi neglectus ad tempora nostra lateret.
Creditur ergo pie caro glorificata Mariae.

Cod. S. Floriani XI 216. saec. 13.

203. In Assumptione BMV.

Petrus.

1. Salve, mater salvatoris,
Quae Deum deorum paris,
Salve, virgo singularis,
Quae vocaris stella maris.

Paulus.

2. Salve, vitae reparatrix,
Salve, vitae reseratrix,
Salve, verbi praedicatrix,
Salve, sancta legislatrix.

Andreas.

3. Salve, mater Iesu Christi,
Salve, virgo, vita mundi,
Sola digna quae fuisti
Ab angelo salutari.

Iacobus.

4. Gaude, soror insignita,
Gaude, mundi spes et vita,
Gaude, sacra margarita
In corona Iesu sita.

Iohannes.

5. Virga fronde fructuosa,
Virgo prole pretiosa,
Regis sponsa speciosa,
Gaude, gaudens florens rosa.

Thomas.

6. Gaude tu, quae genuisti,
Regem regum Deum caeli,
Quem adorant archangeli,
Quem angeli quemque throni.

Iacobus.

7. O deorum dominatrix,
Angelorum imperatrix,
O maestorum consolatrix,
Esto mihi miseratrix.

Philippus.

8. O domina et regina,
Casta, simplex, columbina,
Quae es mundi medicina,
Ad medendum me festina.

Bartholomaeus.

9. O Maria, gemma caeli,
Lux et luna paradisi,
A fluctibus huius saecli
Conserva nos et custodi.

Matthaeus.

10. Tu sanctorum psalmodia,
Tu martyrum melodia,
Tu militum letania,
Tu civium symphonia.

Simon.

11. Tu virgo virginum pia,
Tu lux vera, lex et via,
Tu mitis es, o Maria,
Tibi laus est Alleluia.

Thaddaeus.

12. Tu domina angelorum,
Tu regina seniorum,
Tu mamilla parvulorum,
Tu es mater orphanorum.

Simul omnes:

13. Salve, eia, te laudamus,
Te supplices exoramus,
Quia ad te suspiramus,
Te videre valeamus.

Orat. ms. Gelriense saec. 15. Cod. Bremen. c 15. A. — Orat. ms. Corssendoncanum saec. 15. Cod. Leodien. 397. B. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Bruxellen. 9798. C. — Brev. ms. S. Clarae Neapolit. saec. 14. Cod. Casanaten. B III 5 (407). add. saec. 15. D. — Orat. ms. S. Mariae ad Scotos saec. 15. Cod. Scotor. Vindobonen. 50 f 27. E.

1, 1 mater salutaris A; salvatoris mater E. — 1, 2 Quae cunctorum Deum C; Quae deorum Deum AE; Quae divorum Deum D. — 2, 2 fehlt E. — 3, 2 Salve fehlt B. — 3, 3 Salve, digna quae E; tu fuisti B. — 3, 4 salutata CE. — Str. 4 und 5 umgestellt D. — 4, 1 infinita D. — 4, 2 fides, spes et BE. — 4, 4 corona regis B. — 5, 1 Salve virgo fructuosa D. — 5, 2 prole E; prolens D; speciosa ACE. — 5, 3 Sponsa regis E; formosa A; gloriosa E. — 5, 4 fehlt A; Gaude, gaude BE. — 6, 1 Salve quae tu D; Gaude, namque B; Gaude, Maria, namque E. — 6, 2 Dominum caeli E. — 6, 3 laudant E; angeli D. — 6, 4 Et angeli quoque throni A; Throni et archangeli D; et quem throni E; die ganze Str. 6 lautet in C:

Gaude, mater tui patris
Et salvatrix Evae matris,
Nostrum generans Dominum
Et salvatorem hominum.

7, 1 Salve caelorum dominatrix D. — 7, 3 Miserorum impetratrix et consolatrix E. — 7, 4 mei miseratrix D. — 8, 1 o regina E; Salve, domina regina D. — 8, 3 Ad medendum me festina B; Ad redimendum E. — 8, 4 Quae es mundi medicina C; Audi nos, o regina B. — 9, 1 Salve, in qua gemma caeli D; 9, 2 Et lumen paradisi E. — 9, 3 Afflictibus D; saeculi BD; huius mundi C. — 9, 4 me E. — 10 Matthias B, Simon D. — 10, 1 Tu fehlt D; psalmorum psalmodia B. — 10, 2 Tu fehlt E. — 10, 4 O civium B. — 11. Barnabas D. — 11, 1 Salve, virginum D; virginum virgo E. — 11, 2 Tu lucerna CD; lux et via AC; lex vera lux et E. — 11, 3 Tu iustis o Maria B. — 11, 4 Tibi laus et gloria E. — 12. Matthaeus D. — 12, 1 Salve, domina D. — 12, 3 Tu tutela C. — 12, 4 Tu mater es E. — 13, 1 Salve fehlt ABCE; Simul omnes, laudamus E. — 13, 2 adoramus C. — 13, 3 Atque ad te B; Et ad te E; Omnes ad te C. — 13, 4 Ut te AE. — Nach 13, 4 In saecula saeculorum D.

Vor dem Liede: Ut dicitur, apostoli cantaverunt, quando Maria ascendit in caelum, hos versus A. — In visione de strata florida legitur, quod quilibet de duodecim apostolis cum tribu una versum rigmaticum ante dominam nostram Mariam, reginam caeli et terrae, decantabat. B.

Hierauf in E noch folgendes:

Salve, dulcis mater Domini,
Quem venientem genuisti,
Eum roga pro delictis
Remittendo facinora.

Flos pratorum, o Maria,
Decus mundi, flos hortorum,
Laus [et] honor angelorum,
Solacium tribulatorum.

Dann: Ave, virgo speciosa, clarior sideribus etc; fremde Entlehnung.

204. De Rosario BMV.

1. Mater nati mirifici,
Aeterni patris lilium
Et pneumatis almifici
Mirabile triclinium.

2. Aurora surgens dulciter,
Taetros illustrans homines,
Qui dicunt Ave iugiter,
Damni non sint participes.

3. Rorem infunde gratiae
Dicenti sertum roseum,
Pro hoc stabis in acie,
Qui fert tuum psalterium.

4. In quinquaginta texitur
Ave sertum virgineum,
In tribus sertis noscitur
Psalterii triclinium.

5. A . . . . . .
. . . . . .
Pater noster quindecies
In psalterio recites.

6. Mire prodest psalterium,
Nam praestat paenitentiam,
Lassis dat refrigerium,
Lugentibus gaudentiam.

7. Adgravatos alleviat
Dura laxans compendia
Temptatosque tranquilliat,
Egentes ab inedia.

8. Tenorem observantiae
Religiosis fratribus
Copiamque scientiae
Devotis dat scholaribus.

9. Excludens est poenalia
Regni et territorii,
Mala fert infernalia
Poenasque purgatorii.

10. Recte dictum daemonibus
Infert confusibilia,
Sanctis honorem, omnibus
Largitur perutilia.

11. Iesu ergo concinite,
Ut caelum consequamini,
Mariae quoque psallite,
Ut ad polum ducamini.

R° Eia, cari,
Velle non dispari
Hinc offeramus iugiter
„Ave Maria gratia“,
Ut ad caeli palatia
Tendamus persuaviter.

Pass. ms. Io. Gilemans saec. 15. Cod. 9365. der k. u. k. Familien Fidei-Comifs-Bibliothek. — „Rigmus commendabilis de utilitate ac salubritate psalterii beatae et gloriosae Dei genetricis Mariae semper virginis.“ — 7, 1 Oneratos alleviat, gegen das Akrostich: Maria mater Iesu.

205. Ad beatam Mariam V.

Oratio vespertina.

1. Ad te clamamus, audi nos,
Virgo, regina saeculi,
Et in nocte custodi nos
Sicut pupillam oculi.

2. Iam tibi, mater, septies
In die laudem diximus,
Sit nobis in te requies,
Sub umbra cuius vivimus.

3. Fessos diurnis aestibus
Nos somno pacis refove
Nobisque quiescentibus
Tu fraudes hostis remove.

4. Stella fulgore praedita,
Lux iucunda, lux celebris,
In tuas laudes excita
Nos mane pulsis tenebris.

Brev. Arremarense saec. 15. Cod. Parisien. 1063.

206. Ad beatam Mariam V.

Oratio vespertina.

1. O Salomonis ferculum,
Amor, amplexus, osculum,
Lectus vallatus liliis
Lampadibusque aureis,

2. Da nobis lectum nobilem,
Id est amorem humilem,
In quo dilecti suavibus
Astringamur amplexibus.

3. Pax nostra indeficiens
Et custos nunquam dormiens,
Virtute nos modifica,
Custodi et pacifica.

4. Fac nobis novo sidere
In hac nocte diescere
Et sub tua custodia
Dormiamus in gratia

Orat. ms. Tegurinum anni 1466. Clm. Monacen. 19991.

207. Ad BMV. tempore pestilentiae.

1. Stella caeli exstirpavit,
Quae lactavit Dominum,
Mortis pestem, quam plantavit
Primus parens hominum.

2. Ipsa stella nunc dignetur
Sidera compescere,
Quorum bella plebem caedunt
Diro mortis ulcere.

3. Virga Iesse germinavit
Florem veri luminis,
Quem benigne ros rigavit
Septiformis spiritus.

4. Ipsa virgo nunc compescat
Daemonum insidias,
Ut in nobis nunc virescat
Laus et omnis bonitas.

5. Mater Dei amicta sole,
Luna tuis pedibus
Subest, nunc a cladis mole
Serva nos in aedibus.

6. Ipsa mater deprecetur
Filium piissimum,
Ut viventes hunc laudemus,
Patrem et paraclitum.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — Diesem Liede gehen in der Hs. einige offenbar nicht hierher gehörige Strophen voraus:

Salve, sancta luminosa
Stella caeli, rubens rosa
Formae deitatis,
Quae per regem Salomonem
Praerogativam rationem
Tenes in beatis.

Ad nos veni(re), propera,
Nostra regas opera,
Ne mors subitanea
Nos invadat vel ea
Improvise irruat;
Tua virtus suppleat,
Quod in nobis deficit
Et veneno inficit
Animae subiectum;
Tu da finem rectum,
Quomodo vixerimus,
Licet peccaverimus,
Ut cum tuo filio,
Tam clementi, tam pio
Valeamus miseri
Nos sic tuae fieri
Gloriae consortes.

Str. 1 und 2 dieses Liedes waren als Antiphon in liturgischem Gebrauch, die andern sind spätere Erweiterung. Von ersteren weiss das Breviarium Romanum, Antwerpiae, Ex Architypographia Plantiniana MDCCXXXIIII folgende Legende „ex Chronicis Ordinis Seraphici Fratrum Minorum, conscriptis per R. P. Franciscum Gonzagam, eiusdem ordinis Generalem, Part. 3, de Provincia Portugalliae Monast. VIII.“ zu berichten:

Laborante universa Conimbricensi civitate gravissima peste coepit et hic locus (puta monasterium sororum S. Clarae, quae Urbanistae dicuntur) infici. Cumque abatissa daret operam, ut sorores sibi subiectae alio transferentur, ut vel sic mortem evadere possent, adfuit ex insperato mendicus, qui ab ea tantae tristitiae et sollicitudinis causam sciscitans atque certior de his factus membranulam ei porrexit inquiens: Si curaveris, ut Antiphona et Oratio hac in chartula scripta singulis diebus decantetur, hic locus immunis omnino a peste erit; hisque dictis evanuit. Existimarunt sorores huiusmodi mendicum fuisse s. Bartholomaeum. Quidquid tamen sit, indubia res est, coenobium ex eo tempore ab omni pestifera lue, Conimbricensi etiam civitate infecta, liberum fuisse.

Nach Str. 2 folgen in dem Breviere noch die Worte: O piissima stella maris, a peste succurre nobis; dann die Verse der Sequenz Ave praeclara maris stella: Audi nos, domina, nam filius tuus nihil negans te honorat. Salva nos, Iesu, pro quibus virgo mater te orat. Hierauf Versikel und Oration.

208. Letania beatae Mariae V.

R. Iesu mater, audi nos,
Christi mater, salva nos.

1. O Maria, deitatem,
Caritatem, bonitatem,
Trinitatem o. p. n.

2. O Maria, dulcis pia,
. . . laus, sophia,
Sacra dia, o. p. n.

3. O Maria, mater Dei,
Summa spei, salus rei
Cordis mei, o. p. n.

4. O Maria, adoptata,
Nobis data, foederata,
Advocata, o. p. n.

5. O Maria . . . .
Ancilla humillima,
Mulier mundissima.

6. Femina castissima,
Natura piissima,
Virgo ferventissima.

7. Genetrix suavissima,
Mater clementissima,
Prole fecundissima.

8. Cella splendidissima,
Stella serenissima,
Sol, luna clarissima.

9. Tota candidissima,
Regina dignissima,
Sanctorum sanctissima.

10. Gratia plenissima,
Spes mundi laetissima,
Caritas iustissima.

11. Salvatrix mitissima,
Semita rectissima,
Ianua amplissima.

12. Matrona tutissima,
Nuntia fidissima,
Misericors, piissima.

13. Suavis, amoenissima,
Medulla dulcissima,
Mel, gutta melliflua.

14. Domina carissima,
Pia, dilectissima,
Dulcis, benignissima.

15. Auribus lenissima,
Prece placatissima,
Voce potentissima.

Cod. Sangallen. 27. add. saec. 12.

209. Iubilus Quindecim Graduum.

1. Ave, mater, quae primaevae
Mala pellis matris Evae,
Quae pepercit nemini;
Ave, virgo, Dei porta,
De qua mundo salus orta,
Salus venit homini.

2. Ave, sacro verbo parens,
Verbo facta verbi parens,
Regis regum omnium;
Ave, summi verbi mater,
Quod de summo misit pater
Pro salute gentium.

3. Ave, virgo, signum rubi,
Rubus ardet nec est, ubi
Flammae sint vestigia;
Ave, virgo, sancto partu
Virgo mater, nulli par tu,
Patrem paris filia.

4. Ave, de qua mons praevisus,
De qua lapis est abscisus
Non manus officio;
Ave, virgo, virga Iesse,
Virgo digna mater esse,
Non corrupta filio.

5. Ave, de qua lex, prophetae
Clarent cuncta dicta de te,
Clarum hoc mysterium;
Ave, quondam repromissa,
Tunc promissa, mundo missa,
Modo plenum gaudium.

6. Ave, per quam salus mundi,
Mundus exit ab immundi
Praedonis dominio;
Ave, cuius ortu nati
Homo primo liberati
Primo redit gaudio.

7. Ave, dulcis, salve, pia,
Nostra tota spes, Maria,
Atque vitae praemia;
Ave, digna salutari,
Quae in tuo salutari
Nato salvas omnia.

8. Ave, summa digna laude,
Summa mater, summe gaude
Paradisi sedibus;
Ave, virgo, lux caelorum,
Lumen nobis beatorum
Confer tuis precibus.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. $^{14}/_{15}$. — „Explicit iubilus quindecim graduum.“ Nach jeder Halbstrophe folgt der Anfang eines Gradual-Psalmes.

210. „Te Deum“ Marianum.

1. Te deam digne laudibus
et dominam fatemur,
Te in terris virginem
aeternam veneramur,
Te feminam eximiam
omnes laude famur.

2. Te matrem fertilissimam
elementa dicunt,
Tibi iugiter vocibus
creata benedicunt,
Te non colentes laudibus
se ipsos maledicunt.

3. Tibi omnes homines
sunt semper servientes,
Tibi omnes angeli
sunt semper obsequentes,
Tibi et archangeli
virtutesque canentes.

4. Principatus, potestates
et dominatus sonantes,
Te Cherubim et Seraphim
cum thronis sunt laudantes,
Te cuncta caeli agmina
sunt iugiter dicentes:

5. Sancta, dulcis, inclita,
hierarchiarum domina,
Sanctior, eximia
sanctificata femina,
Sanctissima, ingenua
patrona in patria.

6. Virgo, virgo virginum,
prima abs exemplo.
Mater, mater omnium
matrum, absque viro,
Mulier o mulierum
sexu non coniugio.

7. Te pater altissimus
sibi concreavit,
Te, pia, Deus filius
deifice beavit,
Te sanctus ex hoc spiritus
semper inhabitavit.

8. Plena infernalia
sunt, caelica, terrena,
Plena caeli curia
est gloria serena,
Plena virtualium
habituum tu vena.

9. Te praedicant apostoli
reginam gloriosam,
Te prophetarum paginae
stellam radiosam,
Te scimus multo carmine
radicem fructuosam.

10. Te scripturali serie
terram germinosam,
Te cruciatus martyrum
dicunt triumphosam,
Te confessorum viola
florum speciosam.

11. Te virginalis turmula
fert sideriosam,
Te caelebs viduitas
concinit flagrosam,
Sanctorum te fraglantia
spiratque fraglosam.

12. Te laudat omnis hominis
beatam hic facesia,
Te timet omnis feminam
victricem haeresia,
Te confitetur undique
sancta nunc ecclesia

13. Matrem Dei hominis
immensae maiestatis,
Matrem Dei plasmatis
intensae pietatis,
Matrem cuncti generis
virtutum dignitatis,

14. Venerandam Christi sponsam
et mariti nesciam,
Venerandam roris concham,
incontactam aream,
Venerandam mannae urnam,
panis, vini tinnulam,

15. Sancto solam impraegnatam,
tamen non generatam,
Sancto solam fecundatam
terram, non aratam,
Sancto solam sublimatam,
summe ubertatam.

16. Tu es aula Iesu Christi,
dos suavitatis,
Tu es caula reo tristi,
flos amoenitatis,
Tuque paula sic crevisti,
ut mons viriditatis.

17. Tu es patri amorosa,
sempiterna filia,
Tu es nata generosa,
mater spernens vilia,
Tu es semper dulcorosa
pneumati cum gratia.

18. Tu ad liberandum mundum
incarnasti Dominum,
Tu ad diligendum Deum
horruisti saeculum,
Tu ad redimendum reum
plantas Iesum genitum.

19. Tu praegnando mortem calcas,
vitam donans saeculo,
Tu gignendo natum falcas
crimina cum calculo,
Tu fovendo Christum saltas,
gaudens eius solio.

20. Tu ad dextram Dei patris
astas mater filio,
Tu ad morem piae matris
condoles exsilio,
Tu assertum trinitatis
edoces consilio.

21. Iudex per te mitigatur
vivo, simul mortuo,
Iudex in te complacatur
reo toto morbido,
Iudex tecum consolatur
compassurus populo.

22. Te ergo, clemens o patrona,
quaesumus, nunc subveni,
Se hinc demens, o matrona,
offert tantae consuli,
Se hinc amens, o corona
virginum, vult dirigi.

23. Aeterna qui es Dominus
luce trinus unus,
Aeterna nihilominus
vita, via, munus
Aeternum sis in gloria,
Christe, largiturus.

24. Salvum redde supplicem
populum et audi,
Salva, victrix, triplicem
pugnam et exaudi,
Solum tuae famuli
dent votum verae laudi.

25. Et hos rege, benedic
rectos te collentes,
Et extolle manu sic
hos fide inter gentes,
Et hosti nostro maledic,
secura nos timentes.

26. Per singulos dies te,
clemens, benedicimus,
Per singulas noctes te,
pia, flentes petimus,
Per singulas horas, o
dulcis, tibi gemimus.

27. Et laudamus nomen tuum
semper et in aevum,
Et laudamus partum tuum,
ut nil sit nobis saevum,
Et laudantem vultum tuum
non fac nato laevum.

28. Dignare, domna, omni hora
per gratiam te cernere,
Dignare nos laudare te
et votum nunquam spernere,
Dignare nos colendo te
tuos hostes sternere.

29. Miserere miseris,
regina clementiae,
Miserere, diceris
mater indulgentiae,
Miserere miserae
delictis neglegentiae.

30. Fiat misericordia
nobis, ut speramus,
Fiat benevolentia
nobis, qui clamamus,
Fiat et clementia
nobis, ut amamus.

Cod. Graecen. 347. saec. 14. — 3, 2 sint. — 5, 4 sanctificatorum. — 15, 2 Spiritu tamen. — 15, 4 Spiritu terram. — 15, 6 Spiritu summe. — 19, 4 crimen cum.

Nachträge und Berichtigungen.

Nr. 44, welches bei Mone I, 356 unter dem Anfange „Quanta mihi cura de te“ aus einer Karlsruher Hs. mitgeteilt ist, hat allem Anschein nach Thomas a Kempis zum Verfasser. Ebendort lies 1, 6 exsul, ni fluctues statt in fluctu es.

Nr. 23. 1, 2 lies Regum rex statt Regnum rex.

Inhalts-Übersicht.

I. Real-Index.

1. De Deo.

	Nr.
De ss. Trinitate	1—8
De ss. Trinitate et Sacramento Altaris	9
Ad Deum oratio	10—13
Pater noster	14
In ingressu ecclesiae	15
De divinis operibus	16
De Incarnatione Domini	17—19
De Nativitate Domini	20—23
De Nomine Iesu	24
De Epiphania Domini	25
De Transfiguratione Domini	26
Iubilus alaudae mysticae	27
De Christo Domino	28
De Vita Christi	29; 30
Ad Christum Oratio	31—42
Ad Christum et Mariam oratio	43
Verba Christi ad animam	44; 45
De Passione Christi	46—59
De Passione DN et Compassione BV	60
Ad Faciem Domini	61—65
Ad Latus Domini	66; 67
De Vulneribus Christi	68—72
De Cruce sancta	73—80
De Armis Christi	81—83
De Sepulcro Christi	84
De Resurrectione Domini	85—92
De Corpore Christi	93—108a
De Sanguine Christi	108b—110
De Spiritu Sancto	111—115
„Te Deum“ de Spiritu Sancto	116

2. De Beata.

	Nr.
De Festivitatibus BMV	117
De Conceptione BMV	118; 119
De Nativitate BMV	120–124
De Nomine BMV	125—130
De Nominibus Christi et BMV	131
De Annuntiatione BMV	132—134
De Visitatione BMV	135; 136
Thalamus BMV	137
De Partu BMV	138—146
De Uberibus BMV	147; 148
De Purificatione BMV	149; 150
De Compassione BMV	151—162
Planctus BMV	163
Dialogus Mariae cum populo	164
De V Doloribus BMV	165; 166
De VII Doloribus BMV	167—169
De V Gaudiis BMV	170—175
De VII Gaudiis BMV	176—179
De IX Gaudiis BMV	180
De X Gaudiis BMV	181—183
De XII Gaudiis BMV	184
De XV Gaudiis BMV	185—187
De VII Gaudiis BMV terrest. et caelest.	188
De VII Gaudiis BMV caelestibus	189—193
De XV Gaudiis BMV caelestibus	194
De Assumptione BMV	195–203
De Rosario BMV	204
Oratio ad BMV vespertina	205; 206
Oratio ad BMV tempore pestilentiae	207
Letaniae BMV	208
Iubilus quindecim graduum de BMV	209
„Te Teum“ Marianum	210

II. Verbal-Index.

	Seite
Ad honorem nominis tui Iesu Christe	73
Adonai magne et mirabilis	17
Adonai rex omnium Salus	51
Ad te clamamus audi nos	209
Audi Deus creaturam	18
Ave caput gloriosum	91
Ave dies laudabilis In qua	203
Ave divina trinitas Pater	14
Ave facies Iesu Dei	84
Ave florens vultus Christi Pro	84
Ave florens vultus Christi Sputa	83
Ave fructus o Mariae	90
Ave Iesu parvule Regum rex	26
Ave Iesu pastor bone	105
Ave Iesu qui fuisti	56
Ave luminis imago	130
Ave manna virginale	107
Ave mater quae primaevae	212
Ave mirum sacramentum	115
Ave mundi pretium	105
Ave puer amorose	52
Ave quae caeli atria	204
Ave regina angelorum et archang.	156
Ave rex o bone Iesu	106
Ave salus nostrae spei	37
Ave sanctae crucis signum	95
Ave sanguis Iesu Christi	115

	Seite
Ave thronus maiestatis	128
Aveto salus omnium	125
Ave vale o vitale	108
Ave verbum incarnatum	109
Ave verum corpus Christi	111
Ave virgo gemuisti	173
Ave virgo pulchra nimis	128
Ave virgo virginum Ave salus	182
Ave virgo virginum Cuius	201
Ave virgo sponsa nata	127
Ave vita beatorum	107
Ave vivens hostia	111
Ave vulnus lateris	87
Benedicat me imperalis	14
Caput honorabile tremendum	102
Caro Dei vivifica	100
Christe fili summi patris	48
Christe via quae perducis	54
Christe matris animam	174
Christus Deus homo natus	55
Coepit Iesus esse maestus	76
Constat in altari carnem	114
Corpus innocentiae datur	103
Crucifixe Iesu bone	89
Crux bona crux digna	96
Cum verbum carnem induit	101
Deus creator omnium	22
Deus creator siderum	13
Dic Maria quid vidisti	168
Dulcis Iesus amor meus	50
Dulcis Iesus qui es natus	46
Et ego quid demerui	53
Ex adflatu divini flaminis	23
Festum quod nobis imminet	147
Fidem sanctam orthodoxam	12
Fortis ut mors dilectio	134
Gabrielis vox de caelis	149
Gaude admirabilis Virgo	141
Gaudeat omnis homo quia nos	24
Gaude caeli domina	145
Gaude clara stella maris	202
Gaude Dei genetrix quae	200
Gaude dulcis o Maria	185
Gaude flore virginali	198
Gaude Maria quae Iesum concipis	186
Gaude mater divi nati	200
Gaude mater speciosa	187
Gaude mundi gaudium	189
Gaude parens contra iura	143
Gaude quae es obumbrata	143
Gaude quae progrederis	191
Gaude stirpe regis nata	182
Gaude virgo concipiens	177
Gaude virgo gaudium	176
Gaude virgo generosa	181
Gaude virgo gloriosa Stirpe nata	194
Gaude virgo mater Christi	176
Gaude virgo mater Christi	180
Gaude virgo mater Christi	197
Gaude virgo mater Dei	186
Gaude virgo singularis	183
Gaude virgo virginum namque	195
Gloria tibi Domine	100
Grata Deo o ancilla	134
Gratia excelsa regi referamus	16
Heu miser quid faciam	177
Hostia praeclara cordis	114
Iam laetum mundo promitur	125
Iam nunc matri virgini	156
Iam translata polis aeterni	202
Iesu benignissime ad te flens	50
Iesu benignissime fons amoris	109
Iesu dulcis et decore	44
Iesu dulcis magne Deus	66
Iesu mater audi nos	211
Iesu princeps maiestatis	71
Iesu qui de virgine	45
Iesus patri oboediens	57
Iesu virtus deitatis	47
Imago trini numinis	100
In adplausu virginis	130
In cruce palma fuit cedrus	97
In templo Ierusalem Christo	153
In templo Ierusalem Iesu	151
Laetare virgo virginum	133
Lucis in principio Tempore	33
Magna maior maxima Regalis	131
Maria dulcis miseros nos audi	171
Mariae matris mammulae	146
Maria quae Iesu Christi	154
Mater alma redemptoris	150
Mater mirabilis Maria nomine	129
Mater nati mirifici	209
Mater pia orphanorum	129
Matri dignae non indigne	141
Mira Dei caritas	142
Nos regat aeternus custos	23
O Christe dum nos reficis	106
O cor meum confortare	32
O crux salve pretiosa	98
O crux sancta et praeclara	94
O Iesu rex caelice	83

	Seite
O imperatrix regia	204
O Maria deitatem	211
O Maria illustrata	147
O Maria Mater Christi	148
O Maria virgo gaude	202
Omnibus consideratis	87
O nata lux de lumine	31
O pater alma tuum nomen	19
O paternae gloriae splendor	13
O pater noster Iesu digne	114
O perpulchra domina	171
O princeps pacis et principium	118
O pugna mirabilis o tropaeum	61
O quam pulchrum thalamum	137
O qui perpetua mundum	17
O regalis faciei Forma	85
O regum rex altissime	13
O rex pater gentium	48
O Salomonis ferculum	210
O trinitas sempiterna	14
O virgo Dei genitrix	205
O virgo prudentissima	205
O vos omnes qui transitis	58
O vultus amabilis Nazareni floris	85
Peccatores quare desperatis	92
Plange fidelis anima	64
Primo die dixit Deus	20
Primum fuit gaudium cum virgo	175
Quam venerabilis impretiabilis	96
Quanta cura mihi de te	52
Quid sibi vult clamor validus	96
Qui, nos plasmasti nostri	97
Recordare o Maria	172
Regem Christum hodie	34
Rex cui personae tres sunt	61
Salutemus reverenter	138
Salve flos qui salvas nos	144
Salve Iesu agne paschalis	99
Salve Iesu natus de virgine	60
Salve mater salvatoris	207
Salve nomen salvatoris	30
Salve o fructifera palma	135
Salve plaga sancta nostri	85
Salve praeclara inclita	97
Salve resurrectio sancta	103
Salve sacer Christi Sanguis	116
Salve salvatrix hominum	139

	Seite
Salve salve Iesu pie	92
Salve sancta civitas	20
Salve sancta luminosa	210
Salve sanguis Christi Dei	116
Salve sepulcrum nobile	99
Salve stella maris via virgo	178
Salve summum sacramentum	111
Salveto sancta trinitas	13
Salve verbum incarnatum	110
Salve virgo gloriosa	132
Sanctae crucis lignum vale	95
Sancte veni corda leni	120
Sicut tres pueros Dominus	126
Simeonis nuntium matri quod	173
Socie dic et declara	206
Splendor patris fons sol ares	36
Splendor patris lumen verum	41
Stella caeli exstirpavit	210
Summae fons iucunditatis	9
Tarda gressum o peccator	62
Te deam digne laudibus	212
Te Deum laudamus qui carnem	51
Te laudamus orphanorum	122
Thronus David elevatur	206
Thronus summae clementiae	127
Tibi Iesu creatori	49
Tibi laudes et gratias	38
Tremendus in potentia	11
Tu Christe nostrum gaudium	121
Vale Dei genetrix	135
Vale porta crystallina	143
Vale virgo stirpis piae	126
Veni creator Domine	121
Veni sancte spiritus	119
Venite mares et feminae	155
Verbum a principio	21
Verbum de patre natum	24
Verus homo verus Deus	155
Vidi Iesum adligatum	168
Virgo Dei genetrix nostrae	136
Virgo mater recordare	151
Virgo munda quae fecunda	193
Virgo parens loquitur	132
Virgo parens triplici mortis nexu	206
Virgo plorans filium	169
Virgo thronus Salomonis	139
Vulnera corona crux clavi	98

Pierer'sche Hofbuchdruckerei Stephan Geibel & Co. in Altenburg.

ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

Herausgegeben

von

Clemens Blume und **Guido M. Dreves.**

XXXII.

PIA DICTAMINA.

Reimgebete und Leselieder

des

Mittelalters.

Fünfte Folge.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1899.

PIA DICTAMINA.

Reimgebete und Leselieder

des

Mittelalters.

Fünfte Folge.

Aus

Handschriften und Wiegendrucken

herausgegeben

von

Guido Maria Dreves
S. J.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1899.

VORWORT.

In den einleitenden Worten zum XXXI. Bande dieser Sammlung ist bereits bemerkt, in welcher Reihenfolge und Anordnung die noch erübrigenden „Reimgebete und Leselieder" zur Veröffentlichung gelangen würden. Demgemäfs begreift der vorliegende Band die Marien-Lieder allgemeinen Inhaltes, die sich nicht ausdrücklich auf irgend ein Marienfest des Kirchenjahres oder irgend ein Geheimnis im Leben der Gottesmutter beziehen. Dieselben sind mangels eines anderen durchgreifenden Gesichtspunktes alphabetisch nach den Anfängen geordnet.

Einer wie grofsen Lebens-Fähig- und Zähigkeit sich das Prinzip der mittelalterlichen Reimdichtung erfreute, erhellt u. a. aus dem Umstande, dass sich dasselbe aller Ungunst der Zeit und aller Unduldsamkeit der Erbpächter eines geläuterten Geschmackes zum Trotz bis in und über die Zeiten des s. g. Humanismus erhalten hat. Andere Beispiele hiefür sind anderen Ortes beigebracht worden. Möge es gestattet sein, hier eine weitere Reliquie dieser Art einzufügen, der wir im Rahmen der Analecta einen Platz nicht anzuweisen vermöchten. Der bereits zu den libri rarissimi zählende Parnassus Marianus von A. de Balinghem, Duaci 1624, bietet S. 190 ff. das folgende Reimgebet auf Mariä Mitleiden. Balinghem bemerkt zu demselben: „Hymnus sanctissimi Patris Iosephi Anchietae, Societatis Iesu, ad beatissimam virginem Mariam de vulneribus Christi... Descriptus est ex auctoris autographo, quo gaudent Patres Societatis Iesu Montibus, quod tanti viri totque a Deo miraculis decorati monumentum ad instar reliquiarum asservant et venerantur." Welchen Glauben diese Angabe verdient, bleibe ununtersucht. Das Gedicht lautet:

1. Ave, matris cor benignae,
Quod crudeles pungunt spinae
Nati fixae capiti,
Illi caput perforarunt,
Tibi pectus lacerarunt
Mundi culpa perditi.
Fige meum, ne vagetur,
Intellectum, sed rimetur
Plagas tuas dulciter,
Tu cum Iesu, Iesus tecum,
Maneatis semper mecum
Amplectendo fortiter.

2. Ave, matris cor lugentis,
Quod diris clavus tormentis
Dextrae manus afficit;
Felix clavus, qui divinum
Natum simul et benignum
Matris pectus conficit.
Pia mater redemptoris,
Tui leniter amoris
Mihi manum adhibe,
Tange lepram, et mundabor,
Tange vulnus, et sanabor,
Et peccantem cohibe.

3. Ave, pectus matris almae,
Cui sinistrae vulnus palmae
Dirum vulnus imprimit;
Iste clavus tibi impressus,
Quo perimitur Iesus,
Culpae mortem perimit.
Tuo, genetrix, dolore
Salutarique timore
Carnes meas saucia,
Ut peccata caveantur,
Dum tremenda formidantur
Domini iudicia.

4. Ave, matris cor sacratum,
Quod contemplor cruentatum
Dextri pedis cuspide,
Ad te currit cor amantis
Animusque singultantis
Te suspirat avide.
O si tuae castitatis
Suavis odor hamatis
Me sagittis feriat,
Ut exstincto carnis bello
Tua pietas in caelo
Me victorem capiat.

5. Ave, matris cor adflictum,
Quod cum nato gravem ictum
Laevi pedis pateris,
Nullam culpam cum patraris,
Omni poena cruciaris,
Omni plaga laederis.
Ne me culpis maculatum,
Me sceleribus foedatum
Poenis dede meritis,
Ut cum miti humilitate
Humilique paupertate
Tuis addar subditis.

6. Ave, matris cor honestae,
Cuius Simeone teste
Ensis fidit intima,
Dum defuncti latus nati
Rupit militis armati
Hasta crudelissima;
In te spinae coniurarunt,
Clavi, crux et quae foedarunt
Flagra dura filium,
Ut cum nato morienti
Maternae supersit menti
Nullum refrigerium.

Zu beachten ist neben dem Reime 1, 1 u. f. und 2, 4 u. f. die Elision 3, 4 und 5, 10 sowie der Umstand, daſs sämtliche männlichen (jambischen) Reime sich auf zwei Silben erstrecken.

Wien, den 24. November 1898.

Guido Maria Dreves.

DE BEATA MARIA VIRGINE

PIA DICTAMINA.

I. De beata Maria V.

1. Ad aeterni numinis
cumulum honoris
Dicturus praeconia
nostri salvatoris
Insigniri gratia
tam sensus quam oris
Obsecro, nam linguae sum
impeditioris.

2. Hoc enim miserrimo
mihi peccatori
Dixisse plus congruit
quam legislatori,
Cuius sapientiam
effluentem ori
Placuit infundere
summo creatori.

3. Ego vero sordida
plenus actione,
Degens in superbia
et abusione,
Omnibus dissimilem
comparatione
Praesumam attollere
qua praesumptione?

4. Cuius ad imperium
mundi salutare,
Christus Iesus, subdidit
caelum, terram, mare,
Quomodo vel qualiter
audebo laudare,
Quam nec saltem dignus sum
ore nominare?

5. Ad haec tamen sentiam
me licet immundum,
Christum Iesum deprecor,
qui redemit mundum,
Ut meum eloquium
sit ei iucundum,
Qui potens est facere
de immundo mundum.

6. Ne, quoniam laudibus
intento Mariae,
Quae gigantem genuit
geminae usiae,
Eo, quod indignus sim,
vel nocte vel die
Accidat, quod accidit
olim Adoniae.

7. Mariam dilucide
satis exprimebat
Illa scala, dormiens
quam Iacob videbat,
Cui innixus Dominus
Deus apparebat,
Et quae caelum pariter
et terram tangebat.

8. Haec est enim pervia
scala peccatorum,
Qua libet ascendere
cacumen caelorum,
Huic ipse Dominus
innixus suorum
Vota pie suscipit
et preces servorum.

9. Haec ut Saba sapiens
regina Sybilla,
Sed multum humilior
utique quam illa,
Gabrieli nuntio
respondit tranquilla:
Ecce, inquit, cuius es
angelus, ancilla.

10. O felix humilitas!
ecce, mater Dei
Ancillam se nominat,
cum constaret ei,
Quod totius pareret
conditorem rei,
Qui disponit tempora
cursusque diei.

11. Videtur Abigail
istam designare,
Quae, cum David placuit
ipsam desponsare,
Volens coram nuntiis
se humiliare,
Pedes eius obtulit
se ipsam lavare.

12. Figuram huiusmodi
Rebecca praetendit,
Quae narrante puero
dum sibi attendit,
Quod per agrum obviam
Isaac ascendit,
De camelo protinus
ad terram descendit.

13. Lia ventris admodum
fructu gratiosa,
At Rachele facie
minus speciosa,
Designari poterit,
ut exponit glosa,
Haec inter Ierusalem
filias formosa.

14. Hesther, per quam reddita
salus est Iudaeo,
Et crux, quam paraverat
Amam Mardochaeo,
Facta figuraliter
designat ex eo
Gratam singulariter
hanc reginam Deo.

15. Iterum si conspicis
oculis internis,
Spiritum a litera
si bene discernis,
En, Iudith alterius
hostis Holofernis,
Eius, inquam, cuius est
locus in infernis.

16. Arcam iussu Domini
Noe construebat,
Quae salvavit intra se,
quidquid continebat,
Homines et pecora,
quae secum tollebat,
Cum aqua diluvii
cuncta consumebat.

17. Si scripturae iunxeris
sensum et sophiam,
Per arcam intelleges
virginem Mariam,
Quae suo continuit
in alvo Messiam,
Ad vitae quo rediit
omnis caro viam.

18. Per columbam etiam
in ore gestantem
Olivam, clementiae
signum, designantem
Gabrielem virgini
fata nuntiantem,
Quod misericordiae
portaret infantem.

19. Abnegat incredulus
haec dicta Iudaeus
Et infelicissimus
ille Manichaeus,
Quos ita corripiet
sequens sermo meus,
Quod adiudicabitur
hic et ille reus.

20. Tibi loquar igitur,
perfide Iudaee,
Ausculta similiter
et tu, Manichaee,
Dum transiret Dominus
mare Gallilaeae,
Dixit: „me sequimini“
Petro et Andreae.

21. Ita me sequimini
non gressum movendo
Nec utcumque gressibus
pedum incedendo,
Sed ipsum iustitiae
solem intuendo,
Quem vos pertinaciter
negare perpendo.

22. Vos, inquam, conveniam,
non dico factores,
Sed tantum Mosaicae
legis auditores,
Qui sunt, quos in invicem
confertis, errores
Adversus catholicae
fidei cultores?

23. Nonne scriptum legitis:
in ore duorum
Stabit testimonium?
sed quid, si multorum
Utar testimoniis
ad robur dictorum,
Credetisne testibus
vel dictis eorum?

24. Isaias siquidem
propheta testatur,
Ieremias asserit
hoc et praelibatur,
Per quos et per alios
patenter probatur,
Quod Iesus ex virgine
Maria nascatur.

25. Labiis quodammodo
vir incircumcisus,
Sed hinc a catholica
fide non divisus,
Quaero, quid significet
Danieli visus
Lapis, sine manibus
de monte praecisus.

26. Quid designet etiam,
quod rubus ardebat
Et rubum nullatenus
ignis comburebat:
Haec utraque visio
videntes latebat
Et profecto virginis
partum exprimebat.

27. David, cum senuerat,
Abisag fovebat
Et regem, ut legimus,
calefaciebat,
Sed nec rex carnaliter
eam cognoscebat,
Nec a rege maculam
ipsa contrahebat.

28. Sic, sic Dei genetrix
et incorporavit
Deum et virgineum
florem conservavit,
Quod Iudaeus audiens
hucusque negavit
Et sicut, quae periit,
ovis sic erravit.

29. Dic, quicunque crederis
esse vel fuisse
Discussor et arbiter
virtutis praemissae,
Quid est mirabilius
partum concessisse
Virgini, an hominem
de terra fecisse?

30. Si esse contenderis
contra carnis iura,
Quod virgo conciperet
sine genitura,
Dic, si nosti, cuius est
haec ipsa natura,
Qua traxit originem
omnis creatura?

31. Moyses dominicum
mandatum complebat
Et de cunctis tribubus
virgas adferebat,
Inter quas, quae fuerat
Aaron, frondebat
Et post diem alterum
nuces producebat.

32. Delectat mysterium
hoc magnum videre
Et contra Iudaicam
haeresim miscere,
Quae Deum in virgine
denegat complere,
Quod liquet ad oculum
in virga patere.

33. Qui dedit, ut arida
virga pullularet,
Fecit, ut et filium
virgo procrearet,
Qui mortalis propter nos
si non expiaret,
Nunquam nos a debita
morte liberaret.

34. Numquid non de virgine
potuit creare
Deus, quem de pulvere
noluit formare?
Si velle prospicitur,
de posse tractare
Non decet, nam potens est
cuncta renovare.

35. Cesset incredulitas
cuiusve Iudaei
Proinde potentiam
blasphemare Dei,
Cesset, inquam, supplici
voce clamans ei:
Iesu, fili virginis,
miserere mei.

36. Rex Aegypti Pharao
vidit una vice,
Refert ut historia,
quodque septem spicae
Pullulabant pariter
ex una radice,
Quod exponi poterit
de illa felice.

37. Per formosas etenim
spicas, ut expressit
Ioseph regis somnium,
secura repressit
Famem abundantia,
quam large concessit,
Ex hac sacra virgine
fructus qui processit.

38. Supra tempus capitis
Sisarae ponebat
Iahel clavum ferreum
et clavo transfigebat,
Quod effectualiter
Maria complebat,
Cum serpentis veteris
caput conterebat.

39. Haec [virgo] est mulier,
quae circumdat virum
Commedentem pariter
et mel et butyrum,
Hoc dixisse dicimus
non esse delirum,
Quod dixit veridicus
propheta, nec mirum.

40. Sareptana vidua
Maria signatur,
Cui lechytus olei
non minuebatur,
Et farinae hydria
magis augebatur,
Ut Helias Domini
servus loquebatur.

41. Hanc vocare poteris
etiam, si velis,
Per Annam, quae fuerat
mater Samuelis,
Quem sub Heli voverat,
ut voto fidelis
Serviturum obtulit
Domino de caelis.

42. Haec est nominaliter
dicta maris stella,
Qua sedatur saepius
marina procella,
Haec pudoris thalamus,
haec unguenti cella,
Haec, quae sola dicitur
mater et puella.

43. Haec columna populum
Israel deducens,
Quo tendebat, lucide
de nocte reducens,
Haec ad vitae ianuam
semita perducens,
Haec, per quam seducitur
Satan nos seducens.

44. Haec est arca continens
manna delicatum,
Haec sancti sacrarium
spiritus sacratum,
Haec funda proiciens
petram, qua prostratum
Ab inermi legimus
Goliath armatum.

45. Haec est virga florida
Iesse, patris David,
Stella Iacob, Balaam
de qua prophetavit,
Haec, auditum filii
cuius auscultavit,
Inter animalia
Habacuc et pavit.

46. Haec, clausam Ezechiel
quam consideravit
Porta, vir nec exiit
per quam nec intravit,
Haec cisterna Bethlehem,
cuius asservavit
Aquam David, Domino
Deo quam libavit.

47. Hanc, ut brevis persequar
seriem sermonis,
Mystice significant
vellus Gedeonis,
Moysi vas scirpeum,
thronus Salomonis,
Aureum candelabrum
et mons visionis.

48. Mulier, sub pedibus
quae lunam tenebat
Et veste circumdata
solis apparebat,
Mariam aptissime
signans innuebat,
Quae verum iustitiae
solem pariebat.

49. Conquievit populi
murmur mox aperto,
Quod aqua de silice
fluxit in deserto,
Virga, qua percutitur
in saxo reperto,
Virginis est filius,
ut placet diserto.

50. Illa Ierosolymis
salutis piscina,
In quam descendentibus
datur medicina,
Intellegi poterit
haec mundi regina,
Quae medetur languidis
virtute divina.

51. His et huiuscemodi
rebus designata,
Iam supra caeligenas
omnes exaltata,
Condescende miseris,
o virgo beata,
Quia nostra diceris
et es adovocata.

52. Regina, quae praesides
et primatum tenes
Super omnes virgines,
iuvenes et senes,
Reos reconcilia
servos eum penes,
Qui corda diiudicat
et scrutatur renes.

53. Te commendat gloria
matrem virginalis
Nec deflorat virginem
partus filialis,
De te prodit filius
patri coaequalis
Et ei per omnia
consubstantialis.

54. Maria, dulcissima
mater salvatoris,
Quae sanctorum omnium
es praelata choris,
Recordare, quaesumus,
tui quod honoris
Summa sit occasio
culpa peccatoris.

55. Signanter necessitas
quaenam videretur,
Verbum carnem fieri
per quam pateretur,
Si delictum hominis,
quod redimeretur
Sua morte, penitus
non inveniretur?

56. Constat ergo, domina
mundi praeclecta,
Quod pro peccatoribus
mater sis effecta,
Quos eidem, cuius sunt
opera perfecta,
Complacere facias
a Deo dilecta.

57. Nos quidem, nos fragiles
et ad malum proni,
Privamur hic, proh dolor,
omnis fructu boni,
Sed tuae committimus
miserationi
Nos et nostra subdimus
tuae ditioni.

58. Ne frustremur igitur
spe, quam reportamus
De te, cuius totiens
nomen invocamus,
Quae si non subveneris
nobis, ignoramus,
Quid in his miseriis
ultra faciamus.

59. Admitte, piissima
mater, hoc dictamen
Et sic te petentibus
impende iuvamen,
Ut cum factum fuerit
ultimum examen,
Vivamus in saecula
saeculorum. Amen.

Cod. Londinen. Reg. 7 A VI. saec. $^{14/15}$. — 1, 4 nostre. — 3, 4 et in abusione. — 6, 3 Qui. — 9, 1 Ut Salu sapiens. — 13, 3 Et Rachele. — 14, 2 salus est in Deo. — 14, 7 Etiam singulariter. — 18, 6 vata oder nata nuntiantem. — 21, 3 utrumque. — 22, 5 in fehlt; cfr. Luc. 24, 17. — 24, 4 et fehlt. — 31, 1 sq. mandatum dominicum. — 33, 5 mortales. — 41, 1 Huic. — 41, 3 Peraman quae. — 46, 2 consederavit. — 46, 6 assertavit. — 51, 7 disceris.

2. Ad beatam Mariam V.

1. Assis nobis, virgo pia,
Quae vocata es Maria,
Stella maris rutilans,
Tu pro nobis semper ora
Ad filium sine mora
Veniamque postulans.

2. Ut adiuti gloriemur,
Absoluti liberemur
A peccatis omnibus,
Ne Satan cum suis turmis
Nos congreget in extremis
Poenis infernalibus.

3. Ne damnemur cum impiis,
Sed precibus tuis [piis]
Valeamus scandere,
Ubi manes cum filio,
Cum patre, cum paraclito
Sacrosancto foedere.

4. Tibi, Christe, sit gloria
Cum matre tua Maria
Hic et in caelestibus;
Hymnus iste sit devotus
Tibi semper atque gratus
In Mariae laudibus.

Orat. ms. Combergense saec. 15. Cod. Stuttgartien. 1 b. 87. — 1, 5 filium tuum sine. — 3, 6 Sacrato.

3. Ad beatam Mariam V.

1 a. Angelorum supernorum
Imperatrix atque datrix
Salvatoris, creatoris
Continentis omnia.

1 b. Protulisti, quae vicisti,
Mundi florem atque rorem.
Mater alma, dicta palma
Iuste super omnia.

2 a. Balsamata ut es nata,
Virgo grata, es vocata
In honorem atque morem,
Noemi pulcherrima.

2 b. Nec non Sara es praeclara,
Virgo praegnans, quae es regnans
Mundum istum, gignens Christum
Tu eris, sacerrima.

3 a. Collaudaris per scripturam,
Visitaris per picturam,
Honoraris per sculpturam,
Virgo felicissima,

3 b. Nec formido deformavit
Nec caligo diffamavit
[Nec rubigo] te [foedavit],
Regina mitissima.

4 a. Dona b o n a nobis dare
Tu digneris, virgo, veris
Flos, a m a r e nos te dona,
Quod mala vitemus.
. . . . . .

4 b. En, felicem genetricem,
In qua ista infinita,
Quae quaesita in hac vita
Vere iuventutis
Anno prosunt senectutis.

5 a. Forma plena et serena,
Longa virtus, pia myrtus,
Humilitate brevis,
Concepisti, mater Christi,
Christum, qui non levis,

5 b. Immo gravis in moribus,
Ob quod in campi floribus
Merito laudaris,
Immo stella maris
Iuste nuncuparis.

6. Gloriosum ad nos vultum
Converte speciosum
Splendentem[que] multum,
Nos tu fove nosque move
De lacu miseriae.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19353. — 4 a, 2 feris.

4. Oratio de Beata Virgine.

1. Ante thorum tam decorum
Virginis puerperae,
Lingua, prodas novum odas
Mariae christiferae.

2. Patrem nata illibata
Ipsa quippe genuit,
More miro sine viro
Mater esse meruit.

3. Virgo prolem, stella solem
Mundo novum edidit,
Dum fideli Gabrieli
Nuntianti credidit.

4. Res divina, una trina,
Utero concluditur,
Virginali forma tali
Deus homo gignitur.

5. Quod auscultans vox exsultans
Deum laudat dulcius,
Pax in terra pulsa guerra,
Caeli canit nuntius.

6. Pastor certus hoc expertus
Cernit in praesaepio
Christum natum, nobis datum
Nuntiat cum gaudio.

7. Natum regem praeter legem
Laudat bos et asinus,
Se prosternunt, quia cernunt
Christum esse comminus.

8. Stella fulget, ut divulget
Hoc orbi mysterium,
Stans innixa ut adfixa
Iuxta puerperium.

9. Reges credunt et accedunt
Ante thronum virginis,
Dona ferunt, Christum quaerunt
Ducti signo luminis.

10. O miranda et laudanda
Ista generatio,
Quae perplexo et inflexo
Fulget hoc mysterio.

11. O stupenda, reverenda
Verbi incarnatio,
Per quam vita morte trita
Datur et salvatio.

12. O quam mirum extra girum
Orbis tabernaculum,
In quo Dei virtus ei
Fecit habitaculum.

13. O quam rarum et praeclarum
Amoris conubium,
Ubi pura contra iura
Virgo parit filium.

14. O Maria, mater pia,
Trinitatis cellula,
Quae tam magnum lactas agnum
Dei, virgo parvula.

15. O flos florum, norma morum,
Castitatis lilium,
Mel dulcoris, vas honoris,
Dei ferens filium.

16. Tu lux lucens, nos educens
De gehennae latebris,
Fulgens stella, lux novella,
Viam dans de tenebris.

17. Tu fons vivus, a quo rivus
Manat indeficiens,
Hunc qui potat, non aegrotat
Nec est ultra sitiens.

18. Madens humus, ardens dumus
Te figurant virginem,
Sane puram parituram
Deitatis hominem.

19. Te signavit cantus David,
Tui ventris fructui
Ponens sedem, ut heredem
Nostro daret cultui.

20. Isaiae prophetiae
Intellectum aperis,
Quando paris expers maris
Deum nostri generis.

21. Evae luctum tu destructum
Prodis almo germine
Et productum vitae fructum
Sine viri semine.

22. Fers ad templum in exemplum
Viam vitae indicans
Natum regem, implens legem,
Partu te purificans.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. 4° 29. — 1, 3 Lies: Novas odas oder novem odas? Neun Oden zählen nach der Zahl der biblischen Cantica die Kanones der griechischen Hymnoden. — 11, 1 veneranda.

5. De beata Maria V.

1. Ara Dei, porta spei,
Virgo mater unica.
Per te rei cordis mei
Candidetur tunica.

2. Ve cunctarum feminarum
Tollens tua gloria
Offensarum contractarum
Purget me de scoria.

3. Mater, audi, sed exaudi,
Sit vox licet quaerula,
Os nam claudi tuae laudi
Mors est, vitae ferula.

4. Riga reum, placa Deum,
Iuva, plena gratia,
Da tropaeum et cor meum,
Te quod famet, satia.

5. Alma Iesse virga, fessae
Mentis ingens pausula,
Tutrix esse velis pressae
Carni mortis clausula.

6. Grata morum forma, thorum
Servans absque macula,
Vitiorum tu meorum,
Virgo, stingue iacula.

7. Cinis ego quamdiu dego
Vitae sub hac formula,
Quidquid rego, tibi lego,
Corrigas anormula.

8. Ave, mitis, a vae litis
Inferni me libera,
Ut cum tritis caelo sitis
Vita fruar libera.

9. Plebis numen, vitae flumen,
Cellula nectarea,
Praebe lumen, fer acumen,
Caeli duc in area.

10. Nati nata, quae beata
Mater es et filia,
Nos post fata duc ad grata
Paradisi gaudia.

11. Dolor urget me, nam turget
Mens et ab amentia
Non resurget, nisi purget
Hanc tua clementia.

12. Mira parens, labe carens,
Cui nulla praevia,
Fac, ne parens sit mens arens
Ad quaeque daemonia.

13. Nusquam tutum est hoc lutum
Carnis infra limina,
Ni per scutum tu virtutum
Longe pellas crimina.

14. Te nutricem, te victricem
Summa super aethera,
Iuxta vicem tam felicem
Laudo super cetera.

15. Cum pro vero mane, sero
Sim expertus talia,
Neque spero, sed nec quaero,
Quod sit talis alia.

16. Benignarum feminarum
Rosa, vernans primula,
Animarum spes lapsarum,
Deitatis rimula.

17. Nevum mentis te colentis
Dele, fer piacula,
Taetrae gentis et furentis
Ne adurat facula.

18. Dictu miro paris viro
Sine, muliercula,
Angui diro mundi gyro
Pulso per haec fercula.

19. Tam sincere te decere
Fidei conubia
Scimus vere, nec latere
Quit res nulli dubia.

20. Tuus fructus nostri luctus
Exsiccavit semina,
Mundi fluctus, carnis ructus
Seda, felix femina.

21. **In** te cursum tendi sursum
Da per tot naufragia,
Stringens sursum, ne nos rursum
Trahat ad contagia.

22. **Mu**rus, porta, byssus, sporta,
Virga nitens aurea,
Me supporta, spe conforta,
Dita caeli area.

23. **Li**vor fellis multis bellis
Turbat cordis atria,
In procellis sub flagellis
Gemit carnis patria.

24. **Ei**a, veni tu et leni
Cordis tot contraria,
Aut in caeni tam obsceni
Submergor angaria.

25. **Ri**su fletum, plausu metum
Muta sedans bellica,
Cor quietum sit et laetum,
Longe sint procellica.

26. **Bu**sti die tu, Messiae
Mater, dele vitia
Et post viae cursum pie
Nobis sis propitia.

27. **Et** cum dirae dies irae
Fiet nimis horrida,
Non perire, sed exire
Fac de zona torrida.

28. **Be**lluina carnis vina,
Mentis quae sunt toxia,
Tu, divina medicina,
Misce, ne sint noxia.

29. **Ne** tantorum me malorum
Obruant pericula,
Commissorum tu meorum
Dissolve reticula.

30. **Dic**, Maria, virgo pia,
Unde mihi venia,
Nisi dia in sophia
Spei des encaenia?

31. **Tu** sublimis hera nimis,
Duc nos locis, domina,
Ab his imis in opimis
Dubia post omina.

32. **Fruc**tu feta, quo deleta
Constat offendicula,
Auge laeta, da quieta
Temporum curricula.

33. **Tu** sodalis curialis,
Conductrix egregia,
Nos a malis tuis alis
Tege, virgo regia.

34. **Ven**tus urat, hostis furat
Stringat vel inopia,
Mens non curat, quam securat
Tua dulcis copia.

35. **Tris**tis quivis mundi civis
Culpa de praeterita
Potest, si vis, iungi vivis
Tua per praemerita.

36. **Tu**, quae menti paenitenti
Sola fers colliria,
Asta flenti vel gementi,
Respice suspiria.

37. **Ira**m nati, tam irati
Mollias, christifera,
Ne peccati perpetrati
Poena sit mortifera.

38. Amen, Amen, per affamen
Hoc et per similia
Praestet flamen sanctum, tamen
Si accedant milia.

Cod. Parisin. 11343. saec. 15. A. — Nach dem Vorsetzblatte einer Breslauer Inkunabel bei Friedr. Haase, Miscellaneorum philologicorum lib. V, cap. 4. (Breslau 1863). B. — 3, 2 claudi me vel audi A. — 3, 4 est ante saecula A. — 5, 4 Carnis A. — 9, 4 in patria A. — 11, 2 a dementia B. — 12, 4 Ad quaecunque devia. B. — 13, 2 Inter carnis B. — 14, 1 te iutricem B. — 15, 3 nec gero B. — 17, 1 te tollentis B. — 17, 4 aduret B. — 18, 1 miro sine viro B. — 18, 2 Paris muliercula B. — 19, 4 Quod res A; Quid res B. — 20, 4 Ceda B. — 21, 2 suffragia B. — 21, 3 ne vi rursum B. — 22, 1 Murtis porta B. — 22, 2 Cellula nectarea B. — 22, 4 caeli gaudia A; Caeli duc in area B. — 24, 4 Submergar B. — 26, 2 delens B. — 29, 1 Delictorum tu B. — Str. 31 und 33 vertauscht B. — 31, 2 lucis domina B. — 35, 1 mundi si vis B. — 35, 3 Potest civis B. — 38, 4 accidant B.

6. De beata Maria V.

1. Audi, clemens et benigna.
Te precantum vota digna.
Preces et suspiria,
Ad te, pia, suspiramus,
De profundo clamitamus,
De gravi miseria.

2. Audi, salus nostrae spei,
Mater iudicis et rei,
Fer nobis auxilium,
Culpa gravis nos depressit,
Quae culpa metas excessit,
Exhibe consilium.

3. Audi, mitis, audi, pia,
Tui sumus, o Maria,
Filii miseriae,
Audi, nostra advocata,
In conspectu Dei grata,
O regina gloriae.

4. Memor esto, quam iucundum,
Quam magnum quamque profundum
Fuit hoc consilium,
Gabriel dum inquit Ave,
Dum per verbum hoc suave
Concepisti filium.

5. Audi nostrum detrimentum,
Posce nobis incrementum
Inclito precamine,
Tutum populum conserva,
Cleri tui cum caterva
Serva sine crimine.

6. Hostes fuga, pelle metum,
Differ iudicis decretum
Mortisque sententiam,
Nobis miseris intende
Et iudicium suspende
Propter paenitentiam.

7. Memor sis, quem genuisti,
Dum ad templum detulisti
Magno cordis iubilo,
Memor esto mortis Christi,
Dum pendentem conspexisti
Crucis in patibulo.

8. Memor esto resurgentis
Et in caelum ascendentis
Multiformis gratiae,
Qui te semper honoravit,
In aevum laetificavit
Sua clara facie.

9. Super gloriam sanctorum,
Super choros angelorum
Te vexit, dignissima;
Statum nos perfectionis
Doce, vas electionis,
Sanctorum sanctissima.

10. Posce nobis fidem rectam
Caritatemque perfectam,
Lumen sapientiae,
Corporis integritatem
Spiritusque puritatem,
Fructum abstinentiae.

11. Virtutum infusione,
Carismatum sanctione
Omne fuga vitium,
Luce contemplationis,
Gustu consolationis
Exhibe solacium.

12. Memor sis universorum,
Vivorum et mortuorum,
Totius ecclesiae,
Posce nobis finem bonum,
Addens singulare donum
Et tuae praesentiae.

13. Audi, clemens, audi, pia,
Audi, dulcis o Maria,
Post praesens exsilium
Offer nobis cum gaudio
In caelesti tripudio
Iesum tuum filium.

Scala caeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3.

7. De beata Maria V.

Audi, virgo virginum,
Quae lactasti Dominum,
Verum lumen hominum,
Preces supplicantium,
Sese accusantium,
Te desiderantium,
Ad te suspirantium,
Per te dimicantium,
Pro te gratulantium,
De te praesumentium,
In te confidentium,
Lacrimas fundentium,
Misere gementium,
Amare dolentium,
Vere paenitentium.

Cod. Trecen. (ol. Claravallen.) 1612. saec. 15.

8. De beata Maria V.

1. Aula vernat virginalis,
Cuius pars est integralis
Tectum, pes et paries,
Iungit haec in unum tria
Trinus unus in Maria,
Iuncti pollet series.

2. Christus petra fundamentum,
Tenax tecti tegumentum
Obumbrator spiritus,
Parietem posse patris
Stipat, ut procellis atris
Obviet oppositus.

3. Parit tectum architectum,
Aula regem, cuius legem
Sua curat curia;
Rubent rosae speciosae
Fundamento, pavimento
Munda candent lilia.

4. In se formas angulorum
Fert beryllus et decorum
Parietem circuit,
Cum saphyro stat pyropus,
Virginale signans opus
Caritatem innuit.

5. In cortina copulatur
Cocco byssus et artatur
Cum iacintho purpura,
Sol stat fixus in hoc caelo,
Sol in stella, stella velo
Vincit maris murmura.

6. Purpuratur, dum sacratur
Virgo, byssus humilis,
In doctrina stat divina,
Iacintho est similis.

7. Designatur, quod amatur
Et quod amat firmiter,
Cocco tincto qui iacincto
Conubit perenniter.

8. Domus aromatica
Nardo, ture, calamo,
Murra, cedro mystica,
Cinnamomo, balsamo,

9. Funda nos in filio,
In patre suffulcias,
In sancti suffragio
Spiritus operias.

Cod. Oxonien. Digby. 65. saec. 13. — Diese Hs. enthält die Gedichte Godefridi, prioris ecclesiae S. Swithuni Wintoniensis. Unmittelbar auf dieselben folgt von derselben Hand geschrieben und mit Noten obiges Lied, das höchst wahrscheinlich von demselben Verfasser herrührt. Die Melodie ist trotz der Verschiedenheit des Versmafses nur eine für alle Strophen.

9. De beata Maria V.

1. Ave, caeli domina,
   Quae transcendis agmina
   Caelestis militiae,
   Ave, felix femina,
   Stola gaudens gemina
   Super thronum gloriae.

2. Surge, surge, propera,
   Oliva fructifera,
   Tuum fundens oleum,
   Tua semper ubera
   Mea sanent vulnera,
   O iubar aethereum.

3. Tu es virgo sapiens
   Et verbo concipiens
   Sine viri copula,
   Stella solem praeiens,
   Lumen indeficiens,
   Luna sine macula.

4. Regnans iam in superis
   Depelle a miseris
   Culpae tu caliginem,
   Salus nostri generis,
   Culpae nobis veteris
   Absterge rubiginem.

5. Nunc te rogo virginem,
   Per tuam dulcedinem
   Respiret ecclesia,
   Cuius pulchritudinem
   Atque mansuetudinem
   Mirantur caelestia.

6. Eia, fac me iugiter
   Devotum et puriter
   Te semper diligere,
   Dignae et sollicitum
   Nunc semperque debitum
   Laudis tibi reddere.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. $^{14}/_{15}$. — 4, 2 Depelle hic a. — 6, 4 Digna. — 6, 6 Laudes.

10. Ad beatam Mariam V.

1. Ave, caelorum ianua,
   Mater Dei et filia,
   Salutata ab angelo,
   Praeelecta a Domino.

2. Ego ad te confugio,
   Virgo, mea salvatio,
   Salutis spes et veniae,
   Mater misericordiae.

3. Salva ad te fugientem,
   Serva me in te sperantem,
   Super omnes te exoro,
   Super omnes te imploro.

4. Tu es vere potentior,
   Inter omnes dulcior,
   Inter omnes humilior,
   Inter omnes sublimior.

5. Nullus nempe confundetur,
   Sicut reor, nec perdetur,
   Qui se tibi commendabit
   Et te prece invocabit.

6. O Maria, mater Dei,
   Miserere, precor mei
   Atque pro me ora Deum,
   Ut absolvat tuum reum.

7. Ego tibi me commendo,
   Me in servum tibi trado,
   O domina, me respice
   Et clementer suscipe.

8. Respice me, o Maria,
   Dei mater, virgo dia,
   Et visita me miserum,
   Oppressum mole scelerum.

9. Nam si tu me visitabis,
Visitando me purgabis,
Nam tua visitatio
Mea est salvatio.

10. Serva tibi commendatum,
Tibi servire paratum,
Dono tuae pietatis
Me absolvas a peccatis.

11. Tota enim salus mea
In te est, deorum dea,
Cunctorum, ut creditur,
Ex te salus exoritur.

12. Ille potest desperare,
Qui te non vult amare,
Te Mariam adamare,
Hoc est opus salutare.

13. Nomen tuum dulce nimis
Adamandum est imprimis,
Ubi nomen tuum sonat,
Spem salutis mihi donat.

14. Omne a me perpetratum
Tollit mihi hoc peccatum,
Nunquam possum desperare,
Si te volo invocare,

15. Per te, pia, me salvari,
Per te credo reparari,
O Maria veneranda
Super omnesque laudanda.

16. Si me velis adiuvare,
Quis me cogit desperare,
O domina dulcissima,
Prae omnibus carissima?

17. Omnibus tu praeamanda,
Nulla tibi comparanda,
O Maria, Deo cara,
Virgo nitens et praeclara.

18. Sed mente praeclarior
Moribusque nobilior,
Tota super solem munda,
Omni bono tu fecunda.

19. Virgo semper, ante partum
Et in partu et post partum,
Iure cunctis es praelata,
Super omnes exaltata.

20. Semper casta, semper pura,
Semper Deo placitura,
Nunquam levis, nunquam vana,
Ac si esses inhumana,

21. Domina o dominarum
Et regina reginarum,
Propter tuam pietatem,
Tuam quoque bonitatem.

22. Pauper ego et egenus,
Sum obscenis meis plenus,
Natum tuum irritavi,
In quem graviter peccavi.

23. Hunc tu mihi pacifica,
O mater Dei unica,
Hoc te posse impetrare
Nemo debet dubitare.

24. O praeclara stella maris,
Quae cum Deo gloriaris,
Me ad portum fac venire,
Nunquam sinas me perire.

25. O Maria, lumen vitae,
Mihi, quaeso, imperti te,
Servum iustifica tuum
In peccatis mortuum.

26. O Maria, flos virginum,
Ora pro me Dominum,
Ut ad caeli palatia
Perveniam te praevia.

27. Ubi miser et sordidus
Possim esse et ultimus
Laudansque Deum deorum
Per saecula saeculorum.

Scala caeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. — 2, 2 salutatio. — 4, 2 fehlt eine Silbe; lies et dulcior? — 7, 4 ebenso; lies Atque clementer? — 9, 4 ebenso; lies salutatio oder gratulatio? — 12, 2 ebenso. — 25, 4 ebenso; lies emortuum? — 27, 2 Lies: vel ultimus?

11. De beata Maria V.

Ave, Christi mater, ave,
Ave, mundum mundans a vae,
Patris parens et conclave,
Mella caeli stillans fave,
Servos fovens servis fave,
Ut in hora sortis pravae
Nobis lapsis hic tam prave
Vindex iure rex ignave
Te rogante ipsa nave
Dicat gratia tunc ave,
Verbum bonum et suave.
Ave, Iesu, mater ave.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 10. gratia tua. — Nach Vers 11 Iesu Christi miserere. — 12. Iesu Maria Ave. — Nach Vers 12 Amen, ave, amen, ave.

12. De beata Maria V.

1. Ave, Dei genetrix
et immaculata,
Virgo, caeli gaudium,
toti mundo nata,
Ad salutem omnibus
in exemplum data,
Dignare me laudare te,
o virgo sacrata.

2. Reple cordis intima
spiritu sacrato,
Ut corpus et anima,
lingua cum palato
Laudi sint comparia
dignae tuo nato,
Qui per te conumeret
gregi nos beato.

3. Benedictus Dominus
sit, qui te creavit
Et in matris utero
te sanctificavit
Et beata viscera
tua inhabitavit
Atque in caelestibus
te glorificavit.

4. Maria, cum filius
sit suavitas et vita,
Ad eius delicias,
pia, nos invita,
Sua nobis mansio
per te fiat scita,
In qua ipsa requies
consistat munita.

5. Omnes morbos animae,
caelica regina,
Sanet, curet, auferat
tua medicina,
Ut quando progredimur
de mundi sentina,
Nos in caelo collocet
dextera divina.

6. Cuius celsitudinem
proni supplicamus,
Ut poenas et laqueos
mortis evadamus
Ac tuis obsequiis
sic nos innectamus,
Ut per te caelestia
regna conscendamus.

7. Virgo, sancta trinitas
fecit mansionem
Tecum, praebens gloriae
praegustationem,
Et virtutum omnium
dat perfectionem,
Matrem Christi faciens
per electionem.

8. Benedicta, benedic
te benedicentes,
Fac in tuis laudibus
sint proficientes,
Affice dulcedine
tua nostras mentes
Ut in tuis laudibus
semper sint ferventes.

9. Honor tibi semper sit
virginum reginae,
Quae in aula caelica
regnas sine fine,
Prece tua subveni
genti peregrinae,
Ne in fine saeculi
pateat ruinae.

10. O flos pudicitiae,
mater pietatis,
Sidus castimoniae,
dos virginitatis,
Plenitudo gratiae
forma aequitatis,
Exordium laetitiae,
hortus voluptatis.

11. Arcanis dominicis
virgo tota plena,
Exstirpatis vitiis
intus nos serena,
Ut nostrorum scelerum
hic indulta poena
Nos caelestis patriae
ducas in amoena.

12. Nato nunc virgineo
cordibus intensis
Assistamus iugiter
et manibus extensis
Resonemus labiis
nostris in condensis
Actionis gratiae
pro donis impensis.

Orat. ms. Tegurinum anni 1467. Clm. Monacen. 19991. — Die 1. und 8. Strophe ist dem Glossenliede gleichen Anfangs, Annal. XXX, 274, entnommen, Str. 7 unter Anlehnung an dasselbe zusammengekommen.

13. De beata Maria V.

1. Ave dic ad virginem,
Genetricem gratiae,
Salutis dulcedinem,
Fontem patientiae.

2. Haec est aula regia,
Regina prudentiae,
Virgo plena gratia,
Aurora laetitiae.

3. Haec est melle dulcior,
Castitatis lilium,
Iaspide splendidior,
Gaudii solacium.

4. O fons admirabilis,
Fidei principium,
Mater amicabilis,
Vas odoris pretium.

5. Tu es regis speciosi
Mater honestissima,
Odor nardi pretiosi,
Rosa suavissima.

6. Arbor vitae, digna laude,
Stella fulgentissima,
Generosa mater, gaude,
Virginum sanctissima.

7. Tu es via peccatorum,
Regina consilii,
Quae concepit florem florum,
Christum, fontem gaudii.

8. Virga Iesse, lux sanctorum,
Donatrix auxilii,
Memor esto miserorum
In die iudicii.

9. Tu es mundi gaudium,
Caritatis regula,
Tu chorus caelestium,
Aromatum virgula.

10. Sit tibi, flos omnium,
Virgo sine macula,
Honor et imperium
Per omnia saecula.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 5, 1 regis sponsi.

14. De beata Maria V.

R° Ave, dulcis, ave pia,
Plena gratia Maria.

1. Ab aeterno praeparata,
Verbi Dei mater grata,
Per prophetas nuntiata,
Caeli ianua, Maria.

2. Benedicta praedicaris,
Antequam concipiaris,
Utero sanctificaris
Annae matris, o Maria.

3. Caelibatus honestatis,
Habitus humilitatis
Deo placent maiestatis
Super omnes in Maria.

4. Defert angelus suave
Deo missum illud Ave,
Per quod Evae iugum grave
Relaxatur in Maria.

5. Erubescat nunc natura,
Fit creator creatura,
Vili mensus sub mensura
Homo Deus de Maria.

6. Gestat sinus virginalis,
Quem non capit mundialis,
Non est unquam factus talis
Nisi tantum in Maria.

7. Hora partus imminente
Omni lege stupescente
Virgo parit remanente
Semper virgine Maria.

8. In praesepe collocatur
Et in caelis adoratur,
Cum iuentis socimatur
Deus natus de Maria.

9. Kanit chorus angelorum
Super vigilias pastorum,
Natum nuntiant decorum
Iesum Christum de Maria.

10. Letum mundi terminantem,
Lavat crimina lavantem,
Gestat vulnus sagittantem
Beatissima Maria.

11. Mater natum contrectabat
De eoque non dubitabat,
Quidquid mente cogitabat,
Semper Deus cum Maria.

12. Nam cum Deus occurrebat
Mente praesens et vigebat,
Quam perscire . . flebat
Impensando de Maria.

13. O dulcedo singularis,
Quae tu, virgo, si membraris
Deo nato, virginalis
Fuit osculum Maria.

14. Paret legi legislator
Circumcisus ut peccator,
Deus sit propitiator,
Deus noster, o Maria.

15. Quaerunt reges regem natum
Stella duce revelatum,
Muneratum, adoratum
In aeternum cum Maria.

16. Rite ergo expiatur,
Cum in templo praesentatur,
Simeon congratulatur
De promisso cum Maria.

17. Simeon munus praesentatur,
Verbum perfectum inspiratur,
Minime hoc est relatum
Contingenter, o Maria.

18. Transit puer in Aegyptum,
Per angelum ut est dictum,
Filiumque benedictum
Defert Ioseph cum Maria.

19. Ubi venit rex deorum,
Canit turba angelorum,
Cadit ritus Iudaeorum
Coram nato de Maria.

20. Xristus redit iam defunctis,
Qui quaerebant cunctis
. . . . . .
. . . . . .

21. Yesus via est et vita,
Salus, virtus infinita,
Per quem nunc sit exaudita
Nostra laus de Maria.

22. Zelus tuae pietatis
Et purgatos a peccatis
Nos conducat cum beatis
Suppliciter, o Maria.

Orat. ms. Italicum saec. 15. Cod. S. Ignatii Londinen. s. n. A. — Str. 1—5 auch auf einem Vorsetzblatte einer Hs. saec. 14., wovon ich Abschrift Herrn Petit von der Bibliothèque de Bourgogne verdanke. B. — 1, 2 Caeli Dei mater A; Dei verbo mater B. — 2, 4 Verbum caro de(o) Maria A. — 3, 2 habitum A. — 4, 3 iugum pravae B. — 5, 3 Fit immensus sub mensura B. — Nach Str. 5 ist eine Str. (F) ausgefallen. — 3, 2 habitum A. — 10, 1 Leta mundi A. — 12, 3 fehlen zwei Silben: in der Handschrift ist eine Lücke gelassen. Ergänze mori? Lies praescire? — Str. 13 verdorben. — 14, 1 Parit, legi fehlt A. — 14, 2 ut a peccata A.

15. De beata Maria V.

1. Ave, laetitia, Ioachim dulcedo, Maria,
Vitae munditia, caelesti plena sophia,
Eiciens vitia largire charismata dia.

2. Murus honestatis, thalamus summae deitatis,
Aura voluptatis, tellus promissa beatis,
Regula recta ratis, virguncula florida satis,
Infula praelatis, stola candida sanctificatis,
Ablue peccatis infectos, fons pietatis.

3. Gemma salutatis, spes nostra, Sion specularis
Regina solaris et regni clavicularis,
Aula puellaris et aperta scientia gnaris,
Tu decor altaris, puteis tu dulcor amaris,
Ianua templaris, quae clausa Deo generaris,
Aurea stella maris, placa mare, cui dominaris.

4. Pura Dei matrix, ovis amissae miseratrix,
Lampadis ornatrix, decimae drachmae cumulatrix,
Enoch servatrix et Eliae, Iob relevatrix,
Nostra reformatrix, Domini Sabaoth mediatrix,
Assis, mundatrix animae, mundi reparatrix.

5. Dux gregis aetheri, gaza solis, stella diei,
Olla lebesque spei, speculum nostrae faciei,
Munda farina Dei sine fermento pharisaei,
Iusta medela rei, portus nostrae requiei,
Norma sacrae fidei, damnas haeresin Manichaei,
Urna capax olei, flos egregie Nazaraei,
S . . . . . .

6. Tellus fecunda, sacri baptismatis unda,
Egregia, facunda, rosa mundi, rosa munda
Cumque gemebunda sustinens et sanguinis unda
U . . . . . .
Mundos circumda maculosaque pectora munda.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. 14/15. — 6, 2 mundi tu rosa munda. — 6, 3 verdorben. — Nach Ausweis des Acrostichons: Ave Maria, gratia plena, Dominu[s] tec[u]m wohl unvollständig.

16. De beata Maria V.

1. Ave, lumen gratiae,
Fons misericordiae,
Virgo fecundata,
Radix pudicitiae,
Spes aeternae gloriae,
Regina beata.

2. Ave, venerabilis,
Mater admirabilis,
Per quam lux est orta,
Flos incomparabilis,
Splendor ineffabilis,
Felix caeli porta.

3. Ave, novum gaudium,
Salutis exordium,
Lumen veritatis,
Caeli luminarium,
Languoris remedium,
Forma sanctitatis.

4. Ave, lucis speculum,
Christi tabernaculum,
Virgo benedicta,
Quae salvasti populum
Pariendo parvulum,
Per quem mors est vieta.

5. Ave, ros dulcedinis,
Nitor, pulchritudinis,
Rosa sine spina,
Via rectitudinis,
Turris fortitudinis,
Vitae medicina.

6. Ave, spes fidelium,
Castitatis lilium,
Victoriae palma,
Spiritus sacrarium,
Dulce refrigerium,
Dei mater alma.

7. Ave, beatissima,
Magna, maior, maxima,
Praelata caelorum,
Virgo clementissima,
Gemma fulgentissima,
Vera lux sanctorum.

8. Ave, stella fulgida,
Virga Iesse florida,
Radix virtuosa,
Cuncta sanans morbida,
Labe carens sordida,
Mater generosa.

9. Ave, summa domina,
Quae desuper agmina
Caeli sublimaris,
Cor meum illumina
Et ab hostis machina
Semper tuearis.

10. Ave, o puerpera,
Surge, veni, propera,
Tua sancta prece
Mea dele scelera
Ac me prorsus libera.
De peccati faece.

11. Ave, hospes animae,
Mihi, precor intime,
Iter para tutum,
Hostis fraudes reprime
Et peccata dirime,
Domina virtutum.

12. Ave, salus omnium
Dulceque solacium,
Pro me semper ora
Et post hoc exsilium
Apud tuum filium
Veniam implora.

13. Ave, meque visita
Atque sursum excita,
Dulcis mater Dei,
Pietate solita
Pro me natum rogita,
Semper memor mei.

14. Meisque reatibus
Tuis parcat precibus
Auctor pietatis
Ac mundatis sordibus
Mihi det cum civibus
Vivere beatis.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. 14/15. A. — Brev. Arremarense saec. 15. Cod. Parisin. 1063. B. — Orat. ms. Cluniacense saec. 15. Cod. Parisin. Couv. acq. 333. C. — Orat. ms. Caelestinorum saec. 15. Cod. Parisin. 18571. D. — 1, 4 Radix innocentiae BC. — 1, 5 Sedes sapientiae BC. — 1, 6 Mater illibata C. — Str. 2 u. 3 umgestellt B, Str. 3 steht an achter Stelle C. — 3, 3 Forma sanctitatis C. — 3, 4 Divinum sacrarium C. — 3, 6 Hortus voluptatis C. — 4, 1 salutis speculum A. — 4, 5 Pariendo filium A. — 4, 6 Per quem est vita A. — 5, 2 Iter pulchritudinis A. — 5, 6 Stella matutina C. — 6, 1 Ave salus omnium C. — 6, 2 Spes ad te clamantium C. — 6, 4 Caeleste sacrarium B; Castitatis lilium C. — 6, 5 refugium B. — Nach Str. 6 schiebt C ein:

Ave, morum regula,
Omni carens macula,
Vitae reparatrix,
Florens Iesse virgula,
Solve culpae vincula,
Mundi consolatrix.

Str. 7 fehlt C. — 7, 3 Praeclara A. — Nach Str. 7 schaltet C ein:

Ave, flos munditiae,
Regina clementiae,
Vinculum amoris,
Vitis abundantiae,
Portus indulgentiae,
Mater redemptoris.

Str. 8 fehlt C. — 8, 5 Carens labe B. — 8, 6 Virgo generosa B. — 9, 1 O praecellens domina BCD. — 9, 5 Et sordes elimina C. — 9, 6 Virgo singularis C. — 10, 1 O felix puerpera BCD. — 10, 2 Me iuvare propera C. — 10, 4 Mea terge vulnera C. — 11, 1—3 und 4—6 umgestellt BCD. — 11, 1 Dulcis spes animae B; Dulcis hospes CD. — 11, 4 comprime BC. — 11, 2 Peccataque C. — Str. 12 fehlt C. — 12, 1 O verum solacium B O; dulce solatium C. — 12, 2 Virgo salus omnium BC. — 12, 5 Apud mitem filium B. — 13, 1 Eia me visita BCD. — 13, 4 Pro me Christum rogita B; Ipsum pro me exora B, rogita C. — 13, 5 Pietate solita B; Mundi salus inclita D. — 14, 1 Ut meis reatibus BCD. — 14, 3 Ductor A, Actor B, Victor C. — 14, 4 Mundatisque C; Ut mundatis B.

17. De beata Maria V.

1. Ave, magni patris agni
Parens benignissima,
Per quam cessit, quae nos pressit,
Mors inferni pessima.

2. Vae mutasti, nam fugasti
Evae matrimonium,
Dum portasti et lactasti
Summi patris filium.

3. Emendare me dignare
Tuum per auxilium,
Quae cum magis ipsis magis
Tuum oras filium.

4. Mente prona tu, matrona,
Repraesentas filium
Ulnis senis, virgo lenis,
In templi sacrarium.

5. Adiuvare me dignare
Nunc in hoc corpusculo,
Mater Christi, quem vidisti
Adfixum patibulo.

6. Reginarum flos cunctarum,
Vides natum, filia,
Resurgentem ac pergentem
Ad caeli palatia.

7. Illum vere nos videre
Per te fac in aethera,
Qui nos lavit et sanavit
Per tormenti vulnera.

8. Adiutorem, redemptorem,
Ora natum inclitum
Me mundari et salvari
Suum per paraclitum.

9. Generosa fulgens rosa,
Terge, quaeso, vitium,
Ne districtum per delictum
Sentiam iudicium.

10. Rosa florum, fons hortorum,
Hinc de carnis cellula
Praeter aequum fac ut mecum
Nulla pergat macula.

11. Alma Dei mater, mei
Ita curam habeas,
Ut post mortem me consortem
Beatorum facias.

12. Castitatis, pietatis
Virtutisque lilium,
Tribulatis, naufragatis
Confer adiutorium.

13. Increatum tuum natum
Tuo nunc precamine
Fac placatum, ne iratum
Cernam in examine.

14. Adiutricem te felicem
Nunc habere merear,
Cum damnatis pro peccatis
Ne a vita delear.

15. Plena bonis atque donis,
Vernans inter lilia,
Contemplaris, amplexaris
Gubernantem omnia.

16. Legem doce, per quam voce
Moribusque prosequar
Tuam laudem, fac et fraudem
Semper hostis persequar.

17. Eia, decus mundi, caecus
Per quam lumen recipit,
Fac, sim purus ac securus
Ab hoste, qui decipit.

18. Ne malorum vel reorum
Tormentis afficiar,
Per te piam nunc ad viam
Veritatis erigar.

19. Ac in usum vitae fusum
Per cruorem Domini
Me conforma, vitae forma,
Vitae, precor, ordini.

20. Dei parens sorde carens,
Mihi, rosa virginum,
Sis tutela contra tela
Venenosa daemonum.

21. O flos florum, vitiorum
Cunctam terge maculam,
Mater regis, omnis legis
Meque doce regulam.

22. Mundi rosa, plus formosa
Cunctis caeli civibus,
Fac, te deam digne queam
Venerari laudibus.

23. Ierusalem nata, talem
Genuisti filium,
Quo captivi redivivi
Evadunt supplicium.

24. Nunc in pugna pro me pugna
Hostis rumpens caveas,
Bello forti, quaeso, morti
Ne succumbam, caveas.

25. Virgo casta, semper asta
Mihi nunc auxilio,
Stella maris, mater maris
Ignara consortio.

26. Sanctitatis, deitatis
Gloriosa cellula,
Me dignare te laudare
Per aeterna saecula.

27. Tu per prolem pelle molem
Pravae consuetudinis
In me sitam daque tritam
Viam rectitudinis.

28. Et me grato te cum nato
Cultu fac exquirere,
Saevientes me quaerentes,
Semper hostes vincere.

29. Caeli rosa speciosa,
Per te me custodiat
Caeli princeps ac deinceps
Me a malis eruat.

30. Ut venenum me terrenum
Fac amorem spernere
Ac secura sorde pura
Christum vita cernere.

31. Mater Christi, quem pavisti
Inter tua brachia,
Contemplaris, stella maris,
Regem nunc in gloria.

32. Benedicta, quae amicta
Es virtutum floribus,
Tu spes reis, precor, meis
Succurre doloribus.

33. Eternorum fac bonorum,
Quaeso, me participem,
Quae supernum et aeternum
Genuisti principem.

34. Nata ducis, tu perducis
De terrena patria
Tibi notos ac devotos
Ad caelorum atria.

35. Equitatis, sanctitatis
Confer abundantiam,
Qua collata, virgo grata,
Da perseverantiam.

36. Da timentem mihi mentem
Et amantem Dominum,
Paenitentem ac deflentem
Pravitatem criminum.

37. Inter fluctus atque luctus
Praesentis exsilii
Nunquam sinas me per spinas
Interire vitii.

38. Casta, pia nunc in via
Per te fac ut habeam
Fidem rectam, spem perfectam,
Caritatem igneam.

39. Tu decora, precor, ora,
Ut det mihi filius
Finem bonum, quod est donum
Omni dono melius.

40. Ave, nata Deo grata,
Per te turis virgulam
Me virtutis et salutis
Fac implere regulam.

41. Tu, benigna, Deo digna,
Fac, ut bonis fulciar,
Precor, meo, da, ne Deo
Per tonsuram mentiar.

42. Vas pudoris et honoris,
Tua me clementia
Sic praecedat, ne me laedat
Hostis insolentia.

43. Inter bella pro me bella
Carnis immunditiae
Versus castra, tu me castra
Ferro pudicitiae.

44. Ne subtiles nunc hostiles
Incidam in foveas,
Meos gressus ad congressus
Pugnae rege, foveas.

45. Meis dona, virgo bona,
Pacem debitoribus,
Caritate bonis a te
Ornentur et moribus.

46. Virgo pura, me sub cura
Tui nunc regiminis
Fac benignum, Christi dignum
Corporis et sanguinis.

47. Larga mater, tibi pater
Doni plenitudinem
Procuravit, cum sanavit
Per te primum hominem.

48. Iacta, quaeso, mihi laeso
Partem plenitudinis,
Ne inferno in aeterno
Laedar vento turbinis.

49. Exstirpare tu dignare,
Mater veri luminis,
Nati dextra intus, extra
Sordem mei criminis.

50. Rex elegit te, qui regit
Supernorum agmina,
Cum quo gaudes, cui laudes
Promis atque carmina.

51. Iucundare, quae portare
Meruisti Dominum,
Qui sanavit et salvavit
Per te genus hominum.

52. Beata es millesies,
Plus quam dici valeat.
Natum ora, ut in hora
Mei curam habeat.

53. Virgo, dona, nunc ut bona
Seminare satagam,
Virga Iesse, ut in messe
Cum electis colligam.

54. Spiritalem nuptialem
Vestem da per filium,
Ne seducar vel perducar
Mortis ad exsilium.

55. Et, flos verni, ut interni
Fruar dono gaudii,
Purga mentem, tolle dentem
Furoris et odii.

56. Temporali, corporali
Me nunc poena corripe,
Virgo lenis, sed a poenis
Me post mortem eripe.

57. Benedicta, tu invicta,
Tu es sanctis sanctior.
Lux divina, ut cedrina
Cunctis arbor altior.

58. Estivalis et vernalis
Tu lucis amoenitas.
Pulchra florum, decus morum,
Tu virtutum claritas.

59. Nunc fac recto et perfecto
Incedamus tramite,
Ut ad chorum supernorum
Te ducamur comite.

60. Evae luctus pellit fructus
Tui ventris, domina,
Dum per crucem mundo lucem
Dat lavando crimina.

61. Deviare vel errare
Me non sinas, filia,
Ne supernae et aeternae
Priver vitae gloria.

62. Impraegnaris, verum paris
Deum necnon hominem,
Qui in caelo dulci zelo
Te coronat virginem.

63. Castitatis, sanctitatis
Et virtutum filia,
Lumen clarum tu sanctarum
Et sanctorum gloria.

64. Tua lege sic me rege
In hac vita positum,
Vas decoris, ut furoris
Evadam interitum.

65. Vas insigne, tibi digne
Semper Ave canitur,
Quia solis tuae prolis
Poenis poena solvitur.

66. Sancta, casta, tu devasta
Hostis fraudulentiam,
Lux superna, me guberna
Tuam per clementiam.

67. Fructuosa, generosa
Virgo, mater Domini,
Me nunc totum fac devotum
Tuo sancto nomini.

68. Reformatrix, vitae datrix,
Fac me sic praesentibus
Uti bonis, ut non donis
Priver aeternalibus.

69. Veritatem, puritatem
Omnemque iustitiam
Ad quaerendam et implendam
Fac ut semper sitiam.

70. Cunctis bona nunc matrona,
Errantem me corrige,
Ad rectorum iter morum
Gressus meos dirige.

71. Terrenorum me bonorum
Purga desiderio
Et cor meum fac sit plenum
Spiritali gaudio.

72. V . . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

73. Sanctissima, piissima,
Omni plena gratia
Et formosa plus quam rosa,
Confer vitae spatia.

74. Vere, nata, coronata
Coram nato rutilas,
Mater laeta, sine meta
Nunc in throno iubilas.

75. Emendentur et salventur
Tuo nunc iuvamine,
Qui adorant et honorant
Te psalmorum carmine.

76. Nunc, matrona, largas dona
Mihi, quaeso, lacrimas,
Quarum unda sordes munda
Peccatorum pessimas.

77. Temporalem et carnalem
Pelle curam caelitus
Per amorem et fervorem
Doni sancti spiritus.

78. Rex caelorum angelorum
Super omnem ordinem
Exaltavit, honoravit
Te decoram virginem.

79. In hac vita, fac, ut ita
Cuncto vivam tempore,
Ut finita caelos trita
Possim via scandere.

80. Sis lapsorum sauciorum
Salutaris medica,
Quae in throno nati dono
Cantas caeli cantica.

81. Tu serena, Deo plena,
Noli me deserere,
Hic sis mecum meque tecum
Fac in aevum vivere.

82. Vas dulcoris, fons honoris,
Tu praecellis gloria
Omnes rectos et electos
In caelesti curia.

83. Impetrare tu dignare
Mihi, precor, omnia,
Quae petivi, Dei vivi
Mater atque filia.

84. Trinitati, unitati
Laudis sit memoria
Et Mariae, matri piae,
Fine carens gloria.

Orat. ms. S. Mariae ad Scotos anni 1410. Cod. Scotor. Vindobon. 54 h 8. — 2, 1 Te mutasti gegen das Acrostichon. — 3, 4 Tamen oras. — 16, 1 Regem doce per quem. — 53, 1 et bona. — 55, 1 et interni. — 64, 3 et furoris.

18. De beata Maria V.

1. Ave, maris stella clara,
Praeelecta patris cara,
Almi sponsa spiritus.

2. Ave, mater summi regis,
Miserere tui gregis.
Nato reconcilia,
Ave, splendor prophetarum,
Regina patriarcharum.
Angelorum domina.

3. Evangelistarum doctrix
Et apostolorum ductrix,
Confortatrix martyrum,
Plenitudo confessorum,
Solamen universorum
Et corona virginum.

4. Ave, virgo, decus mundi,
Pelle dolos furibundi,
Mater invictissima,
Patriarcharum filia,
Odore vincens lilia,
Aurora pulcherrima.

5. Egressa stirpe regia
De David egregia,
Puella nobilissima,
Concepta sine macula,
Serpentis fugas iacula,
Era potentissima.

6. Ave, virgo, mater Christi,
Solo verbo concepisti,
Sponsa praeclarissima,
Deum verum genuisti,
Quem sincere nutrivisti,
Parens sacratissima.

7. Sola nam es verbigena,
Manna caeli urna plena,
O speciosissima,
Gaude, virgo gratiosa,
Mater prole generosa,
Radix fecundissima.

8. Sola tu fuisti digna,
Dei filium, benigna,
Gestare, electissima.
Conclave tu trinitatis
Cellulaque deitatis,
Virtutum plenissima.

9. Porta clausa, fons hortorum,
Restauratrix perditorum,
Mater benignissima,
Tu caelestis paradisus
Libanusque non incisus,
Virgo clementissima.

10. Hortus es vere conclusus,
Incombustus Mosis rubus,
Genetrix dulcissima,
Fons uberrimus signatus
Flaminique sancto gratus,
Maria purissima.

11. Tu flos campi convallium
Et singulare lilium,
Virgo serenissima,
Viventis aquae puteus,
Circulus solis aureus,
Regina clarissima.

12. Tu thronus es Salomonis,
Te collaudat sexus omnis,
O gloriosissima,
Tu convallis es humilis,
Es terra non arabilis,
Maria castissima.

13. O virga Iesse florida
Et porta lucis fulgida,
Stella lucidissima,
Tu sol luna lucidior,
Maria [cunctis] dignior
Et pretiosissima.

14. O virgo caelis altior,
Omnibus stellis clarior,
Mater ornatissima,
Abysso tu profundior
Sanctisque cunctis sanctior,
Maria sanctissima.

15. Laudem praefers singularem,
Nec in caelis habes parem,
Virgo spectatissima,
Gloria humani generis,
Purgatrix omnis sceleris,
O matrona altissima.

16. Tu maestorum consolatrix
Lapsorumque relevatrix,
Spes nostra suavissima,
O Christi mater, ave,
Dele nostrum crimen grave,
Misericordissima.

17. Accipe melos hoc suave,
Precanti veniam fave,
Domina piisima,
Ave, Dominus est tecum,
In adversis tu sis mecum,
O benedictissima.

18. Ave, paradisi porta,
In exsilio conforta
Nos lapsos, mitissima,
Esto, mater illibata,
Miserorum advocata,
Virgo prudentissima.

19. Assistentes tuae laudi
Propitia nos exaudi,
Maria dignissima,
In hac tu necessitate
Rigidaque tempestate
Iuva, dilectissima.

20. Ne Simonis navicula
Et filii tunicula
Scindantur, carissima,
Ac haereses interime
Haec schismataque reprime,
O mater suavissima;
Tunc impetra, quod gaudia
Possideamus caelica,
Maria largissima.

Cod. S. Floriani (ol. Wiblingen.) XI 210. anni 1578. — 4, 4 Patriarchae Abrahae filia. — 12, 4 et humilis. — 15, 4 Eine Silbe zu viel; lies: Gloria nostri generis? — 16, 4 Eine Silbe zu wenig; lies: Iesu Christi mater? — 20, 3 Scindebantur. — Nach 20, 4 sq. ist das Lied aus der Zeit des Papstschismas.

19. De beata Maria V.

I.

1. Ave, maris stella,
Verbi Dei cella,
Veri solis aditus,
Maris aufer bella,
Sopita procella
Da securos transitus.

2. Inter tot flagella,
Lux semper novella,
Fer opem divinitus,
Pro nobis compella,
Mitis ut agnella,
Missum agnum caelitus.

3. Naufragis tabella.
Manna dans capsella.
Templum sancti spiritus,
Virtutum castella,
Bases, capitella
Tenes in te penitus.

4. Virgula tenella,
Permanens puella
Post partum et primitus,
Sacra per labella
Natum interpella
Pro nobis medullitus.

5. Tu pro nobis bella
Potenter debella,
Malignorum fremitus,
Plue pacis mella,
Fac pedum scabella
Pulsos hostes funditus.

6. Tuos nos appella,
Tua sub ascella
Muni nostros obitus:
Ave, maris stella,
Sed prae stellis bella
Per caelorum ambitus.

II.

1. Ave, stella maris,
Virgo singularis,
Flos et forma virginum,
A Deo donaris,
Esse comprobaris
Vera salus hominum.

2. Se pro suis caris
Lapis angularis
Mons infudit culminum
Sedibus praeclaris
Ventri puellaris
Velut imbrem graminum.

3. Concipis et paris
Sine tactu maris
Regem fortitudinum,
A quo tu crearis,
Quae ipsa miraris
Florem pulchritudinum.

4. Regina vocaris,
Gemma declararis
Supernorum ordinum,
Ubique laudaris,
Splendor praedicaris
Beatorum agminum.

5. Aurora solaris,
Aura salutaris,
Noctem pelle criminum,
Quotiens rogaris,
Ut miserearis,
Ne exspectes crastinum.

6. Pravis et ignaris
Et in bono raris
Prece placa Dominum,
Gratia ditaris,
Ut exaudiaris
Iuxta morem pristinum.

7. Lampas specularis
Summi luminaris,
Vena fontis luminum,
Fac, ut tuearis
A poenis amaris
Vitae nostrae terminum.

8. Quibus memoraris,
Fac, ut videaris
In regno dulcedinum,
Ave, stella maris
Et prae stellis claris
Iubar claritudinum.

III.

1. Stella maris, ave,
Germen tam suave
De Iesse progrediens,
Sed plebis ignavae
De felle spinave
Nil omnino capiens.

2. Evae damnum rave
Restaurans per ave,
Luctum Evae nesciens,
At intra conclave
Tam iucundum ave
Gabrielis audiens.

3. O mellite fave,
Vigor semper gnave,
Virtus indeficiens,
Tuae precis clave,
Ne nos laedat, cave,
Leo nequam rugiens.

4. Mentis nostrae pravae
Iugum rumpe grave,
Nos ab hoste muniens,
Viae dux et clave,
Destrue fugave
Saevientem totiens.

5. Mater Christi, fave,
Sis nobis pro ave
Miseris compatiens,
Et quos premit, ha, vae
Pondus insuave
Liberes adveniens.

6. Corda nostra lave,
Nos ut salvet a vae
Patri compar oriens,
Stella maris, ave,
Tibi semper ave
Super omne quotiens.

Cod. Trecen. (ol. Claraevallen.) 990. saec. 12. add. saec. 12/13.

20. Ad beatam Mariam V.

1. Ave, mater et virgo virginum,
Ave, rosa et candens lilium,
Ave, spes et solamen miserorum,
Ave, gemma dulcedoque bonorum.

2. O regina, caeli imbuta nectare,
O imperatrix siderum et caelestis curiae,
O Maria, summi regis filia,
O speciosissima et vellus madens area.

3. Ave, cella septiformis spiritus,
Ave, parens electa divinitus,
Ave, rectrix et regina,
Virga florens, tu piscina,
Quam commovit spiritus.

4. Omni laude virgo digna,
Nos reforma, tu benigna,
Maris unda fluctuantes,
Paene mersos, sed laudantes
Te, quae nulla laude cares
Et laudari nulli vales,
Quem mortalis pungit spina,
Nam perfudit te divina
Virtus sua gratia.

Clm. Monacen. 24804. saec. 15.

21. Ad beatam Mariam V.

Ave, mater gloriosa,
Sponsa regis speciosa
Et de partu gaudiosa,
Quae es virgo virtuosa,

Benedicta, pretiosa,
Super omnes gratiosa,
Virgo Iesse generosa,
Pulchra nimis et formosa,
Humilium mitissima,
Sublimium altissima,
Simplicium purissima,
Prudentium doctissima
Et omnium beatissima,
Sis mihi reo benignissima
Miseroque piissima,
Egenti dulcissima,
Petenti gratissima,
Angelorum imperatrix.

Orat. ms. Metense saec. 15. Cod. Meten. 570.

22. De beata Maria V.

1. Ave, mater sine labe,
Nostrum melos gratum habe,
Quamvis sit insipidum,
Nos informa pacis lege,
Mores orna, linguam rege,
Cor accende tepidum.

2. Quamvis sumus peccatores,
Tui sumus laudatores,
Cuius dulce gremium
Nos astringit, nos demulcet,
Ne nos perdat, nos conculcet
Fraus subtilis hostium.

3. Per te enim, quam laudamus,
Ut in luce maneamus,
In spe veri gaudii,
Datur nobis munus gratum.
Munus vere delicatum
Divini susurrii.

4. Tu es lima vetustatum,
Scaturigo novitatum,
Oliva pinguedinis,
Hic elimans nostras mentes,
Ut pinguescant non habentes
In se naevum criminis.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 2, 5 Ne fehlt.

23. De beata Maria V.

1. Ave, mater verbi pia,
Virgo dulcis, o Maria,
Mundum ornans verbo tali,
Caelum flore virginali.

2. Ergo triplex hierarchia
Suavi laudat harmonia
Miris te praelatam donis
Cunctis angelorum thronis.

3. Laudo tuum cor sincerum,
Quod sincera fide plenum
Credidit, hoc posse Deum,
Quod excedit nosse meum.

4. Unde rogo, mater mea,
Tu cor mundum in me crea,
Fac habere fidem rectam
Caritatemque perfectam.

5. Laudo ventrem gloriosum,
Qui thesaurum pretiosum,
Praeclarum munimine,
Miro clausit ordine.

6. Haec me beata pondera,
O genetrix christifera,
Fac amore sedulo
Ferre cordis vasculo.

7. Tuum collaudo spiritum,
Qui per dulcem paraclitum
Novo gaudet tripudio
Tuo dilecto filio.

8. Unde, mater laetitiae,
Perfunde risu gloriae
Flentes in hoc exsilio
Tuo felici gaudio.

9. O beati oculi,
Quibus lucem saeculi
Meruisti cernere
Tuo tectam vellere.

10. Ergo, mundi domina,
Meum cor illumina,
Ut in Iesu faciem
Totam figat aciem.

11. Ulnas laudo venerandas
Atque manus adorandas,
Quae gestant Iesum parvulum,
Verbum tractant infantulum.

12. Ipsum, rogo, nutrix pia,
Mihi confer in hac via
Complecti mentaliter,
Tractare fideliter.

13. Os collaudo tenerum,
Quod praedulcem puerum
Osculatur saepius
Et adfatur dulcius.

14. Unde peto, mater Dei,
Puer Iesus cordis mei
Thesaurum possideat,
Et os laude repleat.

15. Laudo beata ubera,
Quibus virgo puerpera
Vagiente Iesulo
Fundis lac puerulo.

16. Ergo precor, o regina,
Te precanti tu propina
Lacrimarum rivulos,
Riga mentis oculos.

17. Aures laudo virginales,
Quibus voces doctrinales
Christi, mater, audiebas
Et in corde conferebas.

18. Ipsas aures nunc inclina,
Virgo, meis precibus,
Tua prece vox divina
Meis sonet auribus.

19. Vultu te laudo virginem,
Ad tuam pulchritudinem
Solis stupescit radius,
Patris occurit filius.

20. Per hunc aspectum floridum
Vultum mentis fac lucidum
In castitatis lilio
Et intellectus radio.

21. Pedes laudo sanctitatis,
Qui fervore caritatis
Agnum sequuntur caelicum,
Novum canentem canticum.

22. Hinc, quaeso, mater virtutis,
Nos columna tuae lucis
Duc per viam iustitiae
Ad statum dulcis patriae.

Orat. ms. Carth. Hildesheimen. saec. 15. Cod. Iosephini Hildesheimen. 3(6). A. — Orat. ms. Carth. Erfordien. saec. 15. (Privatbesitz). B. — 2, 2 Sua laudat B. — 4, 4 Ac tu vivam et perfectam B. — 5, 3 Et praeclarum B. — 6, 2 O fehlt B. — 7, 4 In tuo A, Et tuo B. — 11, 3 Iesum gestant B. — 14, 4 Et os meum laude AB. — 15, 3 Vagiente parvulo B. — 15, 4 Lac fundis B. — 19, 1 In vultu te AB. — 22, 1 Unde quaeso AB. —

24. De beata Maria V.

1. Ave, mundi spes Maria,
Ave, mitis, ave, pia,
Ave, plena gratia,
Ave, virgo singularis,
Quae per rubum designaris
Non passum incendia.

2. Ave, rosa speciosa,
Virgo nimis generosa,
Ave, Iesse virgula,
Cuius benedictus fructus,
Iesus Christus, nostri luctus
Relaxavit vinculà.

3. Ave, cuius viscera
Contra mortis foedera
Ediderunt filium,
Ave, carens simili,
Mundo diu flebili
Reparasti gaudium.

4. Ave, virginum lucerna,
Per quam fulsit lux superna
His, quos umbra tenuit,
Ave, virgo, de qua nasci
Et de cuius lacte pasci
Rex caelorum voluit.

5. Ave, caeli luminarium,
Spiritus sancti sacrarium,
In te fulsit fecunditas;
O quantum mirabilis,
O quantum laudabilis
Est et haec virginitas.

6. Ave, sidus, lux dierum,
Mater lactans regem rerum,
Genitorem filia,
Ave, verbi sacra parens,
Per te mundus viget arens,
Per te datur venia.

7. Ave, verbi Dei cella,
Salva reos a procella
Mundi huius noxia;
Mundum pingis novo flore,
Florem paris miro more
Novi floris gratia.

8. Mater regis et regina,
De malorum nos sentina
Perduc ad caelestia;
Dele culpas, o Maria,
Per te nobis detur via
Ad aeterna gaudia.

Scala caeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. — 2, 4 Cuius fructus benedictus. — 5, 5 O fehlt. — Das Lied ist bearbeitet aus Teilen von Mone Nr. 518, 519 und 520.

25. De beata Maria V.

1. Ave, plena gratia,
Virgo singularis,
Vena fluens venia,
Dulcor in amaris,
Erue, propitia,
De profundo maris
Miseros, quos propria
Dextra tuearis.

2. Arce fraudes hostium,
Fraudis inimica,
Robur te querentium
Pacis et amica,
Imminentem terminum
Lucis tuae mica,
Absit lues sordium,
Sitque mens pudica.

3. Gratior prae ceteris,
Ferre Christum digna,
Reginarum praeteris
Cuncta laudum signa,
Ablue nos sceleris
Faece tu, benigna,
Cuiuscunque generis
Amove maligna.

4. In caelestis patriae
Sede stabilita,
Ad tuae clementiae
Fontem nos invita,
Potum nobis gloriae
Parans in hac vita,
Laus tibi laetitiae
Patet infinita.

5. Eia, sancti spiritus
Fecundata rore,
Nati tui caelitus
Reple nos amore,
Animusque concitus
Sit eius timore,
Diro quo sit penitus
Liber a furore.

6. O beata virginum
Mater et regina,
Morbos aufer criminum,
Vitae medicina,
Imminentem terminum —
Mortis es ruina —
Notum fac et Dominum
Pandere festina.

7. Valetudinarium
Languidis paratum,
Sanans aegrotantium
Morbum et reatum,
Tecum geris pretium
Pro salute datum,
Egris post remedium
Dans felicem statum.

8. Carens omni carie,
Nutrix Deo cara,
Vas misericordiae,
Datrix non amara,
Mater esto veniae,
Spes et lux praeclara,
Beataeque curiae
Nobis iter para.

9. Exsules ad proprium
Solum reduxisti
Nati per supplicium,
Passum quem vidisti,
Eius mortis gladium
Undique sensisti,
Demum hic in gaudium
Cuncta convertisti.

10. In te confitentibus
Fons auxiliorum,
Confer lumen cordibus
Honestatis morum,
Tuis tuens precibus
Agmina tuorum,
A te postulantibus
Dans regna caelorum.

11. Tu puella nobilis
Nimis et formosa,
Vitae venerabilis
Luce radiosa,
Iubar sine nubilis
Lustrans tenebrosa,
Nudo vestis habilis
Contege probrosa.

12. Mulierum omnium
Summa dignitate,
Vigor invocantium
Mentis illustratae,
Libera cor noxium
Culpae caecitate
Innuens consilium
Nitens veritate.

13. Ergo, felix condita
Mater es ancilla,
Rutilas ut edita
Flamma de scintilla,
In qua spes est posita
Mundi, tu es illa
Bona dans abscondita
In aede tranquilla.

14. Visita nos saepius
Compassiva cura,
Sensus ut sit sobrius
Actioque pura
Evitando cautius
Cuncta nocitura,
Teneas superius
Gaudia futura.

15. Benedictus uteri
Sacri tui fructus
Evae crimen conteri
Praestitit et luctus,
Ne mergantur posteri
In tam saevos fluctus,
Ex quo solet conqueri
Vir Adam seductus.

16. Dulci merce veniens
Navis onerata,
Imple cor esuriens
Prole per te data,
Cuius plebs concipiens —
Ergo tu laetata —
Tota vi perficiens
Caelica mandata.

17. Vitae de te promitur
Potus sitibundo,
Sitis ex quo tollitur
Universo mundo,
Faciamus igitur
Opere secundo,
Recte quod praecipitur
Pectore iucundo.

18. Veritatis tramitem
Famulis ostende,
Caritatis fomitem
Cordibus accende,
Te fac nostrum limitem
Rei peragendae
Viarumque comitem
Te nobis impende.

19. Scala tu perpetua
Et caelorum via,
Vitae patens ianua
Et legis sophia,
Elige melliflua,
Precum virgo pia,
Nos ad tua pascua,
Dulcis o Maria.

20. Turris o tutissima,
Tuos intuere.
R . . . . . .
. . . . . .
In dierum ultima
Curam nostri gere,
Saevos, o fortissima,
Hostes manu tere.

21. Tua sic nos regula
Regat ad certamen,
Ut post fracta vincula
Carnis et luctamen
In sublimi specula
Det nobis solamen.
Qui vivit in saecula
Saeculorum. Amen.

Cod. Parisin. 11343. saec. 15. — 9, 7 Deus hic in. — 12, 7 Innuans. — 20, 7 Saevos o felicissima. — Acrostichon: Ave, Maria, gratia plena etc.

26. De beata Maria Virgine.

Ave, porta poli, noli te claudere mota,
Vota tibi grata data suscipe, dirige mentem
Entem sinceram, veram non terreat ater,
Mater virtutum, scutum, via, semita clara,
Ara Dei, per te certe datur hostia vitae,
Rite deflenti genti fert gaudia mira,
Iraque cessatur, datur et pax, carmina laudis
Audis, non spernis, cernis, pia, labe gravatos,
Gratos hosque Deo, leo ne voret, efficis; aegis,
Regis stirpe sata, data nobis, sis pia fautrix,
Auctrix mercedis, caedis regem tenebrarum,
Clarum vas mellis, fellis sine crimine pura,
Iura foves plene, lene luces frangis et hastas,
Astas turbatis, statis offers te fore matrem,
Patrem redde pium, dium per saecula numen,
Lumen adoptatum, gratum das, quod tibi saeva
Eva tulit temere, vere reddis, trabeata,
Nata David regis, legis lux, thema suave,
Ave, tuos rape tu fletu, rege, virgo benigna,

Digna Dei nutrix, tutrix orbis tibi nomen,
Omen in aede, bonum donum, dos larga modestis,
Maestis succurris, turris salvans bona cuncta,
Iuncta Deo gaudes, laudes tribuat tibi tota
Nota cohors cleri; mihi redoles quasi myrtus,
Virtus es morum, florum flos, regia cella,
Stella, Maria, maris, paris hunc, qui te tibi fecit,
Te scit ab aeterno verno de stipite Iesse
Esse rosam puram, curam gere termino faecis,
Caecis recta via, pia mundo, nosque guberna,
Verna poli, soli, portat quod trinus et unus,
Munus; ave suave misit tibi digna puella,
Bella remota facis, pacis tu foedera praestas,
Estas iam flores, flores ut murraque Tempe,
Nempe veni, leni zephyrus [cum] flamine ventus,
En, tus, formosa rosa, sacra veni, veneranda,
Danda tibi dona bona suscipe mille, propinqua,
In qua [turtur] avis suavis vocem dat aperte,
Certe sponsa, soror, moror, assis, surge, columba,
Tumba referta rosis, dosis es, regina, monarcha,
Arca novae legis, tegis intus manna salutis,
Tu tis nos ducis, lucis civitas, ad amoena.
Vena fluentis aquae da, quae sunt gaudia, tristi,
Isti gaudia fer, vafer resistat ut hosti.
Nosti, grata Deo, fleo, sim sine perpete fletu,
Me tu solare, mare placa, noxia munda,
Undaque me volvat, solvat tua gratia mites,
Lites complanans, sanans das pocula vitae.
I, te sponsus amat, clamat, conscende, capescas
Escas sanctorum, quorum medio dominaris.
Raris caelestes vestes variis cape signis,
Ignis amor dius pius ex te lucet, amanda,
Blanda sunt alloquia, quia lumine lucis amicta.
Victa morte tua sua regna tibi dat in aevum,
Saevum qui pressit gessitque crucem sibi tergo.
Ergo fine sine tegit et regit omnia nutu.
Tutu dulcis ita sita praefers ubera vino,
Bino cum fructu luctu cor dirige maestum.
Estum tu releva, leva, dextraque det, decet hoc te,
Nocte die sequi te qui vult, prodiga vera
Era sibi pandis, scandis quasi virgula fumi,
Dumi te signum dignum designat opimam.
Imam te rexit, vexit super aethera Iesus,
Caesus verberibus, cibus angelicus, speciali
Tali nos recrea, dea caeli, nectare, mitis
Vitis, nos pota, nota virga, quam tulit Aaron,
Saron tu decor es, mores nostros rege, iacta

Facta nefanda retro, taetro ne laedar ab hoste.
Ros te sacravit, pavit te pneuma beatum.
Vatum materia, tria regem munera laudant.
Claudant os stulti fulti falsique sophistae,
Triste cor horum, quorum sunt ista superba
Verba: paris maris ex tactu seu semine prolem,
Solem caelestem; pestem tu pelle potenter.
Venter clausus erat sacer, at nunc integra quaeque
Eque, virginitas, ditas nos rore suavi,
Navi iam mersae, versae da prospera vota.
Tota puellaris, paris inscia, protege clerum,
Rerum servatrix, datrix veniae, mala punge,
Iunge coronatis gratis nos hos, era digna.
Signa qui poscunt, noscunt te, sic quoque sume
Tu me, Maria pia, protege [tu] meque tuere.
Vere Praepositus, situs in Glogav Ioha scripsi,
Ipsi salvamen mihi praesta caelitus. Amen.

Collect. ms. Hermanni de Nova Civitate saec. 15. Cod. Vindobonen. 5191. — 15 reddis. — 18. In der Hs. scheint trahe zu stehen. — 56 Über Tutu steht „geminatio“. — 36 diripe. — 80 sicque sume. — Nach Vers 82 ist Verfasser dieser Künstelei Iohannes, praepositus Glogaviensis.

27. De beata Maria V.

I.

1. Ave, regina caelorum,
Clarum iubar supernorum,
Mater Dei, virgo vera,
Pia, mitis et sincera.

2. Virgo Dei, Deo digna,
Nato prece me consigna,
Preces audi, praesta votum,
Cor in bono fac immotum.

3. Dona mihi cor contritum,
Rege visum et auditum,
Atque gustum et olfactum,
Dulcis mater, rege tactum.

4. Ut in cunctis te regente
Vivam Deo pura mente
In consortio sanctorum
In saecula saeculorum.

II.

1. Ave, virgo columbina,
Babylonis de sentina
Mihi tutum da ducatum,
Plasmatorem fac placatum.

2. Esto mihi consolatrix,
Pro me sis interpellatrix,
Pro me natum interpella,
Salva mortis de procella.

3. Superare fac me mundum,
Ne demergat me profundum,
Ne me sinas naufragari
In peccatis in hoc mari.

4. Potens in conspectu Dei,
Memor esto, precor, mei,
Memor esto supplicantis,
Audi preces lacrimantis.

III.

1. Ave, sancta, sanctissima,
Omnium beatissima,
Nunc in caelis sublimata,
Esto mihi semper grata

2. Et ab omni malo tutrix,
Pia mater et adiutrix,
Vivendo hic humiliter,
Tandem tecum perenniter.

3. Tuam, precor, pietatem
Et immensam sanctitatem,
Ut in mea paupertate,
Animae fragilitate,

4. Mihi velis subvenire
Et ne sinas me subire
Ulla causa laesionis
Vel perversae suasionis.

5. Heu, in quantis constitutus
Sum peccatis et pollutus,
Foedae faece culpae foedor,
Cerne, quantis, virgo, laedor.

6. Intus, foris culpae spinis,
Fac securum me de minis
Corruentis huius mundi,
Virgo, iuva, ne contundi

7. Ictu sinas me draconis
Infernalis Babylonis,
Sed da locum et ducamen
Ad caeleste regnum. Amen.

IV.

1. Ave, lucis tu aurora,
Esto praesens mortis hora,
Decumbentem fove, leva
Et a morte solve saeva.

2. Ut te duce lucis via
Migrer tecum, o Maria,
Et caelesti fruar dono
Iubilando dulci sono.

3. Laudans Iesum voce digna,
Per quam mira fiunt signa,
Duplex mors me ne infestet,
Natus tuus idem praestet,

4. Tua prece exoratus,
Idem pater qui et natus,
Idem utriusque flamen,
Trinus unus Deus. Amen.

V.

1. Ave, vera humilitas,
Caritas et benignitas,
Tu sol mirae fulgentiae
Et fons supernae gratiae.

2. De caritatis lumine
Libera nos a crimine,
De splendore veri solis
Da gratiam christicolis.

3. Tu pro nobis omni hora
Iesum natum sic exora,
Ut a malo eruamur
Et ad vitam perducamur.

4. A delictis mundi toti,
Sic confessi et devoti
Requiescamus in pace,
Ne damnemur in fornace.

VI.

1. Ave, legis plenitudo,
Sanctorum beatitudo,
Tu actus munda noxios
Et pelle adversarios.

2. Et cum tua familia
Da mihi beneficia,
Ut in morte non pavescam
Neque reus erubescam.

3. Et post hoc exsilium
Possim tuum filium
Contemplari cum beatis
In conspectu deitatis.

VII.

1. Ave, templum Iesu Christi,
Digna tollere fuisti
Miseriarum gemitus,
Dum facta es divinitus

2. Vera mater honestatis
Summaeque benignitatis,
Tu laudanda omni hora,
Adoranda sine mora.

3. Quae das lapsis relevamen
Et infirmis medicamen,
Mihi dona sanitatem
Atque cordis puritatem.

4. Pro me semper intercede,
Ut et caelesti mercede
Ditet Deus cum beatis
Regno suae claritatis.

VIII.

1. Ave, puteus aquarum
Tu omnium gratiarum,
Mihi semper administra
Dona pelleque sinistra.

2. Ecce, ad te confugio,
Virgo, mea salvatio,
Spes salutis et veniae,
Mater misericordiae.

3. Serva ad te fugientem,
Salva in te confidentem,
Tene tibi commendatum,
Leva servum conquassatum.

4. Dono tuae pietatis
Fac, ut solvar a peccatis
Et a poenis, quas merui,
Quibus perpetrando rui.

5. Super omnes te adoro,
Super omnes te imploro,
Tu es enim potentior,
Inter omnes sublimior.

6. Nullus enim confundetur,
Qui te rogat, non perdetur,
Qui se tibi commendabit,
Vere tecum conregnabit.

7. Qui te invocabit pure,
Salvabitur vero iure,
Nomen tuum invocare,
Hoc est opus salutare.

8. Nomen tuum dulce nimis
Memorandum est imprimis,
Ubi nomen tuum sonat,
Spem salutis verae donat.

9. O Maria, mater Dei,
Miserere semper mei,
Tolle a me hic peccatum,
Quidquid male perpetratum.

10. Per te vere me salvari
Credo atque reparari,
Ergo pro me roga Deum,
Ut absolvat suum reum.

11. Exaudi me et suscipe
Meque clementer respice
Et visita me miserum,
Oppressum mole scelerum.

12. Nam si tu me visitabis,
Visitando me purgabis,
Tua enim visitatio
Est scelerum ablutio.

13. O domina veneranda
Super omnes et amanda,
Si me velis adiuvare,
Quis me coget desperare?

14. Ille potest desperare,
Qui te non vult invocare,
Tota enim salus nostra
Ex te sola est progressa

IX.

1. Ave, vera salus nostra,
Domans inimici rostra
Atque eius dominium
Per salutis mysterium.

2. Mentem meam tu sic gyra,
Non vincatur ulla ira,
Atque linguam sic refraena
Ne sit verbis ea plena.

3. Ut proferat per te verba,
Non tamen mente superba,
Ecce, me tibi commendo,
Guberna, rege tuendo.

4. Per te, precor, sim purgatus
Nec plus peccare paratus,
Tandem sic valeam sisti
Deo, quem tu genuisti.

5. O domina gloriosa,
Super omnes speciosa,
Tutricem tu mihi da te,
Quaeso, ut protegar a te.

6. Assis mihi supplicanti
Et te saepe invocanti,
Hoc mihi solum dignare
Te et natum adamare.

7. O virgo nobilissima,
Dulcissima, dignissima,
Fac me digne te laudare,
Tecum semper habitare.

8. Tu omnium dignissima
Et virginum castissima,
Fac me digne confessorum
Et virginum tenere chorum.

9. O domina Deo cara,
Stirpe decens ac praeclara,
Sed meritis praeclarior
Moribusque nobilior.

10. Mihi omnia damnosa
Pelle, virgo generosa,
Tuis meritis praeclaris
Me salva, o stella maris.

11. O domina gratissima,
Virtutibus dignissima,
Omni bono tu fecunda,
Quod nulli es hinc secunda.

12. Virgo semper, ante partum
Et in partu et post partum,
Iure cunctis es praelata,
Super omnes exaltata.

13. Semper casta, semper pura,
Semper Deo placitura,
Nunquam levis, nunquam vana,
Ac si esses inhumana.

14. Dona mihi hic sincere
Deum iugiter timere,
Ut cum venerit Messias,
Me ducat ad melodias.

X.

1. O domina dominarum,
Tu regina reginarum,
Propter tuam dignitatem
Et meam malignitatem

2. Pravitatem cordis pelle,
Quod abundat omni felle.
Ego pauper et egenus
Et a Deo alienus

3. Adversum me irritavi
Deum meum, dum peccavi,
Quem tu mihi pacifica,
Dei mater et unica.

4. Ut in eius maiestate
Regar tua bonitate
Et valeam tecum vere
Caelum in aevum retinere.

5. Hoc te posse impetrare
Credo firmiter et clare,
Quapropter haec mihi dona,
Sola spes atque patrona.

6. O Maria, flos virginum,
Ora pro me ad Dominum,
Ut ad caeli palatia
Perveniam te praevia.

7. Fac me sine periculo
Sic migrare de saeculo.
Ut occurens cum angelis
Me suscipias in caelis.

8. Ibi tecum sine fine,
Ubi quies, nullae minae,
In aeternum aeternorum
In saecula saeculorum.

XI.

1. O praeclara stella maris,
Quae in aevum gloriaris,
Me ad portum fac venire
Neque sinas me perire.

2. Et perduc me, ubi gratae
Caeli portae reseratae,
Ut coniungar salvatori
Hic in forma meliori.

3. O Maria, lumen vitae,
Fac me audire Venite
Absque ulla gravi fraude,
Sicque vitam meam claude,

4. Tandem tecum contemplari,
Contemplando gratulari
Laudando Deum deorum,
Quem laudant caeli caelorum.

XII.

1. Ave, stella matutina,
Peccatorum medicina,
Mundi princeps et regina
Esto nobis disciplina.

2. Sola virgo digna dici,
Contra tela inimici
Clipeum pone salutis
Tuae titulum virtutis.

3. Tu es enim virga Iesse,
In qua Deus fecit esse
Aaron amygdalum,
Mundi tollens scandalum.

4. Tu es area compluta,
Caelesti rore imbuta,
Sicco tamen vellere;
Tu nos in hoc carcere

5. Consolare propitia,
Dei plena gratia,
O sponsa Dei electa.
Esto nobis via recta

6. Ad aeterna gaudia,
Ubi pax et gloria,
Et nos semper aure pia
Dulcis exaudi Maria.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. $^{14}/_{15}$. — III. 4, 2 sq. Entweder ist subire im Sinne von perire (untergehen) zu nehmen oder 4, 3 zu lesen ullam causam. — IV. 3, 3 ne fehlt; infestat. — 3, 4 praestat. — VI. 2, 3 non fehlt. — VII. 2, 3 fehlt eine Silbe; Tu ergänzt. — VIII. In diesem Abschnitte finden sich mehrere Strophen, die auch in dem Liede Ave caelorum ianua vorkommen, welches man vergleiche. — IX. 7, 2 et dignissima. — X. 4, 4 Lies: Caelum semper retinere? — XI. 2, 1 Et perduc ibi me gratae. — XII. 1, 4 fehlt; ergänzt nach Mone II, 321. — 5, 3 fehlt eine Silbe; O ergänzt. — 6, 4 exaudi virgo Maria.

28. De beata Maria V.

1. Ave, rosa tu caelestis,
Vera glosa, quae scelestis
Numen es latura;
Ave, prosa novae legis,
Nam dulcosa verba legis,
Lumen paritura.
Ave, latrix summi regis,
Superatrix es quae regis.
O praedulcissimum ave,
Miseros nos solve a vae.

2. O regina, caeli porta,
Tu crimina nostra porta,
Consolatrix pia,
O divina stella maris,
Tu propina opes maris,
Miseratrix dia.
Cella sacrata tu vera,
Bella celata, quae fera
Mundo tulit virgo, dele
Pugna caelestis tutelae.

3. Tu velata satis velis,
Ut placata fore velis,
Precor, gratiose,
Adornata poli sedes,
Supportata fessis sedes,
Posco, sis dulcose,
Praelucida signo canis,
Quae florida verbo canis,
Saporem donans malorum,
Mater dulcis sis malorum.

4. O figella suavis toni,
Dona mella sacri doni,
Dulcis harmonia,
O praemella sumi facis,
Non rebella, quae nam facis,
Pacis analia.
Tu capella Dei et vas,
Tormella Dei, quod est pas,
Tu femella, quae non pellis,
Saeva fella, mater, pellis.

5. Tu arcana Dei vides,
Nulla vana constat fides
In te nunc visura,
Lapsis sana sacra Venus
Non inana prout fenus
Per te fit usura,
Gratiosa semper venis,
Sis formosa nostris venis,
Tu nos pota sacris vinis,
Praesta, quod bonus sit finis.

6. Sanctitatis verus liber,
Libertatis magne liber.
Reorum lorica,
Sanitatis confer lectum,
Trinitatis opus lectum,
Piorum amica,
In caelico throno iaces,
Famelico mel tu iaces,
Fave, quod lenis sit natus
Malis nostris a te natus.

7. In aurora lucis mane
Tu, dulcora, mecum mane,
Maria tutatrix,
Indecora, quae nam sero,
Sine mora, sine sero
Sis pia purgatrix,
Dieculam salubrem fer,
Plebeculam ornans ut ver,
Ignosce nunc, quod non novi
Normulas praecepti novi.

8. Mente pura Christum ora,
Quod futura mortis hora
Det mite solamen,
Laesis cura verax eris,
Corda dura non sis heris
Sed suave salvamen;
Tu salva nos in hoc festo
A daemone tam infesto,
Miseris non polum claudis,
Sis medela sacra claudis.

9. Mortuosis vitam paris,
Tu exosis non es par his,
Fidei columna,
Tu damnosis multum prodes,
Me verbosis nunquam prodes,
Alvei alumna,
Donatrix es summi dotis,
Sis stirpatrix malis totis,
O salutifera caro,
Soboli nos apta caro.

10. Veniis es nunquam parca,
Vitiis nostris nunc parca,
Casa Dei diva,
Medelis nos sacris munda,
Immundis tu confer munda
Corda templativa,
Generosa alma regis,
Sis dulcosa, virgo, reis,
Tuae acquiesce irae
Et nos fac ad prolem ire.

11. Ave, mater summi ducis,
Nam quemvis ad prolem ducis,
Ave, tu templaris vita,
Devotos tibi non vita.
O Diana celsae aedis,
Nam profana nulla edis,
Vera lux praefulgens soli,
Tu nos iunge nato soli.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19604 saec. 15. — 11, 5—8 am Rande.

29. De beata Maria V.

1. Ave, sancta, sanctis sanctior,
Tu angelis felicior,
Virtutibus sublimior
Et thronis [es] excelsior.

2. Tu Cherubim prudentior,
Tu Seraphim ardentior,
Tu sola cunctis altior,
Deo tantum inferior.

3. Solus Deus excipitur,
Cetera vincis omnia,
Dignitas tua vincitur
A sola Dei gloria.

4. A me, virgo, si lauderis,
Indigno non indigneris,
Sed habere me maiorem
Te laudando fac amorem.

5. Ave, ergo suavitatis
Nostrae tympanistria,
Via vitae, vera vitis
Et cella vinaria.

6. Ave, sponsa Salomonis,
Fermentatrix femina,
Qua vetusta Pharaonis
Relevatur sarcina.

7. Tu lucerna paradisi,
Ostium et ianua,
Tu vervecis os occisi,
Genetrix ingenua.

8. Ave, scala, qua descendit
Inclinata deitas,
Ave, litus, ad quod tendit
Nostrae molis gravitas.

9. Ave, mundi medicina,
Mundi purgans lolium,
Ave, rosa sine spina,
Castitatis lilium.

10. Ave, turris, quam vallavit
Incorrupta firmitas,
Ave, castrum, quod intravit
Sola verbi veritas.

11. Ave, scirpea fiscella,
Parvulum excipiens,
Ave, parens et puella,
Sine pari pariens.

12. Virga, virgo, nuncuparis,
Templum, vas, sacrarium,
Porta clausa, lux solaris,
Caeli luminarium.

13. Rubus ardens, madens vellus,
Gedeonis area,
Fons signatus, ferax tellus,
Granum sine palea.

14. Gemma, iubar, lar, talentum,
Spes et laus prophetica,
Cinnamomum, ros, unguentum,
Radix aromatica.

15. Palma, palmes, pavimentum,
Piscina probatica,
Botrus, hortus, uva, favus,
Thalamus, triclinium.

16. Arca, navis, aura, portus,
Luna, lampas, atrium,
Porta, manna, vallis, nubes,
Tus, muscetum, balsamum.

17. . . . . .
. . . . . .
Murra, murtus, thronus, cedrus,
Ovis, apis, oleum.

18. Vitrum, uva, claustrum, cella,
Domus, aula, civitas,
Flos, fenestra, lumen, stella,
Sol, aurora, claritas.

19. Tu columba, tu columna,
Tu vitta coccinea,
Tu alatrix, tu alumna,
Tu Engaddi vinea.

20. Tu es laurus, tu oliva,
Tu peccati venia,
Tu patris es genetiva,
Mater es et filia.

21. Ergo patri, mater pia,
Natos reconcilia;
Per decus horum nominum
Da paenitendi spatium,
Confer salutem corporum
Veramque pacem cordium.

Cod. S. Floriani XI 172. saec. 15. — 1, 1 Lies O sancta sanctis? — 6, 3 venusta. — 7, 4 Genetricis. — 10, 3 Ave castellum. — 16, 1 auram. — 16, 3 valles. — 20, 3 Tu patris es maria.

30. Oratio de Beata Virgine

ad modum serti facta.

1. Ave, signis figurata,
Fide dignis adprobata,
O deitatis forma,
Ab aeterno praeparata,
In scripturis figurata,
O sanctitatis norma.

2. Ave, alvo consecrata,
Mediatrix nobis data,
O sancta propago,
Gabriele salutata,
Patris dono obumbrata,
O dulcis imago.

3. Ave, pneumate rigata,
Trinitate fecundata,
O vitis fructuosa,
Christi mater, soror, nata,
Imperatrix Deo grata,
O immaculata rosa.

4. Ave, trinitatis stilla,
Dei mater et ancilla,
O filia prolis,
Casta, humilis, tranquilla,
Grandis, lenis et pusilla,
O ianua solis.

5. Ave, grata margarita,
Solo tecta, sed quaesita,
Purissima puella,
Manu Dei expolita
Et virtute redimita,
Clare micans stella.

6. Ave, vellus Gedeonis,
Purum vas electionis,
Aromatizans cella,
Ardens rubus visionis,
Mater veri Salomonis,
O rosula bella.

7. Ave, mater illibata,
Virgo mire impraegnata
De cellula mellis,
Aula regis adornata,
Caritate deaurata,
O nescia fellis.

8. Ave, sidus matutinum,
Fletum tergens vespertinum,
O lux tenebrarum,
Caelum purum crystallinum,
Pietatis pande sinum,
O pulchra rosarum.

9. Ave, Christo consecrata,
Rosa rosae copulata,
O flos sine spina,
Hesther mire sublimata,
Nostra clemens advocata,
O stella marina.

10. Ave, virgo, mater, parens,
Stella micans, labe carens,
O virgo serena,
Caeli porta cunctis patens,
Fons salutis large scatens,
O mater amoena.

11. Gaude, clavis carcerum,
Medicina vulnerum,
O dux animarum,
Pauperum solacium,
Mundi sanctuarium,
O sacra sacrarum.

12. Gaude, palma gloriae,
Signum tu victoriae,
O cedrus odora,
Rosa patientiae,
Murtus temperantiae,
O gemma decora.

13. Gaude, nubes lucida,
Divo rore gravida,
O virgula turis,
Virga Iesse florida,
Austro flante rorida,
O praevia iuris.

14. Gaude, innocentiae
Sedes, sapientiae
Nivea columba,
Aula regis aurea
Ac virtute florida,
O deitatis tumba

15. Gaude, Dei balsamus,
Caeli ingens iubilus,
O virgo pudica,
Prophetarum calamus,
Tu conclusus hortulus,
O regis amica.

16. Gaude, mater humilis,
Virgo Christi nobilis,
O summa columna,
Tu lucerna luminis
Et vas purum numinis,
O pacis alumna.

17. Gaude, vas munditiae,
Vena scatens veniae,
Veniam propina,
Invicta dux iustitiae,
Serena lux laetitiae,
Caelica regina.

18. Gaude, regis solium,
Virtutum viridarium,
O flos dominarum,
Dei promptuarium,
Pneumatis sacrarium,
O sancta sanctarum.

19. Gaude nunc, stellifera,
Regina sceptrifera,
Stella matutina,
O alma christifera,
Oliva fructifera
Et flos sine spina.

20. Gaude, clavis caelica
Et dulcedo mellica,
Clavis carceralis,
Mater tu virginea,
Tis natus verbigena,
Virgo maternalis.

21. Salve, ebur castitatis,
Thronus summae maiestatis,
Auro circumdatus,
Sacer sponsi thalamus,
Claritate fulgidus,
Floribus ornatus.

22. Salve, caeli porticus,
Hortus aromaticus,
Flamine rigatus,
Amoenitatis rivulus,
Iucunditatis flosculus,
Liliis stipatus.

23. Salve, lux scientiae,
Inventrix clementiae,
Gratiae pincerna,
Rosa rubens facie,
Stans firmiter in acie,
Subventrix aeterna.

24. Salve, porta aurea,
Fenestra caeli pervia,
Porta clausa ducis,
Ore facundissima,
Vultu devotissima,
Maestos introducis.

25. Salve, caelum reserans,
Elementa superans,
Tis fecunditate,
In supernis imperans
Et prae cunctis iubilans
Tua sanctitate.

26. Salve, forma virginum,
Fortitudo flaminum,
Martyrum corona,
Verbis efficacior
Herbisque salubrior,
Dans aeterna dona.

27. Salve, terra latior
Abyssoque profundior,
Summa pietate,
Mente sole purior,
Lunari globo clarior
Divina claritate.

28. Salve, angelis subtilior,
Spiritibus agilior,
Sanctior creatis,
Cherubim prudentior,
Seraphim ardentior
Ardore caritatis.

29. Salve, caelo altior
Atque sanctis sanctior,
Prona trinitatis,
Gemmis es acceptior
Regnisque praestantior,
Paradisus deitatis.

30. Salve caeli imperatrix,
Nostri casus reparatrix,
Subleva gravamen,
Regem clemens supplica,
Ad parcendum provoca;
Omnes dicant Amen.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. — 11, 4 sola rium. — 13, 2 Divino rore. — 20, 5 Tuus natus. — 20, 6 O virgo. — 28, 1 Zwei Silben zu viel; Salve zu kassieren? — 29, 6 Zwei Silben z viel; lies: Hortus deitatis? — Die Aufschrift „ad modum serti facta“ würd 50 Strophen erwarten lassen; vielleicht ist das sertum oder rosarium u vollständig.

31. De beata Maria V.

1. Ave, sponsa Dei patris,
Miserorum miseratrix,
Misericors Maria.

2. Ave Iesu Christi mater,
Te honorat Deus pater
In caelesti curia.

3. Ave, cognata spiritus
Sancti facta divinitus,
Te laudant caeli spiritus.

4. Ave, regina caelorum,
Mater regis angelorum,
Virgo beatissima.

5. Ave, lucerna gloriae,
Ave, piscina gratiae,
Ave, clementissima.

6. Salve, templum deitatis,
Triclinium trinitatis,
Virgo stirpe regia.

7. Salve, lumen beatorum,
Consolatio maestorum
In ista miseria.

8. Salve, salus adflictorum,
Refugium peccatorum,
Mundum repleus gratia.

9. Salve, mater generalis,
Advocata specialis
Fidelium in via.

10. Salve, vita devotorum
Laetitiaque sanctorum,
Dulcissima Maria.

11. Gaude, virgo sine sorde,
Munda corporeque corde
Ab omni contagio.

12. Gaude, mater singularis,
Incorrupta Deum paris
Cum pudoris lilio.

13. Gaude, vita creatorum,
Redemptio redemptorum,
Imperatrix omnium.

14. Gaude, gloria naturae,
Flos et honor creaturae,
Hominum praesidium.

15. Gaude, misericordiae
Fons, rivulus clementiae
Dulceque refugium,
Ora pro nobis Dominum.

Orat. ms. Eberspergense saec. 15. Clm. Monacen. 6053. A. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19363. B. — Orat. ms. Carthus. Hildesheimen. saec. 15. Cod. Iosephini Hildesheimen. 3 (6). C. — 7, 2 iustorum C. — 9, 3 Fidelis C. — 13, 1 creatoris BC. — 13, 2 redemptoris BC. — 15, 1 Gaude fons misericordiae AB. — 15, 2 Rivulus clementiae AB. — 15, 4 fehlt AB.

32. De beata Maria V.

Ave, stella, o Maria,
Praedicaris vitae via,
O Maria, stella maris,
Complanato nobis callem
Transituris per hanc vallem,
Ad hoc opus praesignata
Et a Deo nobis data,
Preme pede praevalenti
Caput anguis virulenti,
Qui felices nos seduxit
Et in mare nos induxit.
Tu Abrahae iam promissa
Et per Iesse nobis missa,
Virga florens, produc fructum,
Qui excludat Evae luctum
Signo virgae sine unda.
Sis honesta mitibus,
Corda nostra tu fecunda
Fronde, flore germinis.
Mater Dei, Deo plena,
Caro quibus est in poena,
Pravos motus hic refrena.
Et legatus hoc praedicit,
Deum esse tecum dicit,
Te cum fructu benedicit.
Et tu, vere benedicta,
Exinani maledicta,
Quae donavit mater dicta.
Nos per Evam captivati
Ad poenarum praevia,
Per te sumus revocati
Ad superna gaudia.
Virgo munda, virgo pia,
Templum Dei, caeli via.
Dona nobis caritatem
Et cum sanctis unitatem.
Nati tui praesta visum,
Redde nobis paradisum,
Ubi finis est laborum,
Plenitudo gaudiorum.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 40. Et plenitudo. — Das Lied steht in der Hs. an zwei Stellen. An der einen Stelle beginnt es mit Vers 3 Nunc Maria stella, und schliefsen sich an dasselbe unmittelbar noch andere unzugehörige Zeilen abweichenden Baues und verschiedenen Inhalts. An der andern Stelle schliefst es mit Vers 32.

33. De beata Maria V.

1. Ave, summi regis nupta,
Ave, parens incorrupta,
Ave, plena gratia.

2. Super omnes o decora,
Reus ego sine mora
Ad te tremens propero,
Dum peccata, quae commisi,
Nec non bona, quae omisi,
Flens ego considero.

3. Ad te curro, quam turbavi,
Quam iniuste laceravi
Horrendis periuriis,
Quam ex corde non amavi
Et quam parum honoravi
Debitis obsequiis.

4. Ad te curro, me peccasse
Recognoscens et errasse,
Ut sis locus veniae,
Me quam dure remordente
Et ad istud impellente
Verme conscientiae.

5. Curro factus non iam durus,
Curro vulnus ostensurus,
Medicantis opera
A te sperans reportare,
Ista cures ergo dare,
Dum requirunt tempora.

6. Dum est recens, vulnus cura,
Ne putrescat et iactura
Causetur desidia;
Vulnus meum est peccatum,
Tu dignare perpetratum
Tua delere gratia.

7. Si peccavi, non excuso,
Unde reum me accuso,
Prosit haec confessio.
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

8. Haec instanter a te peto,
Ne praeventus forte leto,
Quod absit, ad inferi
Domum mittar, ubi metus,
Ubi dolor est et fletus,
Ubi degunt miseri.

9. Iam plus locus ne molestus
Dici possit vel infestus,
Non permittit ratio;
Misereri potes mei,
In hoc ergo, mater Dei,
Nulla sit dilatio.

10. Tu, cui me non occultavi,
Cui causam revelavi
Meam, mihi filium
Placa tuum hora mortis,
Ut iustorum consors sortis
Sim post hoc exsilium.

11. Dicam tandem illative,
Nil adponens exclusive
Sed includens omnia:
Quia salus es cunctorum,
Sit per tempus saeculorum
Tibi laus et gloria.

Orat. ms. Carthus. Hildesheimen. saec. 15. Cod. Iosephini Hildesheimen. 3 (6). —

34. De beata Maria V.

1. Ave, virga ferens fructum,
Primae matris tollens luctum,
Nobis confer gaudia;
Haec est summi mater Dei,
Quae pudoris virginei
Servat privilegia.

2. Ut vitrum solis radio
Non laeditur nec filio
Matris castimonia;
Decantemus omnes ei,
Corde, voce, quamvis rei,
Laudes et praeconia.

3. Haec est nardus dans odorem,
Cuius odor salvatorem
Traxit ad humilia,
Fons signatus, clausus hortus,
Ex quo Christus est exortus
Corporis praesentia.

4. Flos campi atque lilium,
Singulare convallium
Vitae praeminentia,
Humilitate viola,
Mundi continens frivola
Virtutis constantia.

5. Tu murtus temperantia,
Tu rosa patientia,
Oliva clementia,
Fons hortorum et puteus
Aquae vivae, non luteus,
Fluens abundantia.

6. Voluptatis paradisus
Libanusque non incisus
Spirans beneficia,
Cedrus fugans venenata
Haereticorum dogmata
Odoris fragrantia.

7. Balsamus et cinnamomum,
Ex te sibi fecit domum
Deus creans omnia,
Tu civitas refugii
Spes totius remedii,
Tu caeli porta pia.

8. Turris, quae nequit deici
A facie inimici,
Diceris, o Maria;
Nunc, virgo venerabilis,
Per te sit excusabilis
Nostra iniustitia.

9. Ne nos pro nostro vitio
Deputemur supplicio,
Tu, pia, nos libera
Hostis a nequitia,
Ut gaudiis tecum frui,
Nos quaesumus, servi tui,
[Tecum super aethera]
Queamus in gloria.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 5, 1 Tu virtus. — 7, 5 Spes totius saeculi, gegen den sonst beobachteten Reim und die festgehaltene Silbenzahl. — 7, 6 Tu pia porta. — Vielleicht Sequenz.

35. Ad beatam Mariam V.

1. Ave, virgo gloriosa,
Mater Christi speciosa,
Virgo admirabilis,
Ave, Deum genuisti,
Regem regum peperisti,
Virgo ineffabilis.

2. Te collaudant et angeli,
Te adorant archangeli,
Cives omnes angelici
Te videntes benedicunt,
Procidentes tibi dicunt:
Ave, mater Domini.

3. Ante partum tu fuisti
Et in partu permansisti
Et post partum castitas,
Sponsa Christi, mater Christi
Es et eris et fuisti,
O summa virginitas.

4. Assis nobis, virgo pia,
Quae vocata es Maria,
Stella maris rutilans,
Tu pro nobis semper ora
Ad filium sine mora
Veniamque postulans.

5. Te adiuti gloriemur
Absolutique laetemur
A peccatis omnibus,
Ne Satan cum suis turmis
Nos congreget in extremis
Poenis infernalibus.

6. Ne damnemur cum impiis,
Sed dignis precibus tuis
Valeamus scandere,
Ubi manes cum filio,
Cum patre, cum paraclito,
Cum sacro tuo foedere.

7. Tibi, Christe, sit gloria
Cum matre tua Maria
Hic et in caelestibus;
Hymnus iste sit devotus
Tibi semper atque gratus
In Mariae laudibus.

Orat. ms. Italicum saec. 15. Cod. Londinen. Add. 10826. — 1, 4 Ave, quae Deum. — 4, 5 filium tuum sine. — 5, 2 fehlt eine Silbe; que ergänzt. — „Hanc orationem composuit quidam monachus Claraevallensis, et apparuit ei beata virgo Maria dicens: Si quis hanc orationem semel in die dixerit, apparebo ei in fine suo."

36. De beata Maria V.

I.

1. Ave, virgo gloriosa,
Paradisi vernans rosa,
Super omnes speciosa,
Dei genetrix Maria.

2. Ave, mundi dominatrix,
Peccatorum liberatrix,
Nobis sis auxiliatrix
Et semper propitiatrix,
Dei genetrix Maria.

3. Ave, consurgens aurora,
Fulgens et aurea hora,
Virgo dulcis et decora,
Pro nobis miseris ora;
Ora semper, semper ora,
Ora regem et implora,
Ut nos ducat sine mora
Ad regna sereniora,
Dei genetrix Maria.

4. Ave, virgo veneranda,
Dulcis semper et amanda,
Prae omnibus collaudanda,
Inter omnes admiranda,
Super omnes exaltanda,
Dei genetrix Maria.

5. Ave, fulgens et praeclara,
Ave, sponsa Dei cara,
Ave, dulcis et benigna,
Ave, super omnes digna,
Dei genetrix Maria.

6. Ave, lucens in praeclaris,
Quae lux Dei appellaris,
Ave, virgo singularis,
Duc nos, ubi delectaris
Sine fine et laetaris,
Dei genetrix Maria.

7. Ave, lumen scientiae,
Lumen intellegentiae,
Decor prudentiae,
Via iustitiae,
Spes salutis, fons veniae,
Mater misericordiae,
Dei genetrix Maria.

8. Ave, lumen veritatis
Et supernae claritatis,
Ave, fons benignitatis
Et immensae bonitatis,
Ave, templum sanctitatis
Et verae humilitatis,
Dei genetrix Maria.

9. Ave, gemma puritatis
Et summae integritatis,
Ave, rosa caritatis
Et lilium castitatis,
Ave, flos virginitatis,
Singularis dignitatis,
Ave, mater pietatis,
Dei genetrix Maria.

10. Ave, fons veri luminis,
Verae beatitudinis,
Vas aureum, vas floridum,
Vas mirae pulchritudinis,
Vas spiritalis gratiae,
Vas caelestis dulcedinis,
Tu regis magni nominis
Mater, tu salus hominis,
Dei genetrix Maria.

11. Ave, templum Salomonis,
Ave, vas electionis,
Vas pulchrae dilectionis,
Lux supernae visionis,
Tu supernis gaudes donis,
Nulla tibi par in thronis,
Dei genetrix Maria.

II.

1. Salve, Dei mater pia,
Salve, virgo, lucis via,
Salve, templum sanctum Dei,
Salve, lumen nostrae spei,
Fulgens aurora diei,
Virga Dei, placens ei,
Miserere huius rei,
Memor esto semper mei.
Dei genetrix Maria.

2. Salve, prae cunctis praelata,
Deoque praedestinata,
A regibus exspectata,
Et diu desiderata,
A patriarchis optata,
A prophetis praedicata
Et mundo praenuntiata,
Salve, feliciter nata,
Mirabiliter creata,
Piis moribus ornata,
Virtutibus decorata,
Prae omnibus Deo grata,
Dei genetrix Maria.

3. Salve, lux candidissima,
Lux caeli serenissima,
Stella fulgens clarissima,
Stellarum splendidissima,
Margarita purissima,
Lux intima,
Dulcedo suavissima,
Dei genetrix Maria.

4. Salve, virgo piissima,
Salve, dulcissima,
Salve, sanctissima,
Salve, Deo carissima,
Salve, beatissima,
Omni laude dignissima,
Dei genetrix Maria.

5. Salve, nive candidior,
Lacte mundior,
Auro fulgentior,
Gemmis pretiosior,
Caelo purior,
Sole praeclarior,
Luna, stellis splendidior,
Dei genetrix Maria.

6. Salve, splendor mirabilis,
Virtus inenarrabilis,
Post Deum ineffabilis,
O virgo venerabilis,
Super omnes laudabilis,
Tu sis nobis placabilis,
Dei genetrix Maria.

7. Salve, regina caelorum,
Laus angelorum,
Gaudium supernorum,
Via iustorum,
Spes omnium electorum,
Dei genetrix Maria.

8. Salve, lumen fidelium,
Lumen humilium,
Lumen lucem quaerentium,
Lumen Deum timentium,
Lumen pium,
Dei genetrix Maria.

9. Salve, lux vera mentium,
Vera spes, verum praemium,
Vera pax, verum gaudium,
Vera salus credentium,
Dei genetrix Maria.

10. Salve, pium refugium,
Pietatis incendium,
Dulce remedium,
Caeleste desiderium,
Bonum consilium,
Verum Dei auxilium,
Veni in adiutorium,
Ora pro nobis filium,
Dei genetrix Maria.

11. Salve, dulce consolamen,
Nostrum tolle desolamen,
Salve, caeli relevamen,
Aufer a corde velamen,
Salve, pium inspiramen
Caelesteque medicamen,
Sana me, tolle gravamen,
Sentiant tuum levamen,
Qui tuum quaerunt invocamen,
Ad verum Dei solamen
Per te veniamus. Amen.

III.

1. Gaude, salus nobis data,
Ab angelo salutata,
Salutando obumbrata,
O vere sanctificata,
O vere illuminata,
O vere glorificata,
Mater Dei es vocata
Et virgo immaculata;
O virgo intemerata,
Tu nostra es advocata,
Tu piis es declarata,
Dei genetrix Maria.

2. Gaude, prae cunctis laudata,
Inter omnes admirata,
Super omnes exaltata,
Super sanctos elevata,
Super choros coronata,
Super thronos sublimata,
Dei genetrix Maria.

3. Gaude, prae cunctis dilecta,
Gaude, via caeli recta,
Electa et praeelecta
Et super omnes electa,
Dei genetrix Maria.

4. Gaude, sponsa Dei electa,
Esto nobis via recta,
Ad aeterna gaudia,
Ubi pax est et gloria,
Et nos semper aure pia
Dulcis exaudi Maria.

Orat. ms. SS. Udalrici et Afrae saec. 15. Cod. Augustan. s. n. — II. 1, 5 Salve fulgens aurora. — 2, 1 praelata fehlt. — III. 2, 1 Gaude, Dei mater pia, prae cunctis laudata. — An manchen Stellen z. B. I. 7, 3 u. f., am häufigsten in II., erscheint die Silbenzahl des sonst beobachteten Versmafses nicht erreicht. Nicht selten, wenngleich nicht immer, liefse sich dieser Mangel durch Wiederholung des Grufswortes Ave, salve oder gaude beheben. Hievon ist indes im Texte Umgang genommen, da die Häufigkeit dieser Stellen die Berechtigung der Emendation zweifelhaft erscheinen läfst.

37. De beata Maria V.

1. Ave, virgo, mater Christi,
Templum salvatoris,
Stella solem genuisti,
Vasculum pudoris,
Nata patrem protulisti,
Medela languoris,
Natum nata peperisti
Nostri conditoris.

2. Ave, virgo, laude plena,
Vita defunctorum,
Sitienti potus, cena,
Mensa pupillorum,
Pietatis fontis vena,
Via, lux caecorum,
Per te coepit mortis poena,
Finis delictorum.

3. Ave, digna praemio,
Verbo fecundata,
Caeli nitens solio,
Gemmis coronata,
Quem lactasti, filio
Proprio dotata,
Tui patris gaudio
Prae cunctis ditata.

4. Ave, florum flos, Maria,
Flos virginitatis,
Docta, prudens, mitis, pia,
Mater bonitatis,
Naufraganti portus, via,
Vena pietatis,
Rosa teste Ieremia,
Gemma venustatis.

Cod. Oxonien. Digby 166. saec. $^{14}/_{15}$.

38. De beata Maria V.

1. Ave, virgo singularis,
Gemma pudicitiae,
Fluctuantis stella maris,
Fons misericordiae,
Stella, quae, dum solem paris,
Patrem tibi filiae,
Caelo digne coronaris,
Iuncta regi gloriae.

2. Ave, mater gloriosa,
Verbi Dei cellula,
Tota pulchra et formosa,
Tota sine macula,
Tu es lilium et rosa,
Rectrix in navicula,
Qua transimus procellosa
Saeculi pericula.

3. Ave, nubes matutina,
Roris stillicidium,
Quibus gratia divina
Poros pluit cordium,
Imperatrix et regina
Caeli, terrae, marium,
Serva vitam a ruina
Tibi supplicantium.

4. Ave, quies viatoris,
Te sequentis praevia,
Favus intimi dulcoris
Satians praecordia,
Pia mater salvatoris,
Reduc ad caelestia,
Quos antiqui temptatoris
Expulit invidia.

5. Ave, decor firmamenti
Sidusve errantium,
In salutem paenitenti
Tu stagnum probaticum,
Tu es arca testamenti
Portans manna caelicum,
Quo pascuntur in praesenti
Corda tibi supplicum.

6. Ave, templum trinitatis,
Pudoris signaculum,
Plenitudo caritatis,
Miseris umbraculum,
Solve salvans a peccatis
Istum tuum populum,
Pro quo Iesus Christus gratis
Subiit patibulum.

7. Ave, quam praeconizavit
Prophetarum contio,
Quam scriptura praesignavit
Omnis ab initio,
Rubus, quem consideravit
Moyses [in invio],
Tuum partum praemonstravit
Sui non incendio.

8. Ave, templum Salomonis,
Sed non manu conditum,
Turris vallis visionis,
Castrum muris insitum,
Leva signum unionis
Gratiae ad spiritum,
Ut hostilis stationis
Terreas exercitum.

9. Ave, quae, dum credidisti
Caelesti spiritui,
Incorrupta concepisti
Dei parens nutui;
Ergo, mater Iesu Christi,
Confer opem coetui,
Cuius causa meruisti
Hoc honore perfrui.

10. Ave, per quam est collata
Prophetia puero,
Ut te voce non prolata
Salutet in utero,
Ut Elisabeth, adflata
Flatu salutifero,
Dei matrem est testata
Te clamore libero.

11. Ave, genetrix effecta
Nullo viri foedere,
Sola virgo praeelecta
Sine poena parere,
Luna de te nube tecta,
Sol prodit de sidere,
Luna, inquam, sed perfecta,
Nesciens deficere.

12. Ave, virgo, de qua natus
Deus verus creditur,
Idem creans et creatus,
Actor est et agitur,
In praesaepe reclinatus
Pannis circumcingitur,
Sed in caelis adoratus
Sine fine colitur.

13. Ave, quam honorant reges
Mysticis muneribus,
Suos dum observant greges,
Cognita pastoribus,
Quae cum veteris non eges
Legis baptismatibus,
Sponte tamen imples leges,
Non ligata legibus.

14. Ave, decus mulierum,
Quae in templo Dominum
Obtulisti, lumen verum,
Salvatorem hominum,
Et nunc populum et clerum
Salva, virgo virginum,
Dans in ultimo dierum
Veniam peccaminum.

15. Ave, quae Iesum infantem
Cum dolens quaesieras,
Invenisti disputantem
Non edoctum literas,
Tuum populum peccantem,
Quaesumus, ne deseras,
Sed requirens aberrantem
Tecum caelo transferas.

16. Ave, per architriclinum
Invitata nuptiis,
Ubi fecit aquam vinum
Christus in conviviis,
Color aquae in citrinum
Transit sine mediis,
Tua fide fit divinum
Opus hoc in hydriis.

17. Ave, videns tui nati
Flagellari latera,
Videns et in cruce pati
Mortis dira vulnera,
Aperitur dum rimati
Pectoris pars dextera,
Aqua, sanguis dirimati
Nostra lavant scelera.

18. Ave, fidem quae sustentas
Passionis triduo
Hancque sola repraesentas
Fervore continuo,
Modo haereses inventas
Sic elide denuo,
Ut has fides turbulentas
Devitet perpetuo.

19. Ave, laeta versa vice,
Quando nostri generis
Salus manu cum victrice
Rediit ab inferis.
Unde patet cicatrice
Visa sui lateris,
Quod pro plebe peccatrice
Poenam tulit funeris.

20. Ave, videns corpus idem
Factum impassibile,
Quod de te assumpsit pridem,
Scandens caelum agile,
Creatori tale quidem
Competit mirabile,
Non natura, sed per fidem
Cuiquam credibile.

21. Ave, caelos quae transcendis
Singulos per ordinem,
Dei donec apprehendis
Throni celsitudinem.
Ubi iugiter intendis
In eius imaginem,
Quem pro nobis redimendis
Genuisti hominem.

22. Ave, quae iam Deo plena,
Sed modo plenissima,
Quondam particeps in poena,
Nunc regnanti proxima,
Nostra canit te camoena.
Laudat vox et anima.
Quia tu es vitae vena
Laudeque dignissima.

23. Ergo, pia mater Dei,
Laudes has suscipito,
Quas innixus de te spei
Reus tibi recito,
Me reatus rodunt mei
Cordis in abscondito,
Sed medelam huius rei
Ratus te recogito.

24. Credo namque, quod non perit,
Qualiscunque fuerit,
Qui commissa flendo terit
Et peccare deserit,
Sed si te devote quaerit
Tuique meminerit,
In aeternum salvus erit
Nec perire poterit.

Cod. Londinen. Reg. 7 A VI. saec. $^{14}/_{15}$. — 7, 6 Ergänzen in invio? — 12, 4 Auctor; die Form actor fordert das Wortspiel; est fehlt.

39. De beata Maria V.

1. Ave, virgo singularis,
Mundi portus salutaris
Singulari gloria,
Porta solis orientis,
Orbis sidus occidentis
Speciali gratia.

2. Paradisus voluptatis
Thalamusque castitatis,
Cella pigmentaria,
Hortus clausus, fons signatus,
Ager florens, irrigatus
Spiritali pluvia.

3. Rorans vellus Gedeonis
Ferculumque Salomonis,
Angelorum gloria,
Domus Dei, quam fundavit,
In qua thronum collocavit
Patris sapientia.

4. Ave, rosa spina carens,
Virga Iesse, virgo parens,
Viri tamen nescia,
Tu, regina, regem paris,
Cuius sola nuncuparis
Sponsa, mater, filia.

5. Stella caeli, cuius ortus
Nos ad vitae traxit portus
Post mundi naufragia,
Paradisi tu fenestra,
Non quod tuos feras extra,
Sed intra palatia.

6. Tu specular verae lucis,
Quae ad veram lucem ducis
Nostrae noctis taedia;
Ave, sidus matutinum,
Fletum tergens vespertinum,
Dans post luctus gaudia.

7. Deitatis sacramentum,
Novae legis argumentum,
Vitae pandens atria,
Carta Dei, quam inscripsit,
In qua verbum suum scripsit
Patris providentia.

8. In qua verbum substantivum
Fecit pater adiectivum
Adiecta substantia,
Lectus rosis praeparatus
Et multorum candidatus
Liliorum copia.

9. In quo sibi copulantur
Et se simul osculantur
Christus et ecclesia,
Novum genus nuptiarum,
In quo nova naturarum
Parantur coniugia.

10. Ave, mater, virgo tamen,
Quam fecundat verbo flamen
Non viri materia,
Ergo rivus parit fontem,
Virga cedrum, vallis montem
In magnificentia.

11. Flos pudoris, non efflorens,
Cedrus alta, palma florens,
Vallis gignens lilia,
Flagrans domus unguentorum,
Aula Dei, divinorum
Secretorum conscia.

12. Mirus odor in hac domo,
Plena ture, cinnamomo
Omnique fragrantia,
Ergo, nostri mediatrix,
Nostra salus et salvatrix,
Nobis sis propitia.

13. Nos abiectos pro peccato,
Nata, patri, mater, nato
Clementer concilia,
Via vitae, duc ad portum,
Stella maris, duc ad ortum
Per tot maris devia.

14. Dulcis mater Iesu Christi,
Quae Satanam devicisti
Miranda potentia,
Nato iube, regem ora,
Ut peccati sine mora
Nobis detur venia.

Orat. ms. Caelestinorum saec. 15. Cod. Parisin. 18571.

40. De beata Maria V.

1. Ave, virgo, stella maris,
Ave, mater expers maris,
Sola parens patrem paris
Fecundata caelitus.
Salve, virgo, spes reorum,
Salve, mater, spes lapsorum,
Per quam mundo rex caelorum
Illuxit humanitus,
Miserere peccatorum
Consolando gemitus.

2. Gaude, virgo generosa,
Gaude, mater gloriosa,
In hac valle procellosa
Nobis esto praevia.
Vale, virgo, sponsa Christi,
Vale, mater, quae dedisti
Et lac illi praebuisti,
Per quem vivunt omnia,
Per Christum, quem genuisti,
Trahe nos ad gaudia.

3. Amen dicat, qui mendicat
In hac valle flebili,
Ut solamen et iuvamen
Plebi detur humili.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — Nach 1, 8 Miserere miserorum. — 3, 3 Et solamen.

41. De beata Maria V.

1. Ave, virgo, verbi mater,
Quam signavit Deus pater
Suo sancto flamine;
Ave, virgo, virga Iesse,
In qua Deus coepit esse
Sub carnis velamine.

2. Ave, lampas veri solis,
Nova mater novae prolis,
Castitatis lilium;
Ave, virga nusquam arens,
Per quam suum Deus parens
Mundo misit filium.

3. Ave, mutans nomen Evae,
Per quam nobis iugum leve
Christi dedit veritas;
Ave, per quam lux est data,
Per quam nobis dulcorata
Legis est austeritas.

4. Ave, virga veri turis,
Per quam sumus nostri iuris
Dei dante gratia;
Ave, mater benedicta,
Partu cuius est devicta
Mortis contumacia.

5. Ave, lumen fundens mundo,
Quod nos traxit de profundo
Ex lacu miseriae;
Ave, parens summi floris
Et superni plena roris
Virtutum congerie.

6. Ave, mater pietatis,
Quam laudare nemo satis
Vel potest vel potuit;
Ave, certa spes salutis,
Per quam luce destitutis
Vera lux innotuit.

7. Ave, deitatis arca,
Quam creator patriarcha
Clausit et aperuit;
Ave, caeli lux et terrae,
Summam lucem digna ferre,
Quae te non deseruit.

8. Ave, navis institoris,
Portans manna peccatoris
Et panem angelicum,
Ave cella summi regis,
Dans de botro priscae legis
Nectar evangelicum.

9. Ave, castrum Bethaniae,
Marthae domus et Mariae,
Ut castrorum acies;
Ave, mater nostrae spei,
Per quam nobis verbi Dei
Visa carne facies.

10. Ave, summi regis thronus,
In qua Deus summe bonus
Incarnari voluit;
Ave, parens sine pari,
Per quam mortem captivari
Vetus hostis doluit.

11. Ergo nobis, mater pia,
Sis in huius vitae via
Dux et consolatio,
Ut post huius vitae statum
Videamus tuum natum
In caeli palatio.

Cod. Londinen. Reg. 7 A VI. saec. $^{14}/_{15}$.

42. De beata Maria V.

1. Ave, virgo virginum,
Decus castitatis,
Ave, salus hominum,
Mater pietatis,
Ave, sidus lucidum,
Sidus claritatis,
Flos cuius dat floridum
Florem defloratis.

2. Ave, candens lilium,
Nostra spes, Maria,
Ave, dulce gaudium,
Veritas et via,
Salus, spes, remedium,
Gemma, lux, sophia,
Mihi des auxilium,
Voce posco pia.

3. Ave, domus regia,
Porta salvatoris,
Mater atque filia
Summi creatoris,
Ave, mundi claritas,
Ave, flos odoris,
Ave, casta castitas,
Casti fons amoris.

4. Ave, virgo pariens
Natum absque pari,
Ex te fulgor oriens
Dignus exaltari,
Ave, fovens gremio
Florem puellari,
Cuius mundus pretio
Meruit salvari.

5. Ave, mater caelica,
Sumens illud Ave,
Quod tulit angelica
Tibi vox suave,
Ave, plena gratia,
Stella maris, ave,
Assit tua gloria,
Meis votis fave.

6. Ave, flos clementiae,
Ave, fulgor stellae,
Ave, pudicitiae,
Ave, flos puellae,
Ave, mater regia,
Mala mea pelle,
Tua sunt officia
Dulciora melle.

7. Ave, dulce lilium,
Rosa sine spina,
Ave, dans auxilium
Et caeli regina,
Ave, mater gloriae,
Mater et divina,
Ave, lux iustitiae,
Stella matutina.

8. Ave, virgo florida,
Mater pupillorum,
Ora tuum filium
In choro suorum,
Ave, gemma splendida,
Virtus miserorum,
Ut me cum familia
Collocet sanctorum.

9. Ave, decus virginum,
Audi me clamantem,
Audi, salus hominum,
Audi me precantem
Teque tuum filium
Audi me clamantem,
Sic et in perpetuum
Ave decantantem.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 917. — 1, 7 fehlt eine Silbe; dat ergänzt. — 8, 7 Ut me tuum famulum. — 9, 5 Tuum teque filium.

43. De beata Maria V.

1. Ave, virgo, virtutis speculum,
Salomonis thronus et ferculum,
Salva, rege fidelem populum
Et extolle usque in saeculum.

2. Benedicta Mariae viscera,
Caput, manus, pectus et ubera,
Crura, pedes et membra cetera,
Quae gestarunt regentem supera.

3. Ave dicunt caelorum numina,
Ave, mater, virtutum domina,
Ave semper, perfelix femina;
Per te nostra replentur culmina,
Per te mundi delentur crimina,
Tuas laudes et tua carmina
Nulla potest portare pagina.

4. Benedicta tua progenies,
Benedicta sit tua facies,
Benedicta tua caesaries,
Totum corpus et tota species;
Te saluto in die centies,
Flecto genu in nocte sexies,
Benedicta sis mille milies.

Orat. ms. Caelestinorum saec. 15. Cod. Meten. 571. — 4, 6 Et flecto te genu in.

44. De beata Maria V.

1. Beata Dei genetrix,
Virgo inaestimabilis,
Te spem meam constituo,
Me tibi servum offero.

2. Fide tua me suscipe,
Nato tuo restitue,
Mea infelix anima
Non sit in fine perdita.

3. Praesta mihi subsidium,
Dum hoc relinquo saeculum,
Et cum recedet spiritus,
Meis adesto precibus.

4. Nam te orante, domina,
Sanctorum surgent milia,
Si tu sola tacueris,
Vox erit nulla ceteris.

5. Noli silere, domina,
Esto mihi propitia,
Cunctis locis me protege,
In viam pacis dirige.

Cod. Trecen. (ol. Claravallen.) 1612. saec. 15.

45. De beata Maria V.

1. Benedicta
regina virginum,
In qua sine
concursu seminum
Homo verus
fit factor hominum.

2. Virgo viri nescia,
Parens expers paris,
Tu filii filia,
Nata patrem paris,
Ad filium praevia
Duc nos, stella maris.

3. Cordis amor, oris clamor
Matrem laudet, per quam gaudet
Omnis homo se de domo
Servitutis ad salutis
Statum renovatum.

4. Stirpe David genita,
totum me, virgo, tibi do,
Per te sit domita
dominans in carne libido.

5. Eva, parens saeva,
fundens in prole sua vae,
Illud ave suave,
per quod convertitur Eva.

6. Virgo Maria, ave,
misero, qui te rogat a vae,
Orantique fave,
qui tibi mittit ave.

7. A me tolle grave
peccati pondus et a vae
Illi, virgo, cave,
qui tibi mittit ave.

Cod. Duacen. 355. (ol. Marchianen.) saec. 14. — Ob vorstehendes ein ursprüngliches Ganze oder ob mit Str. 4 ein zweites Gedicht beginnt, erscheint zweifelhaft.

46. De beata Maria V.

1. Bonitatis
totius femina,
Sancta virgo,
caelorum domina,
Quae nos premunt,
dissolvens crimina,
Nostra clemens
audi precamina.

2. O regina
caelestis curiae,
Dignitatis
et excellentiae,
Per te nobis,
o mater veniae,
Remittatur
pondus nequitiae.

3. O aeterna
salus credentium,
Caro nitens
magis quam lilium,
Sicut turis
est odor vestium,
Os dulcius
quam favus mellium.

4. Si gens omnis
in unum coeat
Laudes fari
tuasque studeat,
Ferri quisque
si linguam habeat,
Nunquam dicet,
quantum oporteat.

5. Tua rosam
superat facies,
Columbarum
luminis acies,
Nulli rei
tam pulchra species,
In te splendet
carnis materies.

6. Flos rosarum,
lux orbis inclita,
Stella maris
fulgore praedita,
Per quam salus
est mundo reddita,
Ad salutem
sis nobis semita.

7. Te nascente
lux ingens oritur,
Tenebrarum
minister laeditur,
Ululando
de te conqueritur,
Triumphante
nato convincitur.

8. Gemma, sidus
splendoris nimii,
Luna fulgens
immensi radii,
Desolatis
plena spes gaudii,
Portus nobis
sis refrigerii.

9. Nulli ante
tua natalia
Tanta fuit
data potentia,
Te nascente
venit victoria,
Nobis autem
summa laetitia.

10. Per te nobis
spes attribuitur,
Infernorum
limes destruitur,
Peccatorum
culpa remittitur,
Et caelestis
palma promittitur.

11. O salvatrix
humani generis,
Interemtrix
totius sceleris
Gaude, virgo,
quae tanti muneris
Donatrix es
et portus miseris.

12. Gaude, mater.
tuoque gaudio
Nos colloca
precis auxilio,
Salvatori
concordans filio
Nos sanctorum
iunge consortio.

13. Benedicta
tua conceptio,
Benedicta
Christi progressio,
Crux, sepulcrum
et resurrectio,
Benedicta
eius ascensio.

14. Benedictus,
qui fecit sidera,
Mare, terram
et quaeque cetera,
Qui se clausit
in tua viscera,
Ut locaret
nos super aethera.

15. Benedictus
natus puerperae,
Qui redemit
membrorum vulnere
Pro parentis
damnatos scelere,
Qui lugebant
aeterno carcere.

16. Sancta parens,
nostra redemptio,
Spes miseris
et relevatio,
Per te nobis
fiat remissio,
Ne Satanae
vincat illusio.

17. O regina,
decus caelestium,
Miserorum
spes et refugium,
O adiutrix
te deprecantium,
Tuum ora
pro nobis filium.

18. Flos candoris,
flos pulchritudinis,
Non marcescens
prae vento turbinis,
Turris nobis
sis fortitudinis,
Ne mergamur
antro formidinis.

19. Qui pugillo-
mundum complectitur,
Virginali
ventre concluditur,
O quam laeta
mater efficitur,
A qua tantus
infans concipitur.

20. Nulla stella
fulgoris radium
Tantum tulit
per orbis spatium,
Nam stellarum
rerumque omnium
Lumen profers,
cum paris filium.

21. Cum te caeli
suscepit curia,
Angelorum
gaudet militia,
Quantus plausus,
quanta laetitia,
Nulla capi
potest scintia.

22. Tibi, virgo,
laetantur omnia,
Gaudet Deus,
gaudet ecclesia,
Gaudet homo
ductus ad propria,
Sed infernus
agit suspiria.

23. Ave, mater
misericordiae,
Pietatis
et indulgentiae,
Ora natum,
qui fons est veniae,
Ut nos dono
confirmet gratiae.

24. Decus orbis,
sublimis femina,
Placa nobis
tonantis numina,
Creaturae
totius domina,
Tuae plebis
audi precamina.

25. Pia virgo,
pro peccatoribus
Es locata
in caeli sedibus,
Recordare
hoc te precantibus,
Subvenire
prompta fidelibus.

26. Humanarum
rerum condicio
Est attrita
culpae naufragio,
Sed tu, mater,
tuo suffragio
Supernorum
iunge consortio.

27. Prophetarum
praedicta carmine,
Exspectabant
sub mundi cardine
Res in suo
deformes ordine
Relevari
tuo iuvamine.

28. Te caelestis
exspectans curia
Exspectabat
tua natalia,
Nam per tua,
virgo, suspiria
Restauratur
eius militia.

29. Sicut rosa
de spinae germine
Nascens ornat
hanc pulchritudine,
Sic in tuae
gentis origine,
Virgo, nites
virtutum semine.

30. Virgo, gaude,
mater fidelium,
Orphanorum
salus, refugium.
Per quam culpa
deletur omnium,
Sempiternum
da nobis gaudium.

31. Auxilio
succurre celeri,
Nostro finem
imponens sceleri,
Ut de nostra
salute superi
Gratulentur,
ululent inferi.

32. Pulchra luna,
sidus eximium,
Solis vincens
fulgore radium,
Audi preces
te invocantium,
Sine mora
praebe auxilium.

33. Ave, mater
immensi pueri,
Benedictus
sit fructus uteri,
Qui destruxit
catenas inferi,
Quibus erant
oppressi miseri.

34. Arbor sancta,
plena virtutibus,
Liliorum,
rosarum floribus,
Quae dedisti
fructum fidelibus,
Ex quo vita
donatur omnibus.

35. Eva dedit
cunctis exsilium
Paradisi
excludens gaudium,
Reserasti
caeli palatium
Castitatis
per privilegium.

36. Salve, iubar
caelestis sideris,
Per quam patet
lux orta miseris,
Ordinibus
praelata superis,
Esto nobis
ductrix itineris.

37. Lux solaris,
lumen fidelium,
Salus ad te
confugientium,
Virgo sancta,
salvatrix omnium,
Caeli nobis
dona consortium.

38. Audi nostram
vocem, piissima,
Virgo mitis
et clementissima,
Delictorum
vi pressi maxima
Te precamur,
sanctorum optima.

39. Dei mater,
o virgo virginum,
Quae portasti
salutem hominum,
Vera cunctis
spes medicaminum,
Nos expurga
a labe criminum.

40. In te, virgo,
spes nostra ponitur,
Per quam daemon
ex toto vincitur,
Nam illius
caput conteritur,
Tuo pede
captivus premitur.

41. Erubescit
humani generis
Hostis nequam
et auctor sceleris,
Qui coniunctus
primum cum superis
Lapsus ruit
in ima carceris.

42. Et tu, virgo,
laetare maxime,
Quae sic thronum
sedis altissimae
Es adepta
vivens humillime,
Hostes nostros
potenter comprime.

43. Miraculum
magnum ostenditur:
Terra surgit,
spiritus labitur,
Illa gaudet,
iste confunditur,
Illa vivit,
et iste moritur.

44. Stella micans
plena fulgoribus,
Viam praebens
te intuentibus,
Emundatos
culparum sordibus
Nos catervis
iunge caelestibus.

45. Virgo sancta,
quae non ex semine
Concepisti
sed sancto flamine
Iesum Christum,
sanctorum agmine
Nos colloca
tuo iuvamine.

46. Virga Aaron,
quae tabernaculo
Floruisti
tanto miraculo,
Fructum praebens
captivo saeculo
Vitam tuo
largire populo.

47. Virga Iesse,
regali genere,
Cuius gaudet
redemptus munere
Totus mundus,
in Christi vulnere
Vitam velis
nobis acquirere.

48. Deprecare,
sanctorum gaudium,
Tuum, sancta
puella, filium,
Ut nos iungat
gregi caelestium
Bonus pastor
sanctorum ovium.

49. Mater, ope
succurre celeri,
Ne inferni
tradamur carceri,
Ut possimus
beati fieri,
Caeli nobis
ianuam aperi.

50. Nulla mala
in te cupiditas,
Nulla prorsus
laesit hostilitas,
In te mansit
perfecta sanctitas,
Vera fides
et vera caritas.

51. Plenitudo
divini muneris,
Quae per partes
praestatur ceteris,
Venit in te,
virgo, spes foederis,
Sicut imber
in lana velleris.

52. Nulla tibi
virtutum defuit,
Quarum in te
rex domum posuit,
Te caelestis
doctrina docuit,
Salvatoris
ut matrem decuit.

53. Novum quiddam
in mundo cernitur,
Nam de stella
sol fulgens oritur,
Tenebrarum
horrori ponitur
Finis, via
caelorum panditur.

54. Creatura
totius ordinis
Te fatetur
immensi nominis
Sublimatam
in throno numinis
Sine fine
beatitudinis.

55. Porta caeli
per Evam clauditur,
Gens humana
tormentis traditur,
Per te, virgo,
libertas redditur,
Et caeleste
regnum conceditur.

56. Hostis telo
livoris figitur,
Cum in caelum
plebs tua ducitur,
Vulnerando
maestus atteritur
Et de tuo
posse conqueritur.

57. Inde plaudit
caelestis curia
Exsultando
pro tua gloria,
Laudans Iesum,
qui fecit talia,
Admirando
eius magnalia.

58. Nostris, virgo,
faveto vocibus,
Angelorum
nos iungens coetibus,
Ut laudantes
te magnis plausibus
Exsultemus
cum sanctis omnibus.

59. Sanctitatis
ornata moribus,
Praemunita
virtutum floribus,
Virgo decens
et digna laudibus,
Creatoris
refulgens opibus.

60. Totam, virgo,
te sapientia
Perlustravit
sua potentia,
Cum descendit
divina gratia
In te monstrans
sua magnalia.

61. Carnem in te
cum Christus induit,
Nihil in te
tunc boni defuit,
Virginitas
tua sic floruit,
Creaturae
quod omni profuit.

62. Virgo, tuo
redempti munere
Non cessamus
psallendo reddere
Grates tibi
pro tanto foedere,
Quo nos Christus
dignatur visere.

63. Natos tuos,
o mater, libera,
Virgo manens
Christi puerpera,
Ne nos damnet
inferni vipera,
Quae in multos
exercet scelera.

64. Iamque tui
sumus nos filii,
Quos de luctu
trahens exsilii
Reduxisti
ad plausum gaudii
Per angelum
magni consilii.

65. Virgo manens
et mater regia,
Te beatam
fatentur omnia,
Meritorum
tot privilegia
Explicare
nequit ecclesia.

66. Angelorum
laudata modulis,
Universis
miranda populis,
Virgo cunctis
praelata saeculis,
Vitam tuis
acquire servulis.

67. Delictorum
compressa pondere
Mens humana
nequit sufficere,
Laudes tuas
ut possit dicere,
Quae nos ditas
divino munere.

68. Tu salutem
humano generi
Edidisti
de claustro uteri,
Per te, virgo,
vincuntur inferi,
Per te gaudent
in caelo miseri.

69. Cum creata
rex benediceret,
Tunc providit,
quod in te fieret
Deus homo,
qui nos redimeret
Et aeternos
in bono faceret.

70. Benedixit
in te tunc omnia,
Ex qua salus
et beneficia
Processerunt
et vera gaudia,
Paradisi
portus et gloria.

71. Quid dicemus
defecti viribus
Et compressi
delictis gravibus?
Si res omnes
resonent vocibus,
Tuis victae
succumbent laudibus.

72. Laudes tuae
momenta temporis
Et arenas
excedunt aequoris,
Renovatis
da vires corporis
Sensum mittens
in arcam pectoris.

73. Bonum nobis
confer ingenitum,
Ut possimus,
virgo, spes omnium,
Te laudare
tuumque filium
Et habere
caeli consortium.

74. Peccatorum
nos terge macula,
Nostra prece
tonantem sedula,
Ut nos sua
sustentans ferula
Vitae donet
caelestis pabula.

75. Nostrum decus
et nostrum gaudium,
Virgo sacra,
candoris lilium,
Rosa vernans
et potens omnium,
Sedem dona
nobis caelestium.

76. Eva dedit
pomum mortiferum,
Ex quo mundus
se sensit miserum,
Superasti
factorem scelerum,
Fructum vitae
dans salutiferum.

77. Quid valeret
nostra fragilitas,
Quam decepit
hostis caliditas,
Nisi esset
tua humilitas,
In qua sumpsit
carnem divinitas?

78. Ecce, pulchrum
bellum componitur,
Inter Satan
et te confligitur,
Sed captivus
ille convincitur,
Et pars tua
victrix efficitur.

79. Victrix gaudes,
et victus ululat,
Dolor eius
in dies pullulat,
Inde caelum
exsultans iubilat,
Plausum vero
mundus adcumulat.

80. Evam nequam
hostis admonuit,
Unde genus
humanum doluit,
Adam miser
in culpam corruit,
Dum praeceptum
servare noluit.

81. Ut per Evam
nostra perditio,
Sic per te fit
nostra redemptio,
Ut per Adam
mortis illatio,
Sic per Christum
fit restauratio.

82. Te laudare
beatam cupimus,
Sed in laude
tua deficimus,
Sensus noster
adhuc est minimus,
Cum nos de te
tanta conspicimus.

83. Nam si mundus
pagina fieret,
Et res omnis
in ea scriberet,
Laudes tuas
non comprehenderet,
Quia tot sunt,
quod non sufficeret.

84. Ergo quantum
movet invidia
Hostem saevum,
qui pro superbia
De supernis
lapsus in vilia
Vilis factus
est super omnia,

85. Cum te cernit
praelatam omnibus
Et se videt
mersum foetoribus!
Quantis, putas,
movetur tristibus,
Nobis nocens
in cunctis actibus?

86. Sed succurre
nobis celerrima,
Ne nos damnet
pars impiissima,
Argumenta
quae fraudum plurima
Tendit multos
ducens ad infima.

87. Benedicta
in mulieribus,
Te rogamus
immensis precibus,
Ne nos claudat
inferni faucibus
Daemon, suis
obsiste fraudibus.

88. Quando potest
quemquam decipere,
Tunc laetatur
pro tanto scelere,
Noli, pia
virgo, concedere,
Plebem tuam
quod possit laedere.

89. Tueatur
nos tua dextera,
Qua donabas
panem et cetera
Tuo nato,
qui rerum genera
Creavit reg-
nans super aethera.

90. Totus orbis
est tibi subditus,
Opem illi
confer divinitus,
Ne nos laedat
poenalis exitus
Nec malignus
inferni spiritus.

91. Super tua
plebe non gaudeat
Tuus hostis,
sed magis doleat,
Tua nobis
virtus praevaleat
Et in bono
semper nos teneat.

92. Theophilus,
o mater veniae,
In foveam
lapsus malitiae
Argumentis
misericordiae
Tuae nobis
adest potentiae.

93. Virtus nostra
iam paene deficit,
Saxa fraudis
et hostis obicit,
Mentem nostram
in multis inficit,
Gaudens cum nos
adflictos conspicit.

94. Tu illius
destrue gaudium
Donans nobis
Christi consortium,
Ut lugeat
inventor fraudium,
Et tu salves
gregem fidelium.

95. Tuam, mater,
serva ecclesiam
Omnem pellens
ab hac tristitiam,
Sempiternam
praebe laetitiam
Ad sanctorum
conducens gloriam.

96. Huius laudis
quisquis memoriam
Celebrabit
poscendo veniam,
Tu fac illi
misericordiam
Beatorum
donando gratiam.

97. Et nos tibi,
virgo, consocia,
Ut gaudentes
in tua gloria
Coram summi
patris praesentia
Decantemus
eius magnalia.

98. Trinitati
sit laus, potentia,
Honor, virtus
et excellentia,
Tibi, virgo,
summa laetitia,
Nobis autem
perfecta gloria.

Orat. ms. Caelestin. saec. 15. Cod. Parisin. 18571. — 4, 3 Laudesque tuas fari. — 77, 1 nostra humilitas. — Eine kürzere Fassung dieses Liedes findet sich Anal. VI, 53 ff. Dieselbe ist wohl aus den WW. Ulrich Stöcklins zu streichen.

47. Oratio ad beatam Mariam V.

1. Clemens et dulcissima regina caelorum,
Humanum praesidium, solamen dolorum,
Spes post Deum unica, sis memor tuorum
Et fac, ut in numero simus salvandorum.

2. Sis nostra protectio, mater illibata,
Fac, ut vita nostra sit nato tuo grata,
Et per te nos societ angelorum choris,
Qui nos emit pretio proprii cruoris.

3. Cunctorum peccaminum nobis impetrare
Apud Deum veniam, domina, dignare,
Cum Christus voluerit hinc nos transmigrare,
In caeli palatio fac nos habitare.

Cod. Londinen. Reg. 7 A VI. saec. $^{14}/_{15}$.

48. De beata Maria V.

1. Cor ad instar philomenae
Gaudens amet et amoene
Laudet matrem Domini,
Sonent voces ut sirenae,
Modulentur et serenae
Solvant laudes virgini.

2. Haec est porta paradisi,
Vas virtutis, vas obrizi,
Manna servans caelicum,
Haec est arca testamenti
Continentis et contenti,
Typum gerens mysticum.

3. Haec est rosa puritatis,
Lilium humilitatis,
Epicinum gratiae,
Haec est fomes caritatis,
Fons et rivus puritatis,
Antidotum veniae.

4. Haec est summa sanctitatis,
Summo gradu dignitatis
Mater regis gloriae,
Haec est decus honestatis,
Post decorem deitatis
Decor caeli curiae.

5. O caelestis philomena,
Vernans, amans et amoena
Dilecti phylacium,
O paradisi sirena
Mente modulans serena
Seraphinum gaudium!

6. Stella maris, Maria,
Portus paris nescia,
Sola spes post filium,
Tu transfer duce gratia
Nos ad beata gaudia
Post carnis exsilium.

Cod. Trecen. (ol. Claravallen). 1612. saec. 15. — 3, 3 Epycinum. — 5, 3 phylorticum. — Der Haltung nach vielleicht Sequenz.

49. Ad beatam Mariam V.

1. Cum iubemur et tenemur
Deum in sanctis colere,
Matris laudem praeter fraudem
Nos decet eius molere
Molis oris cunctis horis,
Nam laudum est dignissima,
Vas honoris, flos pudoris
Et stella lucidissima.

2. O Maria, pyxis pia
Apothecae caelicae,
Ex qua dia theoria
Ceu fecit angelicae
Mellicatum zinzibratum
Incarnati filii,
Cuius dosis plus est rosis
Et fraglans odor lilii.

3. Tu divina medicina,
Virgo benigna, crederis,
Nam syropum et hysopum
Novi ministras foederis,
Apothecae sine faece
Vas pulchrum sine macula,
Da claretum cordi letum
Livoris absque facula.

4. Tu languores et errores
Aufer, apothecaria,
Ad medendum et delendum
Hos fer electuaria,
Unguentorum sanandorum
Vas aperi, cellaria,
Aegrotorum devotorum
Ut curetur lipparia.

5. Nos inflexat et invexat
Febrilis castrimargia,
Apoplexat et convexat
Corporalis letargia,
Hos rigores et tremores
Rosarum encathismate
Molli, mitis virgo, litis,
Nos et ab omni schismate.

6. O, piatis fove gratis
Legis et aporimate
Ac obscura cordis dura
Madescens epitimate,
Spei satis, caritatis
Ac fidei colliriis
Tuos vernas hic gubernas
Et a falsis suspiriis.

7. O mencastrum, facemplastrum
Nostrae mentis vulneribus,
Cura spasmum et thenasmum
Noxae tuis muneribus,
Nos praeservet et conservet
Clementia tis nimia,
Ne succidat et collidat
Nos celer epidimia.

8. Sion nata, salve, grata,
Confectum, philanthropos,
Post te gyrat et suspirat
Gemens et flens anthropos,
Te honorat et implorat
Christicolarum natio
Et exorat, ut his rorat
Caeli dulcis potatio.

9. Tibi iunge, quos et unge
Cum oleo rosaceo,
Quos hic munge et compunge
In huius vitae spatio,
Ut purgemur et curemur
Ab omni peste criminis,
Quod vocemur et locemur
In arce caeli luminis.

10. Cum clysteri tu severi
Cordis purga serpiginem.
Esu lata dosi grata
Sanans mentis vertiginem,
Tu guttosis, calculosis
membra madescas horrida,
Ne brancosis tremulosis
Gutta notescat torrida.

11. Nam egentes et degentes
Peccati nos disuria
Nimis urget atque turget
Omnis boni xemiria,
Linitivo quodam divo
Aufer omnem lentiginem,
Mentis nigrae atque pigrae
Poli cunctam rubiginem.

12. A morbillis et scintillis
Muni nos herisipilae,
Cladis fortis atque mortis
Ne nos captent decipulae,
Tu staporem et tremorem
Aufer a podagricis,
Operandi quoque dandi
Vim confer chiragricis.

13. Mel rosatum, degustatum
Circa dilectum filium,
Impertire nobis mire,
Mater, post hoc exsilium,
Ut utamur et fruamur
Zuccarae fiolatio,
Panis vitae sine lite
In caelesti palatio.

14. O Maria, virgo pia,
Tolle meas aporias,
In hac via dextra dia
Mis cordis purgans scorias,
Impolitae, maestae vitae
Quod post huius stadium
Cernam statim oculatim
Sceptritenentis radium.

15. Mater lustri, me perlustri,
Cum medicina satia,
Ne palustri seu amplustri
Satan regar fallacia,
In me tument et consument
Vitam acrocordines,
Ne me caedant atque laedant,
Christifera, sic ordines.

16. Nam me festant ac infestant
Morbosa flagitia,
Quae non lavant, sed me gravant
Per multa supplicia;
Informare me dignare
In virtutum topicis
Et curare me salvare
A pestibus hydropicis.

17. Iera pigra laxa nigra
Cordis atque catholicon,
Ut compungar, satis ungar
Confessus apostolicon,
Ad agalma quod cum palma
Conscendam sanus caelicum
Et in dia theoria
Manna mandens angelicum.

18. Me fecundes et emundes
Contritionis vomere,
Ut fiscosum et venosum
Possim phlegma evomere,
Sparaginas in me sinas
Radices non excrescere,
Verbum Dei, regis mei,
Quae faciunt arescere.

19. Sed meorum vitiorum
Stringatur diffidentia,
Phlegetontis, Acherontis
Ut evadam cantheria,
Fervor luxus, irae fluxus
Incendunt cardiacam,
Interpola quam te sola,
Ne procuret hyliacam.

20. Cor adflictum et constrictum
Peccatorum asmate,
Mater, cura et secura
Sacro cataplasmate;
O benigna, laude digna,
Vulneribus pestiferis
Sauciatus, mutilatus
Et pestibus mortiferis,

21. Te imploro et exoro
Complosis meis manibus,
Ut aegrotum me iam totum
Eruas a manibus
Et per vanum mundi sanum
Me serves temporaliter,
Post conamen tecum, Amen,
Ut vivam aeternaliter.

Cod. Londinen. (ol. Vratislavien.) Add. 18922. saec. 15.

50. Oratio devota ad BVM.

1. Cur peccator desperem veniam,
Cum Mariam dulcem recogito,
Qui Mariae colo memoriam
Et Mariae sacra revisito?
Meam novit mater miseriam,
Et ad matrem ire non haesito,
Nosco matris immensam gratiam
Et ad mensam maternam mussito.

2. Cerne, virgo, cur Dei filius
In te verum se fecit hominem
Et te, virgo, qua nihil sanctius,
Puram semper reliquit virginem;
Cur cor tuum pertransit gladius,
Cum pro nobis effudit sanguinem
Et per tuum ave suavius
Vitae reddit Evae propaginem?

3. Cur, regina, caelis praesideas
Assueri iuncta coniugio
Et terrarum iura possideas
Angelorum iuncta collegio?
Si, regina, nostri non egeas,
Dum regali sedes in solio,
Te promotam pro nobis videas,
Qui vexamur in hoc exsilio.

4. O Maria, clientes respice
Et supporta gravamen oneris,
Felix mater, suggesto iudice
Tuis natis succurre miseris;
Semper, virgo, nos castos effice
Tela frangens serpentis veteris
Et, regnatrix, nos tuos refice
Dulci fructu, quo dulcis frueris.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343. saec. 14.

51. De beata Maria V.

1. De spineto nata rosa,
Arbor vitae speciosa,
Ave, plena gratia,
Nos ad lucem verae lucis
Levas, trahis et perducis
Ducens via regia.

2. Specialis eminenter,
Singularis excellenter
Emines virtutibus,
Flos et lumen es sanctorum,
Sed et luce angelorum
Praemines ordinibus.

3. Aaron virga tu fuisti,
Florem, fructum protulisti
Stupendo miraculo,
Deum paris illibata
Post et ante sigillata
Veri regis annulo.

4. Ergo, virgo tam beata,
Multis signis praemonstrata,
Nobis sis propitia,
Aufer iras et dolores,
Mentes fove, forma mores
Pietatis gratia.

5. Piae matris pia proles,
Hic purgato, quando voles,
Tranfer nos ad supera,
Piae matris pia prece
Tu nos a secunda nece,
Pie Iesu, libera.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375, an zwei Stellen A u B. — 1, 1 Vale de spineto nata rosa A; Vale virgo nata rosa B. — 1, 2 Arbor fehlt A. — 1, 3 Vale plena B. — 3, 4 paris eius nata A. — 4, 4 et languores B. — 4, 5 Mentem munda forma B. — 5, 4 matris fehlt A. — Vielleicht Sequenz.

52. De beata Maria V.

1. Digna laudum carmina,
Vocum modulamina
Nostra sonent agmina
Tibi, caeli domina.

2. Vera cuius nomina,
Patris parens femina,
Supra caeli culmina
Stola gaudens gemina.

3. Luce vincens lumina,
Vere videns numina,
Revelans velamina
Legis et volumina.

4. Fac pro nobis famina,
Ut tua precamina
Sint nobis iuvamina,
Quae nostra peccamina

5. Deleant et crimina;
Insultus extermina,
Reatus elimina
Mundique molimina.

6. Contra fastus fulmina,
Motuum discrimina,
Babylonis flumina
Da salutis omina,

7. Spei delectamina,
Fidei regimina,
Caritatis tegmina,
Virtutis libamina,

8. Panis vitae fragmina.
Caecum cor illumina,
Tristi luctum termina,
Sere morum semina,

9. Rege, fove germina;
Post mundi certamina
Lucis intra limina
Pia prece nos mina.

Orat. ms. Domus Novae Lucis. anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 2, 4 Stella gaudens. — 6, 3 fulmina. — 7, 4 Virtuti. — Dem Liede geht in der Hs. folgende nicht zugehörige Strophe voran:

Vale, plena gratiae,
Fons misericordiae,
De caelis nos respice,
O Maria.

53. De beata Maria V.

1 a. Dulci voto, laeta fide
Festo mentis cor arride,

2 a. Laudum melos citharizet,
Risu mentis cor hymnizet
In concentus iubilo,

3 a. Cordis clamor solvat ora,
Et erumpens vox sonora
Aurem melle compluat,

4 a. Mentis hiems et algores
Cordis [luctus] et languores
Cedant et tristitiae,

5 a. Sensus laudis in feturam
Floreat,
Virginalem genituram
Proferat.

1 b. Suavis soni vox sapore
Epuletur et dulcore.

2 b. Flores mentis vox peroret,
Cordis auster os irroret
Flatu rigans nubilo.

3 b. Et exclamans mens canora
Ab interna cordis hora
Laudis horas induat.

4 b. Cordis aestas det vigores,
Et ver mentis alat flores
In risu laetitiae.

5 b. Vagientes belli iura
Dimicant,
Clara fides et natura
Litigant.

6a. Hic in partu castam videt,
Virginalem hic deridet
In parente flosculum,

6b. Hic expulsa mentis lite
Virgo, matris nomen mite
Pacis tenent osculum.

7a. Artem fides superavit
Et humanam proculcavit
Rationis meritum,

7b. Vis occurrit hic naturae,
Nam divino fracto iure
Suum flet interitum.

8a. Huius partus in censura
Silet ergo ratio,
Tacent leges, cadunt iura,
Logicae probatio,

8b. Nec rhethoricae pictura
In ornatu proficit,
Argumenti vis impura
Citra metam deficit.

9a. Exceptatam iuris formam
Virgo mater recipit,
Dum in prole partus normam
Et naturam decipit.

9b. Sensualis hic anhela
Latet inquisitio,
Quomodo fit haec quaerela,
Deficit editio.

10a. O rosae flos,
Quam caeli ros
Tam mire irrigavit,
In fructum fecundavit.

10b. O vitae dos,
Qua felix mos
Te praeglorificavit,
In partu decoravit.

11a. O vas divini numinis,
Quae solem veri numinis
In orbem produxisti,

11b. O Gedeonis area,
Rore Dei nectarea,
Quem virgo genuisti.

12a. Tu virga Iesse florida
Per rubum praesignata,
Tu cella Dei rorida
De David stirpe nata.

12b. Tu turea, purpurea,
Tu pudor virginalis,
Tu gemmea, pampinea,
Tu decor festivalis.

13a. O vernalis,
Dulcedo sensualis,

13b. O lustralis,
O spes fiducialis.

14a. O flagrantia,
Spiraculum odoris,

14b. O praestantia,
Signaculum pudoris.

15a. Empyrea, siderea,
Vestibulum decoris,

15b. Tu stellea, tu mellea,
Latibulum fervoris.

16a. Amabilis, orabilis,
Tu mitis consolatrix,
Tu pacis mediatrix.

16b. O vera pax, ignita fax,
O veniae donatrix,
Humilium salvatrix.

17a. Tu thymiama gloriae,
Tu murra festivalis,
Tu cinnamomum gratiae,
Tu nardus genialis.

17b. Tu cinnamum fragrantiae,
Tu balsamus vitalis,
Tu sapor odorabilis,
Tu odor olivalis.

18a. Dulcis amor nuptialis
Et amplexus tu legalis,
Formae decor matronalis.
O mentalis levitas.

18b. Dulcor cordis tu nativus,
De quo fonte rubor vivus
Prodit, tu salutis rivus,
O veris amoenitas.

19 a. O diescens per inane
Caeli fulgor, rubrum mane,
Cordis nubes et profanae
Mentis umbras abige,

19 b. Ut in corde te vidente
Moto voto, mente flente
Lamentemur et intente
Locum demus veniae.

20 a. Salve, veris flos decorans,
Favus stillans ac dulcorans,
Liquor caeli melle rorans,
Praedulcis securitas.

20 b. Ave, gemma candidata,
Tu crystallus inaurata,
Labe nulla deflorata,
Semper florens puritas.

21 a. Matutina lux rubescens
Et aurora refulgescens,
De qua mundo sol ignescens,
Deus homo prodiit:

21 b. Fulgor noctis tu lunaris
Et in luce lux solaris,
Solem mundo stella paris,
Per te salus rediit.

22 a. Auri prima redit aetas
Et decursas quaerit metas,
Hanc, virgo, reciprocas;

22 b. Per te sidus ioviale
Mundo praebet se pacale,
Tu austerum revocas.

23 a. O in matre permansura,
Nulla sua perdens iura,
Augusta virginitas;

23 b. Rosa florens in rubore,
Flos humescens vivo rore,
Quem rigavit trinitas.

24 a. Virga Iesse te vitalis,
Fructu, flore genialis,
Res quondam prodigialis
Praesignavit typice.

24 b. Nam per florem figuraris,
Virgo mater appellaris,
Cum in fructum complantaris
Per Ave mirifice.

25 a. Ave, verbum actuale,
Sempiterna laude vale,
Tu conclave virginale
Regi regum fecunditas.

25 b. O miranda partus iura,
O quam digna, o quam pura,
Quam miratur et natura
Et sensus profunditas.

26 a. Hic altiloqui Platonis
Sensus hebet, Ciceronis
Et vox Publii Maronis
In loquendo deficit.

26 b. Nulla prosunt artis tela,
Nihil agit hic loquela,
Sed arcana Dei vela
Sola fides perspicit.

27 a. Novum opus geniturae
Sibi sumit opifex,

27 b. Artem fallit hic naturae
Ipse summus artifex.

28 a. O digna credulitas!

28 b. O credenda dignitas!

29 a. Res probanda, mira iura,
Quod humana sub figura
Deus homo latuit,

29 b. Quod sub alga rosa luxit,
Gemmam lutum quod obduxit,
Quae non minus patuit.

30 a. Caelum terrae se conclinat,
Petra caeli mel propinat,
Umbra soli iungitur,

30 b. Cedrus latet sub hysopo,
Lux in fumo, tali tropo
Terra caelo fungitur.

31 a. O scintillans lux in caelo,
Non caligans umbrae velo,
Omni puro purior;

31 b. Planta rore tu imbuta,
Imbre Dei tu perluta,
Secura securior.

32 a. Vena fontis expers limi,
Rosa rubens, vigor thymi,
Tu cella vinaria,

33 a. Planta dulcis adoptiva,
Fructu, flore, fronde viva,
Fel antiquum et nociva
Primae stirpi temperas.

34 a. Deum paris, virgo pura,
Ut praedixit in figura
Isaias primitus.

35 a. Flos pudoris non marcescit,
Quem post partum bruma nescit
Et humana vanitas,

36 a. Florens hortus et conclusus,
Dulcis fructus gerens usus,
Fons signatus,
Vitae status,
Tu oliva germinans.

37 a. Tu frondosa tilia,
Dans umbracla milia,
Fonte vivo rigua;

38 a. Tu Dei sacrarium,
Noctis luminarium,
Tu illustris claritas,
Tu veris hilaritas,
Lux soli contermina.

39 a. Tu post ventos hiemantes
Aestiva serenitas,

40 a. O sub umbra grata quies,
Fontana viriditas,

41 a. Tu fervoris aestuosi
Opacans temperies,

42 a. Flante terris aquilone
Tu lenis caliditas,

43 a. Odor floris, flos odoris,
Dulcis odoramine,

44 a. Ave, rosa vigorosa,
Tu columna pietatis
Et alumna deitatis,
Tu candoris lilium.

45 a. Quos ad ortum tuae laudis
Mundi dulcor suae fraudis
In occasu nubilat,

32 b. Quae distillas caeli rorem,
Dei nectar et liquorem,
Plena laude varia.

33 b. Nata patrem, parens natum,
Homo Deum humanatum,
Ante tempus generatum
Virgo manens generas.

34 b. Salve, decus virginale,
Te signavit figurale
Vellus madens caelitus.

35 b. Sed qui fuit, idem manet,
Nec excessus aestu canet,
Prima manet sanctitas.

36 b. Mitis, decens, elimata,
Igne Dei tu flammata,
Purpurata,
Sublimata,
Evae cladem terminans.

37 b. Eia, virgo decorata,
Fronte, genis, ore grata,
Tu Deo contigua.

38 b. Tu rosa candidula,
Austro caeli stridula,
Cuius rorans folium
Vile nescit lolium
Et sinistra germina.

39 b. Post procellas fluctuantes
Tu pacis amoenitas.

40 b. Vernans radiosa dies,
Fervoris algiditas.

41 b. Mundi salus ruinosi,
Post maerorem requies.

42 b. Cum sol ardet in leone,
Tu grata frigiditas.

43 b. Flos in rore, ros in flore,
Vernans Austri flamine.

44 b. O si mentem vox sequatur,
Si per linguam constringatur,
Quod cor intus meditatur,
O mater humilium.

45 b. Duc in pacis orientem
Post terrarum occidentem,
Ubi vita iubilat.

46 a. Quos adversans caro laedit
Et ferrugo criminis,

46 b. Quos ab horto culpa cedit
Paradisi liminis.

47 a. Laudem tibi mens progignit,
Amor nutrit et insignit,
Quae vox extra parturit.

47 b. Quod concepit mens fetosa,
Foris lingua dulci prosa
Loquens melos scaturit.

48 a. Tu naturae suavitas,
Auctorum felicitas,
Dulcis morum gravitas.

48 b. Regalis humilitas,
Tu dulcis moralitas,
Viva sensualitas.

49 a. O solamen, temperamen
Gratiae,

49 b. Tu medela et tutela
Veniae.

50 a. Aura caeli flatu lenis,
Siccis plue cordis venis
Vigorem germineum,

50 b. Mundi vanos tolle flores,
Labyrinthum et errores,
Tu decus virgineum.

51 a. Casta, decens, fructuosa,
Tua prole gloriosa,
Pia mater generosa,
Da salutis praemium;

51 b. Virga veris genetiva,
Imperatrix caeli diva,
Plue tuis donativa,
Pandens opis gremium.

52 a. Nominosa caeli dea,
Dei mater et idea,
Caeli clara lumine,

52 b. Radix vento, rore lento,
Madidata, fecundata,
Plena Dei numine.

53 a. Ach, quis sapor, quam saporas,
Qualis vapor, quam vaporas;
Irrigamen gratiae,

53 b. Decor formae puellaris,
Decens pudor tu sponsalis,
Clara rubens facie.

54 a. Uva mellis, plena rore,
Ventilata rosae more,
Ubertatis satio,

54 b. Stella maris, favi stilla,
Fluctuantes nos tranquilla,
Portuosa statio.

55 a. Duc ad litus nos de ventis,
Lux serenans diem mentis,
Convivatrix animae,

55 b. Eia, veris temperamen,
Leni corda dans spiramen
Et decus magnanime.

56 a. Ave, decens et festiva,
Semper felix et votiva,
Melos te glorificet;

56 b. Laus sit tibi, Deo grata,
Cuius parens es et nata,
Mundus te magnificet.

56 c. Cordis fonte, da, promanans
Rivus, carnis morbum sanans,
Animam vivificet.

57 a. Eia, precum imbre natum
Redde mitem et placatum,
Virgo, lex emphatica,

57 b. Iuventutis nostrae ratem
Duc per mundi tempestatem,
O mater probatica.

58 a. Arce remo castitatis
Nos ab esu vanitatis
Et caenosis fluctibus,

58 b. Redde portum vitae sanctae,
Vento caeli nos perflante
Duc de mundi luctibus.

59 a. Oris candor spondens risum,
Te videntis pascens visum,
Serenatrix cordium,

59 b. Tu aurora, mentis risus,
Vernans cordis paradisus,
Salutis exordium.

60 a. Cibus cordis epulantis,
Nectar mentis iucundantis,
Quod decorem procreat,

60 b. Da inundans fletus rivo
Cordis vultus te votivo
Plangore demulceat.

61 a. Dei nata, natum roga,
Ut nos pressos carnis toga
Veste caeli poliat,

61 b. Quos Dione dulci felle
Et fellito luxus melle
Visu mentis spoliat.

62 a. Algescentes crimine
Nos dulci nutrimine
In salutem corrige,

62 b. Anxiatos onere
Da mundana ponere,
Fessis opem porrige.

63 a. Pravis subveni,
Abigail virtutis,

63 b. Regis iram praeveni
Precibus virtutis.

64 a. Vera Iahel gloriae,
Sisaram pertunde

64 b. Et clavo victoriae
Spem tuis refunde.

65 a. Novae Iudith gratiae
Nos ab Holoferne

65 b. Salves, hostem animae
Gladio prosterne.

66 a. Nos in fine, virgo, nosce,
Sanctum manna nobis posce,
Dulcem alimoniam,

66 b. Ne qui fluctu nunc iactamur,
Tunc infernae patiamur
Luis acrimoniam.

67 a. Nos in mortis agonia,
Caeli dea, vitae via,
Luctantes non deseras,

67 b. Post mundi calamitosa
Caeli semper radiosa
Da, quae caelum reseras.

68 a. O quae mentem Dei sentis
Et in libro Dei mentis
Cursus mundi prospicis,

68 b. O quae vides vitae metas,
Tam futuras quam impletas,
Tu quae noym conspicis.

69 a. Tolle mitis variam
Poenam carcerariam,
Nec gementes despice,

69 b. Luctuosum, labilem,
Mundum inamabilem
Pio vultu respice.

70 a. Tu, regina, caeli domo
Nunc elata, quondam homo
In delicti nostri pomo,
Summo regno fungeris.

70 b. Nos in pomo culpa stravit,
Casus noster te beavit
Et in regnum sublimavit,
Ubi Deo iungeris.

71 a. Ergo iura pietatis
Redde, mater, tuis natis,
Labe carnis infuscatis,
Sic te matrem induis.

71 b. Tuos natos dissentire
Per quemcunque motum irae
Si concedis, potes scire,
Quod te matrem exuis.

72 a. Turris David clippeata,
Labe nulla superata,
Neque flamma devastata
Nec carnis incendio,

72 b. Da, praelata caeli thronis,
Ne tyrannus rationis
Placans felle laesionis
Et tristi dispendio,

73 a. Amor carnis intestator,
Castitatis expugnator,
Visum mentis debriet,

73 b. Ne iuventae sensus hebens
Et iocorum dona praebens
Male cor inebriet.

74 a. Da, quod luctum risus [pendat],
Quod timorem spes defendat,
Desperare prohibe,

74 b. Quod primaeva mens senescat,
Quod a labe cor desuescat,
Carnis iura prohibe.

75 a. Ne vitandum auris bibat,
Nec os animam proscribat
In infando famine,

75 b. Stultum visus ne venetur,
Nullo vili superetur
Naris odoramine.

76 a. Nos in cymba pietatis
Et in transtro sanctitatis
Per fluctus humanitatis
[Duc ad portum deitatis]
Post haec transitoria,

76 b. Post iacturas tempestatum
Portum caeli redde gratum;
Posce nobis sanctum pneuma,
Ut per laetum te celeuma
Canamus in gloria.

Cod. Londinen. Arundel 374. saec. $^{13}/_{14}$. — 2b, 3 rigam. — 4b, 1 Cordis hostas. — 5b, 1 Vagentes. — 7a, 3 Rationi. — 22b, 4 austeram. — 25b, 2 o fehlt. — 44a, 3 dei pastis. — 46b, 1 ab orto. — 50a, 2 Sicce plue. — 53a, 1 saporans. — 53a, 2 vaporans. — 55b, 2 Lene. — 59a, 2 videntes. — 60b, 1 fletis. — 63a, 1 Pramis subveni. — 73a, 2 descendat.

54. Oratio ad beatam Mariam V.

Felix mater, ave, qua mundus solvitur a vae,
Quae genetricis Evae vae facis esse breve.
Salve, sancta parens, virgo mundi reparatrix,
Omni labe carens, clemens hominum miseratrix.
Salve, munditiae speculum, flos virginitatis,
Caelestis patriae splendor, templum deitatis.
Salve, flos florum, rosa primula, virgo suavis,
Spes peccatorum, fons vitae caelica clavis.
Sacra pincerna veniae, regina superna,
Solis lucerna, precibus nos, virgo, guberna.
Virgo Deo digna, virgo pia, [virgo] benigna,
Contra luctamen hostis mihi ferto iuvamen,
Ut sanctum flamen hic assit, funde precamen.
Sancta maris stella, felix fecunda puella,
Hanc cellam signa, propellens cuncta maligna.
Fac me sub cella sic omnia ferre flagella,
Ut vitiis purus teneam, quem sum petiturus,
Et cruce securus pergam sub ea moriturus,
Et cum decedam mundo, cum laude recedam,
Ne Belial praedam capiat de me sibi foedam,
Hoc praestet munus, qui regnat trinus et unus.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20002. — 19. Das Wort mundo ist in der Hs. unleserlich und ruht auf Coniectur.

55. De beata Maria V.

Flos florum, fons hortorum, regina polorum,
Spes veniae, lux laetitiae, medicina dolorum,
Virga recens, virgo decens et forma bonorum,
Parce reis, opem fer eis, in pace piorum
Pasce tuos, succurre tuis, miserere tuorum.

Collect. ms. Hemmenrodense saec. 15. Cod. Vindobonen. 4781. — 4 pacem Hs.

56. De beata Maria V.

1. Gaude, casta mater Dei,
Decus mundi, lux diei,
Angelorum gloria,
Porta patens, aula caeli,
Quae fideli Gabrieli
Credidisti nuntia.

2. Deo patri placuisti,
Dum ancillam te dixisti,
Virgo clementissima,
Salvatorem concepisti
Et intacta permansisti,
Virgo prudentissima.

3. Regem regum tu lactasti,
Hic te fecit, quem portasti
Tuis in visceribus;
Inter omnes collaudaris
Benedictaque vocaris
Tu in mulieribus.

4. Fidem sola conservasti,
Morientem, quem portasti,
Tu vidisti, Maria;
Temporalem pertulisti
Mortem, virgo, dum vidisti
Vexilla regalia.

5. Virgo mater pietatis,
Fidem sanctae trinitatis
In nobis corrobora,
Ne post sensus naturales
Inimici speciales
Nostra premant pectora.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — Vielleicht Sequenz.

57. De beata Maria V.

1. Gaude, felix Maria,
Tota plena gratia
Conceptus exordio;
Gaude, felix regia,
Tota plena gloria
Ventris tui medio.

2. Gaude, felix gemmula,
Refulgens per saecula,
Flos sine contagio;
Gaude, felix virgula,
Sanctitatis regula
Carens omni vitio.

3. Gaude, felix nesciens
Virum et concipiens
Dominum cum gaudio;
Gaude, felix pariens
Integra, non sentiens
Poenam puerperio.

4. Gaude, felix civitas,
In qua sancta trinitas
Trino sedet solio;
Gaude, felix deitas
Et caro sunt unitas
Caelesti coniugio.

5. Gaude, felix fecunda,
Tibi non est secunda
Cum pudoris lilio;
Gaude, felix et munda,
Carnis curans immunda
Castitatis radio.

6. Gaude, felix femina,
Caeli claudens limina
Ventris in sacrario;
Gaude, felix domina,
Cuius caeli culmina
Flectuntur imperio.

7. Gaude, felix, ubera
Per caelorum munera
Plena praebens filio;
Gaude, felix, dextera
Dei super sidera
Sedens throno regio,

Ubi, virgo tenera,
Purget nostra scelera
Tua intercessio.

Orat. ms. Carth. Hildesheimen. saec. 15. Cod. Iosephini Hildesheimen. 3 (6). A. — Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. $^{14}/_{15}$. B. — 1, 4 regina A. — 4, 4 Sic ventre deitas A. — 4, 5 Cum carnem sumit unitas B. — 4, 6 In beato gaudio B. — 5, 4 Nam caro tua A. — 5, 5 curat A; Carne carens B. — Statt Str. 7 hat B die folgende:

Gaude, felix, ex more
Divino plena rore
Ubera dans filio;
Gaude, felix, honore
Sedens cum creatore
In caeli palatio,

Ubi Christi dulcore
Fruamur et amore
Dono tuo regio.

58. De beata Maria V.

1 a. Gaude, gemma virginum,
Prima salus hominum,
Nondum nata consecraris;

1 b. Gaude, quae dum nasceris,
Sancto mox depasceris
Spiritu, quo obumbraris.

2 a. Gaude, Maria, laetaris
Verbo, per quod fecundaris,
Gabriel quod edidit;

2 b. Gaude, Maria, quae paris
Filium, quo tu crearis,
Quique cuncta condidit.

3 a. Gaude, virgo venerata
Tribus magis, adorata
Tribus donis et personis,
Nato sollemnissima.

3 b. Gaude, templo praesentata
Dudumque desiderata,
Consecraris et laetaris
Prole sacratissima.

4 a. Gaude, regina caelorum,
Tibi paret angelorum
Cunctorumque dominus

4 b. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

5 a. Gaude, Maria, quae natum,
Iesum tuum, morti datum,
Post mortem glorificatum
Partum das laetitiae.

5 b. Gaude, felix advocata,
Nobis miseris parata,
Arrha vitae nuncupata,
Fons misericordiae.

6 a. Gaude, mortis calcans statum
Caeli transis ad ornatum,
Corpus gerens cumulatum
Sempiterna gloria.

6 b. Gaude, caelos ut intrasti,
Tu Seraphim decorasti,
Tu Cherubim illustrasti,
Supernorum domina.

7 a. Eia, pia mater Dei
Et hominis quoque rei
Vivum patrocinium,

7 b. Tuis natis tuum natum,
Bona mater, da placatum
Nunc et post hoc exsilium.

Orat. ms. Carthus. Hildesien. saec. 15. Cod. Iosephini Hildesheimen. 3(6). — 1, 6 umbraris. — 6, 7 Tu fehlt. — 7, 2 hominisque rei.

59. Oratio ad beatam Mariam V.

Gaude, maris stella, Iesse de stirpe puella,
Quam de gente David virtus divina vocavit,
Ut verbo patris fieres substantia matris,
Et pareres Christum, qui mundum solveret istum,
Sic etiam pareres, ne virginitate careres.
Foedere digna pari genetrix tibi virgo vocari,
Te voco, virgo pia, supplexque requiro, Maria,
Ut miseri curas divinis ignibus uras.
Sum miser, obscaenus nimiaque putredine plenus,
Complue peccatis caelestis aquas pietatis
Facque tuo lotum dulci medicamine totum,
Quidquid post sacrum commisit culpa lavacrum,
Qui per me labor, nunquam sine te revocabor.
Porrige, virgo, manum subito me faciens sanum,
In partem laevam, quem traxit culpa per Evam.
Placare irae, quibus illam vis aperire,
Cum sub extremo poterit succurrere nemo.
Quis faciet tutum turpissima quaeque secutum,
Ni mihi tutelam des iudicis ante quaerelam?
Cum mundus flebit, cum terra polusque timebit,
Sola potes terrae miseris suffragia ferre.
Sors ubi sanctorum desperat opem miserorum,
Flectitur irati per te sententia nati.
Illud ad examen misero concede iuvamen,
Sentio damnari, si differs auxiliari.
Iam datus ad mille tormenta Theophilus ille
Per te salvatur Christoque reconciliatur.
Hic ita peccavit, quod Christum teque negavit,
Nec caruit venia te virgo iuvante Maria.
Ego peccator, non corde vel ore negator,
Credo salvari per teque reconciliari,
Propter peccantem si vis orare tonantem.
Hoc, sacra, dispone, quod transferar ex Babylone,
Fac, pia, Ierusalem conscendere spiritualem,
Pax ubi succedat, quam nulla calumnia laedat,
Rex ubi virtutis fit potus et esca salutis,
Lux ubi reginae sit aperta mihi sine fine.
Ante redemptorem sortita sedis honorem,

Vox peccatoris te flagitat, aula pudoris,
Ad caeli numen metuentis flectere lumen
Et nil audentis de nomine cunctipotentis.
Audi clamantem, te, virgo beata, vocantem,
Sed ne turberis, quod ab illius ore voceris,
Qui vitiis foedus mollis pertransit ut hoedus,
Penitus errorum iam foetet ineptia morum.
Labilis et vanus sum plus quam quatriduanus,
Suscipe conversum, noviter Babylone reversum,
At male deceptum fac cum pietate receptum.
Si veniam posco, si flens mea crimina nosco,
Non ego damnari, non debeo iam reprobari;
Nam decet auctorem non exercere furorem,
Iam debet pietas odiis imponere metas.
In te sperantem non vidi, virgo, vacantem,
In te iactatum non vidi ludificatum.
Me tibi commendo, reus ad te, spes mea, tendo,
Erige labentem, culpis absolve foetentem,
Offensum natum mihi redde reconciliatum.
Si merso mundo tenebris mortisque profundo,
Sancta parens Christi, dare praesidium potuisti,
Si plures stellis animas a morte revellis,
Quam vetus illorum transfundit culpa duorum,
Ergo mihi soli „non possum“ dicere noli.
Par tibi maiestas et adhuc manet ipsa potestas,
Post tantum munus levius salvabitur unus.
Nec dicas natum fessum tam saepe rogatum,
Vult mediatricem Deus esse suam genetricem,
Qui se pulsari, pro peccatore rogari
Non indignatur, sed cum petitur, miseratur.
Qui super errantum gaudet revocamine tantum,
Quo miserante bonis sors est coniuncta latronis,
Qui Lazarum flevit, triduana morte quievit,
Praeda superborum cum sit pro morte reorum
Perlatae fortis Iesu de munere mortis.
Dans mundo pacem fac me, regina, capacem,
Simque redemptorum per te concivis eorum,
Pro quibus est Iesus mortali corpore laesus.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

60. De beata Maria V.

1. Gaude, mater salvatoris,
Mater salutifera,
Spes Maria peccatoris,
Virgo et puerpera.

2. Salve, rosa sine spina,
Salve, Iesse virgula,
Cuius fructus nostri luctus
Relaxavit crimina.

3. Virga, rubus appellaris,
Flos, fenestra, ianua,
Mater Dei, lux solaris,
Iesse stirps ingenua.

4. Digna Deo, interpella
Pro nobis, o Maria,
Prece tua ut ad sua
Nos ducat palatia.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 4, 1 Digna nobis. — 4, 2 nobis ora Maria.

61. De beata Maria V.

1. Gaude, mater, vitae portus,
Ex qua mundo sol est ortus,
Qui salvavit saecula,
Virgo semper tu fuisti,
Virgo Deum genuisti
Sine viri copula.

2. Salve, per quam aperitur
Caeli porta et finitur
Mundana tristitia,
O quam bonum idem Ave,
Quam praeclarum, quam suave,
Per quod datur gratia.

3. Ave, summi mater regis,
Quae cum nato cuncta regis
Mira cum potentia;
Ave, quae cares simili,
Isti catervae debili
Sis semper propitia.

4. Per te, virgo, conferatur
Nobis salus, concedatur
Peccatorum venia;
Pie Iesu piae matris,
Dona nobis regna patris
In caelesti gloria.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — Vielleicht Sequenz.

62. De beata Maria V.

1. Gaude, mitis, gaude, pia
Dei genetrix Maria,
Gaude, dulcis et serena,
Gratia, gloria plena.

2. Tota pulchra, tota bona,
Summi regis in corona
Gemma fulgens ut formosa,
Super omnes gloriosa.

3. O regina coronata,
Cunctis gemmis adornata,
Gaude semper et laetare
Et in Deo gloriare

4. Eo, qui te coronavit
Et in caelis sublimavit,
Summo throno collocavit,
Gloriose coronavit.

5. Laus, honor Deo deorum
In saecula saeculorum,
Uni trino sempiterno
Benedicamus Domino.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Lunaelacen.) 3835 anni 1451, als Conclusio pretiosissimae coronae, eines in Reimprosa oder Knüttelversen geschriebenen Gebetes. — 3, 4 Deo fehlt. — 4, 1 Ei qui. — 4, 3 In summo. — 4, 4 Et gloriose. — 5, 1 honor fehlt.

63. De beata Maria V.

1. Gaude, plaude, clara rosa,
Esto maesto cara prosa,
Salutanti, supplicanti,
Te roganti dic amanti:
In Christo te servavero.
Colens volens te sentire,
Quod sis praesens, fac me scire,
Intuentem intuere,
Sinum tuum da patere,
Me totum tibi offero.

2. Gaude, mea speciosa,
Cui clamo: Rosa, rosa,
Pulchra nimis et formosa,
Super omnes amorosa,
Tu sola sine compare.
Gaude, mea tu dulcedo,
Vere dulcis plus quam medo,
Tu cor meum dulcorare
Et me debes debriare
Voluptuoso nectare.

3. Gaude, cuius ad aspectum
Meum patet imperfectum,
Hoc tu, pia mater, vides,
Vides quidem nec derides,
Misericors compatiens.
Ad me vultu vide laeto,
Cum te clamans inquieto,
Da despecto, da neglecto,
Quod affecto, quod exspecto
In multis insufficiens.

4. Gaude, felix et decora,
Gaude, gaude omni hora,
Cuius amor caret felle,
Plus dulcescit omni melle,
Quo nihil sapit dulcius.
Gaude, cuius vultus ridet,
O quam felix, qui hunc videt,
Hunc qui videt, admiratur,
Gaudet, ardet, inflammatur
Amore tui saucius.

5. Gaude, mea mediatrix,
Mea sola consolatrix,
Mea mater et amatrix,
Mei hostis expugnatrix,
O felix, quem inhabitas.
Gaude semper et exsulta,
Auro, gemmis bene culta,
Mea mens ad te suspirat,
Qui non amat te, delirat,
O amor, o amoenitas.

6. Gaude laeta sine meta,
Mitis, suavis et quieta,
Eia, cara mater, vide,
Vide me in tua fide,
Te diligentem dilige.
Gaude, festum cordis mei,
O festiva sponsa Dei,
Quod de corde meo meat,
In cor tuum, fac, ut eat,
Huc aurem tuam porrige.

7. Gaude, cuius post odorem
Cor movetur ad amorem,
Foves illud, ne frigescat,
Moves illud, ne lentescat,
Dicens: tamen non curritis?
Gaude, cuius vox est illa,
Quae nos lactat ut mamilla:
Ad me omnes vos transite,
Me gustate, me sentite,
Vos, qui me concupiscitis.

8. Gaude, quae ad tuos clamas,
Quos ut pia mater amas;
Ego mater sum amoris,
Magnae spei et timoris,
Et caritatis speculum.
Gaude, pura tu puella,
Dominantis domicella,
Cuius tuto sub mantello
Nullus timor est misello,
Sed timido latibulum.

9. Gaude, mater, quam qui audit,
Contra carnem aurem claudit,
Quam audire nulli grave,
Quam sentire o quam suave,
Tu omnibus es omnia.
Gaude, festa, nunquam maesta,
Tu honesta, tu modesta,
Gaude, gaude, bona mater,
Cum qua gaudet Deus pater,
In cuius gaudes curia.

10. Gaude, gaudens sine fine,
O magistra disciplinae,
Cuius scholam frequentare,
Cuius virgam supportare
Non gravat tuos filios.
Gaude, valde diligenter
Diligentes te ardenter
Si quid errant negligenter,
Nescienter aut scienter
Fac poenae, culpae nescios.

11. Gaude plus quam vehementer,
Te amamus tam libenter,
Salutamus tam frequenter,
Veneramur reverenter,
Attende, o carissima.
Gaude pro maerore tristi,
Quem in morte Iesu Christi
Illa dura in tortura
Et clavorum in fixura
Tulisti, amantissima.

12. Gaude, clara multis signis,
Cuius amor globus ignis,
Lampas ardens, fax, scintilla,
Tu insignis, tu pusilla,
Tu talis, qualem quaerimus.
Gaude, cuius dulcis amor
Est in corde fortis clamor,
Qui dum praesens experitur,
Cor et pectus aperitur,
Aegrotat ardens animus.

13. Gaude, suavis, amorosa,
Consolatrix fructuosa,
Sapis nobis o quam bene,
Cuius venae melle plenae,
Dulcedo iubilantium.
Gaude, virgo verecunda,
Rubicunda, laetabunda,
Cuius vultum quisquis videt,
De te gaudet, de te ridet,
Nam formas vincis omnium.

14. Gaude cum his, qui te amant,
Tibi gaude qui proclamant,
Quorum cor te contemplatur,
Complexatur nec vexatur,
Sed totum in te rapitur.
Gaude, gaude dico tibi,
O quam dulce est, quod bibi,
Qui te quaerit, nunquam perit,
Quem tu amas, tuus erit,
Quam felix, qui te sequitur.

15. Gaude, cuius a fervore
Cor ebullit in amore
Quod a motu vix quiescit,
Ingemiscit, si frigescit,
Quem tangis, ardet dulciter.
Gaude mecum tu in mente,
Tecum ero te favente,
Non inanem me transibis,
Immo in me tota ibis
Mansura mecum iugiter.

16. Gaude, rosa speciosa,
Super rosam tu formosa,
Tu es rosa singularis,
Sola rosa tu vocaris,
Tu lilium et viola.
Gaude, suavis, plena favis,
Blanda caris, nulli gravis,
Cordi meo coniungaris
Et cor meum adloquaris,
Nam ardet iam ad oscula.

17. Gaude, pura creatura,
Gaude, semper gavisura,
Pulchra nimis intus, foris,
Fons dulcoris, fax amoris,
Et pectoris incendium.
Gaude, laude infinita
Redimita margarita,
In regali throno sita,
Tuus amor mea vita
Et cordis desiderium.

18. Gaude, tota purpurata,
Vivis stellis constellata,
Tu caelorum es praelata,
Elevata non elata,
Subiecta regens aethera.
Gaude, cuius in corona
Perfectorum lucent dona,
Cuius splendor est ut ignis,
Cuius honor est insignis,
Quis posset fari cetera?

19. Gaude, cuius in aspectum
Vivit amor in defectum,
Cordis mei patet bulla,
Cuius scatet iam medulla,
O cara, veni, propera.
Intra meum vile tectum,
Tuum tecum fer dilectum,
In me tuum sterne lectum,
Quia meum scis affectum,
Te diligo, considera.

20. Gaude, cuius ardet sinus,
Inde lucet sol divinus,
Tuos caros huc invita,
Mei tamen non oblita
Tu trahe me, non altera.
Dulce nimis est, quod sapit,
In quo tuus amor capit,
Lingua carnis obmutescit,
Clamor cordis non quiescit,
Mens languet amorifera.

21. Gaude nunc, dilecta mea,
Cuius vadunt in chorea
Omnes tui speciales,
Speciosi curiales,
Qui tuum canunt canticum.
Gaude, dulcis philomena,
Cuius vox amore plena,
Tua suavis cantilena
Laus sanctorum est amoena
Et gaudium angelicum.

22. Gaude, clara lux solaris,
Quae nos quaeris, ut quaeraris,
Lassos pie praestolaris,
Accurentes amplexaris
Compassionis brachio.
Ad te vado corde laeto,
Tibi loquor in secreto
Hoc, quod peto, mihi dabis,
Temet ipsam non negabis,
Ut dixi: ecce, venio.

23. Gaude, semper pia, gaude,
Habe me in tua laude,
Mire gaude, gaude mere,
Iube tecum me gaudere,
Gaudentium materia.
Gaude, gaude, modo miro
Tu es mater sine viro,
Te amantem audi, precor,
Sine causa te non sequor,
O dulcis amicitia.

24. Gaude propter illud Ave
Cordi meo tam suave,
Totus manet Deus tecum,
Tota secum, tota mecum
Et mea tecum anima.
Gaude, cuius cor oblectat,
Quod te nostra mens affectat,
Salutata gratularis,
Assum, dicis, dum vocaris,
O mater amantissima.

25. Gaude, fons qui non siccaris,
O quam suavis, dum gustaris,
Tuus rivus amor vivus,
Per medullas transitivus,
Beatus, quem inebrias.
Te qui bibit, non peribit,
Nam amare quis te quibit?
Te qui edit, non abscedit,
Sitibundus sponte redit,
Me foras non eiicias.

26. Gaude, mea dives era,
Tota mea spes revera,
Audi me in veritate
Et in vera caritate,
Da totum, quod desidero.
Vives, vives, semper dives,
Cuius clari sunt concives,
Is, qui dicit tibi gaude,
Semper tecum sit in laude
In electorum numero.

27. Gaude, sedens in decore,
Semper ardens in dulcore,
Cuius vultum concupiscunt,
Qui amare semper gliscunt
Te solam et non aliam.
Gaude, rosis coronata,
Omni flore purpurata,
Cuius fulvum indumentum
Est caelorum ornamentum,
Decorans caeli curiam.

28. Gaude vernans paradisus,
In quo viret noster visus,
In quo surgit flos decoris,
De quo fluit fons dulcoris
Et omne, quod est optimum.
O amoena vitae vena,
Languet mea mens egena,
Nil est valens te non habens,
Perit valens male tabens,
Frigentem fove animum.

29. Gaude, cara, valde clara,
Tu Maria, non amara,
Mihi, precor, applicare,
Et quam dulcis sis, appare,
Nam satur est, quem satias.
O regina, sis vicina,
O dilecta, non declina,
Temet ipsam non absenta,
Me frequenta et sustenta
Nec debilem proicias.

30. Gaude, mater, ad te curro,
Tu ausculta, quod susurro,
Ave, gaude tibi clamo,
Te, ut possum, totus amo
Et cum omnibus viribus.
Ante thronum, o decora,
Dulcem prolem pro me ora,
Quod rogaris, prosequaris,
Datur tibi, quod precaris
Prae angelorum milibus.

31. Gaude, mea procuratrix,
Peccatorum excusatrix,
Meas sordes terge, lava,
Tege, dele facta prava,
Da caste, munde vivere.
Gaude, virga nunquam arens,
Aret autem tui carens,
Tuo florens in amore
Stet cor meum in virore,
Te meditetur libere.

32. Gaude, clara stella maris,
Mater magni luminaris,
Rotam solis specularis,
Trinum Deum contemplaris
In omni pulchritudine.
Tu in Deo vere tota
Fixa manens et immota,
Deum vivum intuere,
Quem iucundum est videre
In suo claro lumine.

33. Gaude, lux indefectiva,
Tenebrarum expulsiva,
Nutritiva caritatis,
Christi caris cara satis,
Supra modum amabilis.
Gaude meum favens audi,
Hoc inscribe tuae laudi,
Ut sit dulce, ut sit suave
Tuum ave, mihi fave,
Mater desiderabilis.

34. Gaude, parens carens pari,
Quae sit digna sic amari,
Quam amarem, ad quam irem,
Tam suavem cum te scirem,
Quae nullam habes similem.
Gaude, mundi clara dies,
Cordis mei grata quies,
Ne te amen sine causa,
In hac nocte mecum pausa,
Da mentem castam, humilem.

35. Gaude, rosa caritatis
Admirandae suavitatis,
Toto corde complectenda
Et nequaquam dimittenda,
Sed salutanda dulciter.
O dilecta, meum lectum
Purga purum per affectum,
In quo simul collocemur
Et in Christo conectemur
Ardenter et sinceriter.

36. Gaude, gaude, cara mea,
Mentem sanctam in me crea,
Ut sopiti cordis vapor
Sit amoris dulcis sapor
Et suave desiderium.
O iucunda, me circumda,
Caritatis manu munda,
Ut amare te assuescam
Et amando non quiescam,
Te mihi da in praemium.

37. Gaude, gaude tota mecum,
Audi, audi vota precum,
Gaude, gaude plus quam satis,
Laudes meae parvitatis
In tuis clament auribus.
Cara, mecum requiesce
Et ut sol in me diesce,
Tibi totum me commendo,
Tu excusa, quod offendo
Diebus atque noctibus.

Scala caeli saec. 14. in. Cod. Pragen. XIII E 3 A. — Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. 14/15. B. — Cod. Palat Vindobonen. (ol. Campen. 883. saec. 14/15. C. — Cod. Scotorum Vindobonen. 50 f. 27. saec. 15 D. — Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Lunaelacen.) 3835. E. — Cod. Lambacen. 452. saec. 15. F. — Cod. Mellicen. 935. saec. 15. G. — Cod. Hilarien. 7. saec. 15. H. — Cod. Paulan. Sanblasian. memb. 45. saec. 15. I. — Cod. Paulan. Hospitalen. cart. 326. saec. 15. K. — Orat ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. L. — Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. M. — Orat. ms. Heilsbronnense saec. 15. Cod. Erlangen. 770. N. — Orat. ms. S. Wilperti saec. 15. Cod. Quedlinburgen. 75 O. — Cod. Graecen. 1588. saec. 15. P. — Oraf. ms. Ambergense anni 1476. Clm. Monacen 2990 Q.

BP sind unvollständig; B beginnt in Folge Verstümmelung der Hs. erst mit Str. 27; P enthält nur Str. 17—21 einschliefslich. Mehrere Hss. geben dies Lied in Tagzeiten abgeteilt; diese Einteilung ist dem Liede nicht ursprünglich und verschieden in verschiedenen Quellen. Ad Matutinum Str. 1—6 oder 7. In einigen Hss. folgt ad Laudes Str. 6 und 7; die meisten haben für die Laudes keine eigene Abteilung, sondern beginnen mit Str. 7, andere mit Strophe 8. die Prim, mit Str. 12 die Terz (D mit 11, 6), mit 17 die Sext, mit 22 die Non, mit 27 die Vesper, mit 33 die Complet. AI haben eine eigentümliche Anordnung der ersten 15 Strophen, nämlich: 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8.

Str. 1 fehlt ABCHMO; steht hinter Str. 5 FG. — Str. 1 lautet in M:

Gaude, mea specialis,
Pulchra, suavis, curialis,
Non est tanta nec est talis,
. . . . . .
Tu omnium pulcherrima;

Ave, mater, audi, cara,
Sancta parens, aurem para,
Salutanti, supplicanti,
Te roganti, te amanti
Tu esto semper proxima.

1. 2 esto mihi cara N; cara rosa D. — 1, 3 Salutari supplicari F. — 1, 4 sic amanti K. — Nach 1, 5 haben DF:

D. Gaudens ibique, Maria,
Es cum trinitate pia
Et omni choro sanctorum,
Haec corda movet tuorum
Et me, qui te desidero.

F. Ex quo nunquam es, Maria,
Absque trinitate pia
Et praeclara es sanctorum,
Move corda famulorum
Et meum, ut desidero.

1, 6 Volens nolens te FG; Gaudens vellem te D. — 1, 7 Quod sis parens F. — 1, 10 Peccatori misero D. — Nach Str. 1 schiebt M ein:

Tu imago Dei viva,
Sanctitatis expressiva,
Vultum tuum rosulentum,
Adorantem, luculentum
Recogito, considero.

Vellem, vellem te sentire,
Quod sis praesens, fac me scire,
Tuam aurem huc inclina,
Caeli mitis es regina,
Me totum tibi offero.

2, 1 Gaude, mire I; Gaude, Maria speciosa O. — 2, 2 clamo rubeus rosa I; glomerosa rosa G. — 2, 3 et speciosa D. — 2, 5 Tu fehlt I. — 2, 7 Dulcis vere H; Vere cordis dulcis medo G. — 2, 8 Tu dignare dulcorare G. — 2, 9 Nunc debes et debriare C; Et me debes debriare DK; Et me velis debriare I; Meum cor deebriare G. — 2, 10 Voluptatis nectare I. — 3, 1 conspectum CGK. — 3, 3 Quod tu pia D; Quid tu pia CK. — 3, 5 Misero compatiens K. — 3, 6 vide vultu CDGI. — 3, 7 Ut sim corde da quieto H. — 3, 8 Vide, bona mater, vide D. — 3, 9 Quod exspecto, quod affecto, K; Et me dulciter arride D. — 3, 10 Tristem laetum faciens D. — 4, 1—5 und 6—10 umgestellt und vor Str. 3 gesetzt D. — 4, 3 Cuius amor est ut mel CGHK. — 4, 4 Cuius sapor nescit fel CGHK. — 4, 5 Qua nil CGK; Sapor, quo nil G. — 4, 7 qui hoc videt CD; hoc qui videt IK; felix est qui videt G. — 4, 8 Hoc qui videt CDI; Quem qui videt G; Hunc qui videt fehlt H; animatur C. — 4, 9 Gaudet, ridet DG; Ardet, amat C. — 4, 10 Amore tuo CDGIK. — 5, 3 fehlt K. — 5, 4 Hostis mei expugnatrix I u. z. vor 5, 2. — 5, 5 O fehlt DG; O felix, cum quo habitas G; Sancta Dei civitas C. — 5, 7 bene fehlt D; fulta DG. — 5, 10 O amor et amoenitas K; O mater, o amoenitas A; O mea amoenitas DG. — 6, 3 Cara mater, tu me vide DG. — 6, 7 O sollemnis sponsa DK; mater Dei I. — 6, 8 Quod ab ore meo CDGHK. — 7, 2 in amorem C. — 6, 3 Fovens GH; Foves tibi ue D. — 7, 4 Movens GH. — 7, 5 Dicens: cur non curritis CDGHIK; bei dieser Lesart fehlt eine Silbe am Verse. — 7, 7 lactet GK. — 7, 8 Omnes vos ad me CGK. — 7, 10 Vos fehlt ACD. — 8, 1 Gaude tu, ad nos quae G. — 8, 4 Spei magnae et CGK. — 8, 5 Et fehlt ACDFG. — 8, 9 est nasallo! D. — 8, 10 Sed fehlt A. — 9, 3 Quam audire est suave A. — 9, 4 o fehlt DGHIK; tam suave GH; Oboedire non est grave A. — 9, 5 Tu fehlt A. — 9, 6 festa plus quam maesta K. — 9, 8 Gaude, virgo, bona A. — 9, 9 In qua gaudet CDK. — 10, 1 Gaude, gaude D. — 10, 5 Dei filios H; tuos famulos G. — 10, 8 errat C. — 10, 9 fehlt K; ac scienter A. — 11, 2 quam libenter DI. — 11, 3 und 4 umgestellt CDGIK. — 11, 3 te frequenter CDGHK. — 11, 4 Venerantes reverentes H. — 11, 6 prae maerore A. — 11, 7 in morte tui Christi CDK. — 11, 8 Dura illa in G. — 11, 9 Clavorumque in G. — 11, 10 altissima A. — 12, 3 Carbo, lampas, fax CDGHK. — 12, 4 insignis et pusilla C. — 12, 7 Fortis est in corde G. — 12, 10 ardet I. — 13, 1 amoroso A. — 13, 2 Consolamen luctuoso A; Consolamen fructuosa C; Consolameu luctuosa I. — 13, 3 Sapit G. — 13, 5 Tu cordis mei gaudium G. — 13, 7 Laetabunda, rubicunda H; Reverenda, rubicunda G. — 13, 9 atque ridet A. — 13, 10 Corda vincis omnium A; Nam corda vincis H. — 14, 2 De te gaudent qui D. — 14, 4 Amplexatur GH; non vexatur CG. — 14, 5 Totum in te capitur A; Sed totus in te D; Et totum in te CGHK. — 14, 9 Tu quem amas CHK. — 14, 10 O felix, qui te H; Beatus, qui te CK; Laetus, qui te D. — 15, 3 Quod a motu vix fehlen H; conquiescit H. — 15, 4 Et gemiscit G; et frigescit D; non frigescit K; nec frigescit I. — 15, 6 Mea mecum tu A; Eia mea sim in G; Tota mea tu in H. — 15, 7 Tuus ero te DGHK; Tua ero te C. — 15, 9 Immo tota mecum eris C. — 16, 4 Sola ipsa tu G. — 16, 5 Tu fehlt G; fiola D. — 16, 7 Planda I. — 16, 10 Fac ut spernam frivola CDK; Ut semper spernam frivola G. — 17, 3 Plena rosis intus H. — 17, 4 Fous decoris D; Vox decoris P. — 17, 5 Et fehlt A. — 17, 6 laudum P. — 17, 10 Et meum desiderium CDHK. — 18, 1 Gaude, rota H. — 18, 2 Vivis gemmis AP; coronata P. — 18, 3 es praeclara C. — 18, 7 lucet D. — 18, 9 Cuius honor est CK. — 18, 10 Quis potest C; fari singula G. — 19, 1 aspectu CH. — 19, 2 Amor vivit in P; Ardet amor in K; Amor ardet in D; defectu CH. — 19, 3 Mei cordis patet DK; Qui te amat corde fluit P. — 19, 4 Mea scatet iam A; Ad te fugit, post te ruit P. — 19, 5 iam propera K. — 19, 6 vile meum I; Intra, dulcis, meum lectum D. — 19, 7 Tuum natum fer D. — 19, 8 sterne tuum G. — 20, 2 In quo lucet CDK. — 20, 3 Tuos semper huc C; Tuos servos hic D; hac in vita

I; hic in vita P. — 20, 4 Egressurum hac de vita CDK. — 20, 5 Tu fehlt AD; Trahe me in altera CFGK. — 20, 6 Dulce nobis est D; O quam dulce est G. — 20, 8 Lingua tamen obmutescit I. — 20, 9 Sed vox cordis non K; Et vox cordis CP. — 21, 3 tui spiritales G. — 21, 4 Sponsi commensales D; Sponsi tui curiales I; Tui sponsi curiales G. — 21, 5 Canentes novum canticum CGK; Cantantes novum D; Canentes laetum H. — 21, 8 Suavis tua D. — 22, 1 Gaude, quae vis, ut quaeraris H. — 22, 2 Diu tamen non moraris H. — 22, 5 Caritatis brachio A; Cum caritatis I. — 22, 6 vadam CDHK. — 22, 7 loquar C; Ubi loquimus[!] in secreto D. — 22, 8 Haec, quae peto, dabis H; Hoc, quod peto, prompte dabis CK. — 22, 10 Dicens: ecce, venio K. — 23, 1 Gaude, mater, gaudens plaude CDFGKM; Gaude mire, gaude, gaude G; Gaude semper, gaude, gaude I. — 23, 2 Habens me C. — 23, 3 Gaude, cui est gaude mere A; Gaude gaude mire, plaude D; Gaude mire, gaude mere GIK; Gaude mere, gaude vere H. — 23, 4 me tecum D. — 23, 5 Gaudentium laus, Maria D. — 23, 6 more miro CDHIK; Gaude, more miro D. — 23, 7 absque viro CK. — 23, 8 iuva precor H. — 23, 9 te non sequor CDGHK; Nam sanctorum tu es decor I. — 23, 10 Allectis amicitia A; Paris salva materia I. — 24, 1 super illud Ave D. — 24, 2 Cordi tuo CHK. — 24, 3 Totus Christus Deus A; Totus, totus Deus I. — 24, 4. Totus tecum G; Tota secum D; totus mecum H; tota secum G. — 24, 5 Tecum mea anima A. — 24, 7 Cum te nostra CDK: Quod cor nostrum te H. — 24, 9 Assis dictis dum A. — 25, 1 quae non D. — 25, 2 O quam dulcis C; cum gustaris H. — 25, 3 Amor tuus rivus vivus D; Amor vivus tuus rivus I; Rivus tuus amor vivus K. — 25, 4 diffusivus G. — 25, 5 O felix, quam inebrias A. — 25, 7 Sed amare CDK; Scit amare H; quis nequibit G. — 25, 10 Me famis K; abicias CDGK. — 26, 1 nostra dives D. — 26, 3 Et non mera caritate A; Et in veritate D. — 26, 5 Scis, quia te desidero CGK; Scis quod te D. — 26, 6 Vivas, vivas A; Vivens, vivens G; Dives vives K; Dives vivens vives semper D. — 26, 8 Is fehlt D; dicet A; tibi dicet CK. — 26, 9 stet in laude A. — 26, 10 In sanctorum numero A. — 27, 2 in amore CDHK. — 27, 4 Qui amare te addiscunt BCHK; Qui amare post te gliscunt D; Qui amare plus te gliscunt I. — 27, 5 non alteram K. — 27, 7 Omni flore adornata B. — 27, 8 Cuius fulgens D; Cuius sol est indumentum I. — 27, 9 Est candoris blandimentum CDK; Et candoris blandimentum B. — 27, 10 Honorans caeli CGK; Adornans caeli B; Tu decorans caeli H. — 28, 2 In qua ACK; nitet noster I. — 28, 3 und 4 umgestellt G. — 28, 3 De qua A; Ex qua G; flos decorus A. — 28, 4 De qua A. — 28, 6 O amoenae A; O Maria, vitae vena F; Gaude, amoena vitae H. — 28, 7 mens amoena D. — 28, 9 Perit vadens male cadens A. — 28, 10 Surgentem fove H. — 29, 1 Gaude, clara DFG; Gaude gara C; valde cara FG. — 29, 2 Tu Maria, tu amara C [lies tu non mara?]; Tu suavis non B. — 29, 4 O quam dulcis A. — 29, 5 Non satur est K; Nam satis est, quod satias I. — 29, 9 Me frequenta, me DGK; Me sustenta me frequenta C. — 29, 10 abicias CGK. — Str. 29 fehlt B. — 30, 1 O Maria ad te B. — 30, 3 Ave, tibi gaude A; Gaude, tibi Ave D. — 30, 5 Totis meis viribus A; Et totis sequor viribus B; Et cum totis viribus CDGK; Sed non meis meritis I. — 30, 7 Iesum natum pro me B. — 30, 9 Tibi datur quod CD. — 30, 10 Pir angelorum C; angelorum inclitis I. — 31, 2 expurgatrix A; expiatrix H. — 31, 3 Lapsum leva, foedum lava GH; Lassum leva, foedum B; Leva lassum, foedum CK; Leva fessum, foedum D. — 31, 4 Terge, dele A; Terge, terge GH; Tege, tege D; Terge, rege CK; Terge, tege B. — 31, 5 Da caste, caute CDH; Da caste semper G; Da castă carne K. — 31, 6 Gaude, viror D. — 31, 7 autem tantum carens I. — 31, 8 Tuo fervens in A. — 31, 10 Et meditetur D. — Strophe 32 fehlt DGK. — 32, 2 magni humi maris I. — 32, 3 speculare I. — 32, 4 Natum Deum B; contemplare I. — 32, 5 Cum omni H; In sua BC. — 32, 10 In suo vivo B. — 33, 3 Incentiva A; castitatis D. — 33, 4 Christo caris sacris D; Christianis cara satis A; Exemplar humilitatis B. — 33, 5 Super modum K; Nimis nam amabilis A. — 33, 6 Meum gaude N; Gaude meum audi, audi A; gaudens audi BH; fovens

audi F. — 33, 7 Haec inscribe H; inscribo G; inscribens I. — 33, 8 sit dulce, sit suave D; dulce et suave A. — 33, 9 Te ut laudem, mihi fave B. — 33, 10 Virgo desiderabilis B. — 34, 1 Gaude, virgo carens D; Gaude, cara carens FGK. — 34, 2 Quae sis digna sic A; Quae es digna sic K; Quae sic digna sit CD. — 34, 3 Quam amare, quam sitire D. — 34, 4 Tantam, talem ut te scirem A; cum hoc scirem B. — 34, 5 Quod nullam H. — 34, 7 Mundi cordis grata B. — 34, 8 Ne sit amor sine A; Ut sit amor sine H. — 34, 9 In hac vita mecum A; Hac in nocte CGK; In hac hora B. — 35, 1 puritatis H. — 35, 3 amplectenda A. — 35, 5 Sed fehlt AI; Salutata I. — 35, 6 sqq. fehlen H. — 35, 7 dans affectum CDK. — 35, 8 simul collaetemur B; — 35, 9 Te et Christum deprecemur A; Te et natum complectemur B; In quo Christum contemplemur G; Et cum Christo conectemur CD; Et in Christo conectemur K. — 35, 10 et perenniter B. — 36, 1 Gaude, plaude, cara CBFGK; Gaude semper, cara M. — 36, 3 somni vapor G. — 36, 4 Sit amandis dulcis A; Et amoris dulcis GI; Dulcis sit amoris H. — 36, 5 Et fehlt G; Et dulce D. — 36, 6 Me circumda, o iucunda C. — 36, 7 Manu caritatis D; Virtutibus et cor B. — 36, 8 Ut amore A; consuescam D. — 36, 9 Te amando C; Et cessare non D. — 36, 10 Te da mihi in H; Da modo te in D. — 37, 1 Gaudens gaude tota B; Gaude semper tota CDGK. — 37, 2 Audi supplex vota C; Audi clemens vota DGK; Libens audi vota B. — 37, 3 Gaude, laeta plus CGK; plus et satis I; Virgo generositatis B. — 37, 4 meae puritatis K. — 37, 5 In tuis sonent BCDGK. — 37, 6 Cara mea requiesce IK; Clara mea D; Cara mater A; Iam dilecta BM. — 37, 7 Fac me tecum semper esse B. — 37, 8 Totum me tibi CK; Totum tibi me D. — 37, 9 Excusa, virgo, quod offendo H. — Nach Str. 37 hat B noch folgende anderwärts entlehnte Strophen:

38. Gaude, virgo principalis,
Atque decor virginalis,
Per quam amor emicuit
Et in mundo floruit
Ut lilium inter spinas.
Gaude, virgo, decus moris,
Cuius nomen est flos floris,
Amoris flos et gaudii,
Flos aeterni palatii
Flagrans super angelicas[!]

39. Gaude, decus ecclesiae,
Mater misericordiae,
Virgo mitis et benigna,
Sola bona, sola digna
Omni laude et honore.
Gaude, regina nobilis,
Virgo incomparabilis,
Cuius corpus est puritas,
Novitatum novitas,
Salvans omni tempore.

FG schliefsen mit den Versen:

O fons dulcoris, rutilans pia virgo Maria,
Omnibus his horis suavis haec tibi sit melodia.

„Incipit iubilus beati Bernhardi abbatis de gaudiis Mariae“ A; „Dulciloquium beati Bernhardi ad beatam virginem“ L; „Incipit soliloquium beati Bernhardi, abbatis Claraevallensis de laude beatissimae ac gloriosissimae semperque virginis Mariae“ D; „Dulciloquium beati Bernardi ad beatam virginem ad singulas diei horas“ N; „Item quidam presbyter devotus, nomine Iosephus, composuit sequentem orationem de beata virgine“ K. — Das Gedicht Bernhard zuzuschreiben, geht um so weniger an, als dasselbe nur in deutschen Handschriften vorkommt und zweifellos deutschen Ursprungs ist; mehr Vertrauen verdient die Angabe von K. Ist das Ursula-Lied O vernantes Christi rosae von Hermann Ioseph von Steinfeld, dann möchte man versucht sein, in ihm auch den presbyter devotus, nomine Ioseph, zu suchen; so verwandt erscheinen die Lieder.

64. De beata Maria V.

Gaude, rosa speciosa,
Gemma splendens pretiosa,
Virga Iesse fructuosa,
Deum caeli peperisti,
Mundo lapso succurristi,
Nexum mortis denexisti.
Virgo Dei sanctissima,
Tu pax mundi tutissima
Et vitis fecundissima.
O mater virtutum,
Servis tuis scutum
Semper praebe tutum,
Ut hostes pravae sortis
Ipsi vincant fortes,
Ne malorum sint consortes.
O Maria, mater pia,
Mundi salus, vitae via,
Opem a te quaero,
Mater, non despero,
Sed iuvamen spero.
Solve tu meorum
Vincla peccatorum,
Lumen angelorum.
O fons indeficiens,
Ad te curro sitiens,
Dulcis et reficiens,
Imple desiderium
Cordis et suspirium,
Dulce refrigerium.
In me robur insere,
Ut hostem possim vincere
Et semper tecum vivere.
Mater dulcis, nos dignare
Tua laude confirmare
Et virtute roborare,
Ne in mundo hoc cadamus,
Te iuvante evadamus,
Lapsi per te resurgamus.
Virgo dulcis parens,
Tactu viri carens,
Miro modo peperisti,
Deum caeli genuisti,
A quo facta tu fuisti,
Per quem virgo remansisti.
Tu in mundo es electa
Et ab ipso es protecta,
Cuius mater es dilecta.
O res mira, virtus mira,
Illibata permansisti,
Natum tuum praemisisti,
Ad cuius dextram resedisti,
Quando mundum reliquisti.
Ibi semper veneraris
Et cum ipso gloriaris.
O quam pium est laudare
Matrem Dei et amare,
Quae laudantem protegis
Nec plorantem despicis,
Sed quasi mater respicis.
Gaude, mater pietatis,
Gaude, norma caritatis,
Gaude, via sanctitatis,
Gaude, virgo castitatis,
Gaude, templum trinitatis.
In manus tuae pietatis
Me lux commendo claritatis,
Ut me mundes a peccatis
Ac me loces cum beatis
In caelis glorificatis.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 6. Nexumque. — 7. O virgo. — 10. O virtutum mater. — 56. Te Matrem.

65. De beata Maria V.

1. Gaude, salve, misso rore
Exortus est flos de flore,
Fructu cuius et odore
Respirant caelestia.
Ius naturae permutatur,
Cum flos flore fecundatur,
Et de flore fructus datur,
Per quem vivunt omnia.

2. Hoc nescivit ius natura,
Ut naturae contra iura
Mater esset virgo pura
Absque viri semine.
Haec est mater singularis,
Mater veri salutaris,
Iure dicta stella maris,
Quod illustrat lumine.

3. Flos de flore procreatus,
Hic est puer nobis natus,
Sceptrum sui principatus
Ferens sine crimine.
Hoc prophetae praeviderunt
Et in scriptis redegerunt
Futurumque praedixerunt
De Iesse propagine.

4. Benedicta sit propago,
Ex qua nata est virago,
Per quam datur, ut imago
Reformetur hominis.
Sed et caelum obscuratum
Protoplasti per peccatum
Iustis patet reseratum
Nunc per partum virginis.

5. Haec est mater illibata,
Porta semper obserata,
Post et ante consignata,
Summi regis annulo.
Virgo fuit fecundata,
Virgo mansit prole data
Nec in partu est privata
Castitatis cingulo.

6. Gloriosa mater Dei,
Fundamentum nostrae spei,
Huius attende dici
Preces et praeconia.
O praeclara maris stella,
Natum tuum interpella,
Ut de mundi nos procella
Perducat ad gaudia.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1a, 1 ist offenbar verändert; lies: De supernis misso rore oder ähnliches. — 4b, 4 per fehlt. — Vielleicht Sequenz.

66. Ad beatam Mariam V.

1. Gaude, salve, templum Dei,
Mater veri Nazarei,
Tu, quam matrem vocant rei,
Da mihi, quod cupio.

2. Creatoris creatura,
Pia, dulcis, casta, pura,
Tu, quae boni es datura,
Da mihi, quod cupio.

3. Digna laude angelorum,
Lux et vita peccatorum,
Tu, quae mater es reorum,
Da mihi, quod cupio.

4. Mater nostri creatoris,
Quae es clemens cunctis horis,
Tu, quae plena es dulcoris,
Da mihi, quod cupio.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

67. De beata Maria V.

1. Gaude, sanctae trinitatis
Templum sacrum, puritatis
Turris tu fortissima,
Plus quam nectar est amandum
Tuum nomen venerandum,
O virgo pulcherrima.

2. Est exorta veritas
De te et benignitas,
O spes animarum,
Fructus venit nobilis
De te, terra fertilis,
O pulchra rosarum.

3. Tu es regis civitas,
Nostra tu es claritas,
O flos sine spina,
Ortus est altissimus
De te ac altissimus,
O stella marina.

4. Gemma fac nos o decora
Te laudare omni hora,
Quae cum Deo iubilas,
Carne pulchra, o devota,
Magis mente grata tota,
Quae prae cunctis rutilas.

5. Iustis orta lux aeterna
Est per te, porta superna,
Quae in caelis habitas,
Hinc de manu peccatorum
Animabus sit tuorum
Libera securitas.

6. O mira quae multa facis,
Felix tu alumna pacis,
Audi nos hilariter
Novum melos iubilantes,
Corde, voce te laudantes
Adiuva tu dulciter.

7. In hac vita impugnamur
Crebrius et debellamur
Nos ab hoste fortiter,
Sis columna nubis tegens
Nos cadentes sisque regens,
Ne damnemur iugiter.

Orat. ms. Domus novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1 a, 1 sancta. — 6a, 1 O Mariae quae.

68. De beata Maria V.

1. Gaude, trina hierarchia
Deum laudet, o Maria,
Sol, stellae, luna, sidera
Pro te, virgo puerpera.

2. Aer cum volatilibus,
Fretum cum natatilibus
Et terra cum reptilibus,
Cunctis cum animantibus.

3. Nix, imbrium stillamina,
Flores, fructus et gramina
Deo pro tua gloria
Dent laudum dona varia.

4. Omne genu caelestium,
Infernorum, terrestrium
Flectatur caeli Domino
Locanti te in gaudio.

5. Omne momentum transiens
Mille millenis gradibus
Trinum Deum glorificet
Pro te tam digna laudibus.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1, 2 laudat. —

69. Ad beatam Mariam V.

1. Gaude, virgo, et respice
Precesque nostras suscipe,
Peccata iam praeterita
Remitti nobis obsecra.

2. Mole gravati criminum
Ad te reginam omnium
Confugientes poscimus,
Adesto nostris precibus.

3. Aeternae vitae ianua,
Aurem nobis accommoda,
Per quam spes vitae rediit,
Quam Eva peccans abstulit.

4. O virgo, mater iudicis,
Vitam deposce famulis
Et paenitendi spatia
Nobis, oramus, impetra.

5. Exora, virgo, filium,
Praesens confer solacium,
Ut perpetrata nequiter
Purgemus efficaciter.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1, 1 Gaude, virgo, respice, wo die Änderung zu Tage liegt. Lies etwa: Maria virgo oder Beata virgo, oder ähnliches.

70. De beata Maria V.

1. Gaude, virgo, mater Christi,
Castitatis lilium,
Gaude, quia meruisti
Generare filium,
Quo nascente mundo datur
Salus et remedium,
Et pudoris conservatur
In te privilegium.

2. Ex te mundo protulisti
Novae legis gratiam,
Primae matris qua lavisti
Inoboedientiam,
Tuae dignum, laude digna,
Laudi quid adiciam?
Omnis tuam laus, benigna,
Decet reverentiam.

3. O pudicum, o intactum
Deitatis vasculum,
Tuum verbum caro factum
Elegit corpusculum,
Per hanc capis unionem,
Quem non capit saeculum,
Nam per carnis livionem
Non novisti masculum.

4. Tibi virtus obumbravit
Septiformis spiritus,
Alvum tuum fecundavit
Verbum missum caelitus,
Liberare per te venit,
Quos premebat servitus,
Sed intactam, ut invenit,
Te reliquit penitus.

5. De profundo vitiorum
Ad te clamo, domina,
Quia scio delictorum
Me gravari sarcina,
Sed da mihi promereri
Lacrimarum flumina,
Quibus possint aboleri
Mea prorsus crimina.

6. Prava multa perpetravi
Post baptismi gratiam,
Mortem mihi comparavi
Per incontinentiam,
Credo tamen, quia Deus
Dat libenter veniam,
Quando veram quisque reus
Agit paenitentiam.

7. Omni regnas creatura
Post Deum sublimius,
Nam in eius te factura
Nihil constat dignius,
Quando tuam precem audit,
Gaudet honor regius
Et in cunctis te exaudit
Sicut matrem filius.

8. Pro me ergo depreceris,
Qui ad te confugio,
Tibi enim, si digneris,
Deservire cupio,
Sed quod casto ad incestum
Nulla sit conventio,
Constat esse manifestum
Pauli testimonio.

9. Tu es sancta et intacta
Ab omni spurcitia,
Summi regis mater facta
Pro tua munditia,
Te non decent incestorum
Horrenda servitia,
Sed castorum, mores quorum
Non sequuntur vitia.

10. Ego vero sum pollutus
Peccatis innumeris
Atque adhuc involutus
Pannis Adae veteris,
Sed servare quamvis sero
Redeuntem poteris,
Et immundus iam non ero,
Si pro me rogaveris.

11. Patris ora maiestatem,
Iube unigenito,
Matris illum dignitatem
Audire non dubito,
Sed me ipsum dum attendo,
Quisve sim, recogito,
Meam esse deprehendo
Vitam sine merito.

12. Sed qui tradi se permisit
A suo discipulo,
Quem iniqua plebs irrisit
Adfixum patibulo,
Hic latronem non despexit
In mortis articulo,
Sed ad caelum tunc provexit
De carnis ergastulo.

13. Qui tot passus est dolores
Pro humano genere,
Mori non vult peccatores,
Sed conversos vivere,
Quibus dulcem potionem
Suo fudit latere,
Per quam possint laesionem
Culparum evadere.

14. Ad te ergo fugientem
Admitte, piissima,
Ne repellas paenitentem
A misericordia,
Munda, quaeso, meam mentem
Ab omni spurcitia,
Iuva semper recurrentem
Ad tua suffragia.

15. Fac me castum et devotum
In tuo servitio,
Tua carnis in me motum
Exstinguat oratio,
Nulla meum inhumana
Cor vincat temptatio,
Sed resistat pravae sana
Voluptati ratio.

16. Illud mihi frequentare
Digne da mysterium,
Per quod mundo salutare
Provenit remedium,
Ut inferni devitare
Possim infortunium
Et post mortem habitare
In terra viventium.

Cod. Trecen. (ol. Claravallen.) 1612. saec. 15. — 1, 1 sq. sind beim Binden der Hs. halb weggeschnitten; der Text ist nicht mit voller Sicherheit festzustellen. — 2, 7 tua. — 2, 8 Docet. — 3, 6 Quam. — 15, 3 motus.

71. De beata Maria V.

1. Gaude, virgo o Maria,
Gaude, mater Christi pia,
Gaude, paradisi via,
Gaude, ...

2. Gaude, mater prophetata,
Gaude, virgo salutata,
Gaude, sancta mundo nata,
Gaude, iucundissima.

3. Gaude, virgo singularis,
Gaude, mater salutaris,
Gaude, clara stella maris,
Gaude, praeclarissima.

4. Gaude, mater . . . .
Gaude, virgo speciosa,
Gaude, pulchra velut rosa,
Gaude, splendidissima.

5. Gaude, virgo, consolatrix,
Gaude, mater, mediatrix,
Gaude, mater, adiuvatrix,
Gaude, benignissima.

6. Gaude, mater orphanorum,
Gaude, virgo, decus morum,
Gaude, ...
Gaude, sacratissima.

7. Gaude, virgo, maris stella,
Gaude, mater, Dei cella,
Gaude, sapiens puella,
Gaude, discretissima.

8. Gaude, mater honorata,
Gaude, virgo desponsata,
Gaude, nostra advocata,
Gaude, devotissima.

9. Gaude, virgo reverenda,
Gaude, mater metuenda,
Gaude, semper diligenda,
Gaude, amantissima.

10. Gaude, mater virtuosa,
Gaude, virgo gratiosa,
Gaude, pulchra et formosa,
Gaude, candidissima.

11. Gaude, virgo, imperatrix,
Gaude, mater, dominatrix,
Gaude, mater, reparatrix,
Gaude, dilectissima.

12. Gaude, mater salvatoris,
Gaude, virgo, vas honoris,
Gaude, balsamus odoris,
Gaude, felicissima.

13. Gaude, virgo veneranda,
Gaude, mater, adoranda,
Gaude, semper imitanda,
Gaude, solemnissima.

14. Gaude, mater summa Dei,
Gaude, virgo, lux diei,
Gaude, salus nostrae spei,
Gaude, clementissima.

15. Gaude, virgo, lux iustorum,
Gaude, mater peccatorum,
Gaude, spes desperandorum,
Gaude, prudentissima.

16. Gaude, mater pietatis,
Gaude, virgo, flos aestatis,
Gaude, templum trinitatis,
Gaude, suavissima.

17. Gaude, virgo verecunda,
Gaude, mater Dei munda,
Gaude, electa, iucunda,
Gaude, ...

18. Gaude, mater . . . .
Gaude, virgo sine mora,
Gaude, pulchra et decora,
Gaude, lucidissima.

19. Gaude, virgo, mundi cura,
Gaude, mater Dei pura,
Gaude, pulchra creatura,
Gaude, perfectissima.

20. Gaude, mater exaltata,
Gaude, virgo coronata,
Gaude, felix et beata,
Gaude, beatissima.

Cod. Vallicellan. B. 75. saec. 14. — 11, 1 steht hinter 11, 4 u. z. Gaude mater imperatrix gegen den sonst durchgeführten Wechsel in der Stellung von virgo und mater. — 17, 3 electa et iucunda.

72. De beata Maria V.

Incipiam nec deficiam laudare sophiam,
Egregiam sine fine piam laudabo Mariam.

Gaude, virgo pia, gaude cum prole, Maria,
Gaude, formosa de stirpe David generosa,
Gaude, pulchra rosa, plus sole nites speciosa.
Gaude, morosa, mater Christi pretiosa,
Gaude, spe plena, prolem pariens sine poena,
Gaude, virgo bona, tete me, quaeso, corona.
Gaude, matrona, cor contritum mihi dona,
Gaude, fecunda, miseros a crimine munda,
Gaude, divina lux, stella vocata marina.
Gaude, laetare, venerantes te venerare,
Gaude, dignare, tecum me glorificare,
Gaude, mel dulce, saevissima pectora mulce,
Gaude, cum melle favus, a me noxia pelle,
Gaude, gaudere mihi non licet, immo maerere.
Gaude, cui vere cupio sine fine placere,
Gaude, plaude, vale, scelus ignorans veniale,
Gaude, quae Christi mater fieri meruisti.
Gaude, stella, favi me pascis odore suavi,
Gaude, fons fidei, me iunge tuae requiei,
Gaude, plena spei, virgo mirae speciei,
Gaude, sancta Dei genetrix, aurora diei.
Gaude, plena favo, succurre, precor, mihi pravo,
Gaude, gaudeto, te laudo pectore laeto,
Gaude, quae fructu potiris, sed sine luctu,
Gaude, quae Christum mundum producis in istum,
Gaude, sanctarum sanctissima, lux tenebrarum,
Gaude, flos florum, consolatrix miserorum,
Gaude, quae cleris sicut mater misereris,
Gaude, quae miseris misereri iure teneris.
Gaude, iustorum speculum, medicina reorum,
Gaude, stella maris, nos protege, nos tuearis,
Gaude, rosa rubens, Ioseph virguncula nubens,
Gaude, salvatrix, tu nostra reconciliatrix,
Gaude, virgo, datrix morum, virtutum amatrix.
Gaude, iustitiae solem pariens sine menda,
Gaude, tristitiae succurre meae, reverenda.
Gaude, virgo pia, tecum cupio mimis esse,
Gaude, casta parens, sperni vereor nimis a te.
Gaude, quae laeta Christo sine fine frueris,
Gaude, discreta virgo, miseris misereris.
Gaude, forma decens, totius fons bonitatis,
Gaude, virgo recens, vere tibi servio gratis.
Gaude, terra ferens fructum testante propheta,

Gaude, virgo maerens Christo mortem patiente,
Gaude, virgo querens nimium nato moriente.
Gaude, virgo terens colubri caput inveterati,
Gaude, virgo gerens verbum patris immaculati,
Gaude, quam quaerens reus invenit acta gemendo,
Gaude, virgo ferens fructum vitae patiendo.
Gaude, virgo doli nimis expers, rosa decora,
Gaude, tuae soboli pro me misero, precor, ora,
Gaude, filioli, pia virgo, tui miserere.
Gaude, cui vere reges tria dona dedere,
Gaude, porta poli, succurre, precor, mihi tristi,
Gaude, virgo, soli regina, Deum genuisti,
Gaude, cui soli cum prole placere laboro,
Gaude, digna coli, memor esto mei, reus oro.
Gaude, Davidica de stirpe satis generosa,
Gaude, morosa mater virgoque pudica,
Gaude, formosa sponsi caelestis amica
Gaude, delens crimina, sis peccati medicina.
Gaude, quae redoles sicut thymiama suave,
Gaude, mater, ave, sanctissima regia proles,
Gaude, dulcedo maestorum, me tibi dedo,
Gaude, quam spreto mundo colo pectore laeto.
Gaude, virgo pia, dictis credens Gabrielis,
Gaude, laetitia maestorum, virgo fidelis.
Gaude, melliflua mater, regina polorum,
Gaude, perpetua virgo, miserere reorum.
Gaude, quae reprimis, quos fallax gloria pascit,
Gaude, virgo nimis humilis, si dicere fas sit.
Gaude, quam laeta colo mente libidine spreta,
Gaude, sanctorum sanctissima, lux tenebrarum.
Gaude, mamilla stillans mellis quasi stilla.
Gaude, pacifica sponsi caelestis amica,
Gaude, Davidica proles virgoque pudica,
Gaude, nos salva, paradisi pervia valva,
Gaude, solamen miseris maestisque levamen,
Gaude, quos flamen impugnat, tolle gravamen,
Gaude, peccamen delens fundendo precamen,
Gaude, certamen contra carnale iuvamen,
Gaude, proles regia, gaudeto, virgo, Maria.

Orat. ms. saec. 13/14. Cod. Bruxellen. 4588—91. — 26. fehlt eine Silbe; sed ergänzt. — 63. fehlt eine Silbe; sis ergänzt. — 84 regia gaude virgo.

73. De beata Maria V.

1. Gaude, virgo,
ut stirps Davidica
Flos fecundus,
fructus iucunditatis;

2. Gaude, virgo,
porta prophetica
Per quam splendor
transivit deitatis;

3. Gaude, virgo,
arca levitica,
In qua latet
manna suavitatis;

4. Gaude, virgo,
virga Mosaica,
Qua sedatur
hoc mare tempestatis;

5. Gaude, sceptra
tenens monarchica,
Virgo, regnans
in regno claritatis;

6. Gaude, virgo,
mater deifica,
Nulli claudens
viscera pietatis,

7. Fac nos carne
contrita lubrica
Tranquillari
pace securitatis.

Orationale ms. Campoliliense saec. 15. Cod. Campolilien. 2. — 2, 4 divinitatis. — 4, 3 hoc more. — Das Lied ist eingetragen als Antiphone ad Benedictus.

74. Oratio ad beatam Mariam V.

1. Genus sacrum
et proles regia,
Patris mater
et nati filia,
Stella maris.
ad portum praevia,
Feminarum
super tot milia
Benedicta
et plena gratia,
Te moveant
nostra suspiria.

2. Tibi, caeli
regina, primitus
Mei cordis
contriti penitus
Cum lacrimis
effundo gemitus,
In quam summus
descendit spiritus,
Per quam mundo
Christus est editus,
Verbum patris
et unigenitus.

3. Parem tibi
qui fecit neminem,
Te sibi rex
elegit virginem,
Quae nescires
viri libidinem,
Ex qua carnis
sumpsit originem,
In qua totum
vestivit hominem,
Angelorum
restaurans ordinem.

4. Ex te natus
est Dei filius,
Deus idem
homo nec alius,
Dicat ergo,
qui sentit melius,
Cuius opem
quaeram fidentius,
Ut sit ipse
mihi propitius,
Quam virginis
et matris ipsius?

5. O sedibus
locata superis,
Restauratrix
humani generis,
Cunctis semper
succurens miseris.
Audi, precor,
clamorem pauperis,
Funde preces
et ne tardaveris,
Quas si fundas,
nunquam frustraberis.

6. Virgo semper,
sola puerpera,
Cuius ipsum
portarunt viscera,
Quem capere
non possunt aethera,
Nato tuo
precando impera,
Mei cordis
ut sanet vulnera,
Quae commisi,
remittens scelera.

7. Terrae, mari
qui solus imperat,
Caelos regit,
et stellas numerat,
Malos punit,
iustos remunerat,
Tibi favet,
paret, obtemperat,
Quos diligis,
a morte liberat,
Quibus claudis,
ipse non reserat.

8. Mundi salus
et caeli gaudium,
Tuum nimis
offendi filium.
O heu, miser,
infelix nimium,
Quis se dabit
mihi propitium,
Si desistat
salvatrix omnium,
Cui parcere
semper est proprium?

9. Cor igitur
levans cum manibus
Meis terrae
fixis poplicibus,
Tuis, ecce,
prosternor pedibus,
Fundens preces
plenas gemitibus
Non cessabo
diebus omnibus,
Donec caeli
me iungas civibus.

10. Amen dicat,
quae pedes fletibus
Iesu lavit
et tersit crinibus.
Et rediit
munda criminibus,
Post haec fragrans
eius muneribus
Sublimatur
caelorum sedibus,
Sub te regnans
regnis caelestibus.

Orat. ms. Caelestinorum saec. 15. Cod. Parisien. 18571.

75. Oratio ad beatam Mariam V.

1. Gloriosa mater Dei,
Memor esto semper mei,
Mei semper esto memor,
Quem peccati terret amor.

2. Quae ad dicta Gabrielis.
Paranymphi tam fidelis,
In auditu oboedisti,
Quando Christum concepisti,

3. Verbum illud, verbum Dei,
Per quod salvarentur rei.
Audi, virgo, verba mea,
Spes et salus, vita mea,

4. Audi vota supplicantis
Te devote reclamantis;
Audi, inquam, paenitentem,
Prae peccatis iam foetentem.

5. Pro peccati nam sentina
Instat mea iam ruina,
Sis ruenti medicina,
Assis, clemens o regina.

6. Ab aetate puerili,
Et, quae fervet, iuvenili
Incentivo velle tremor,
Criminali mole premor.

7. Haec est via peccatorum
Et voluptas vitiorum,
Quae ad portas ducit mortis
Me sub huius rosa sortis.

8. Instat serpens inimicus
Ille fallax et antiquus,
Qui me quaerit absorbere
Et absorptum retinere.

9. Sed tu, stella maris pia,
Peccatorum spes, Maria,
Flos et odor beatorum
Super choros angelorum,

10. Munda, quaeso, criminali
Me squalentem sorde mali
Dignitate speciali,
Qua fulges sic, virginali.

11. Age, precor, age, sancta,
Quia vides, mala quanta
Nunc invadunt corpus meum,
Super omni reo reum.

12. Conculcatum hostis planta
De draconis fauce tanta
Libera me, mater Dei,
Hora mortis et diei.

13. Fac me Deo vas pudicum,
Vastransgressumperantiquum
Seductorem inimicum,
Ne me trahat in Avernum.

14. Pietate, qua redundas,
Lacrimarum flentis undas,
Virgo, cura sic discerni,
Ne me claudat os inferni.

15. Non despero de salute,
Licet mea iuventute
Mea fuit semper vita
Vitiorum mole trita,

16. Si ob tuam genetricem
Animam vis peccatricem
Exaudire, pie Deus,
Qui compungor culpae reus.

17. Nam si fides adprobatur,
Quies sacra praedicatur,
Est insanus christianus,
Qui non credit, quia manus

18. Dei clemens est et praesto,
Si contritus corde maesto
Interpellat pietatem
Per Mariae dignitatem.

19. Quia multis argumentis
Licet horis et momentis
Sacra docet nos scriptura
Paenitentis semper cura

20. Ad exemplar creatorum
Dominator angelorum
Ostendit se ipsum Deum,
Non condemnans statim reum.

21. Nam qui Petrum se negantem
Non despexit lacrimantem,
Non despexit, sed respexit,
Cum se reum flens detexit,

22. Et latroni pro Memento,
Quod clamavit in momento,
Dedit locum paradisi,
Mea culpa quem amisi,

23. Heu, mihi nisi Deus
Reddat illum, pater meus,
Et Mariae Magdalenae,
Delictorum labe plenae,

24. Omne crimen condonavit,
Quando pedes eius lavit,
Quas rorarat intimarum
Pio rore lacrimarum.

25. Nunc tergebat, nunc rigabat,
Veniam sic postulabat,
Cum sub mensa pharisaei
Degustaret verba Dei.

26. Ubi Deus phariseo,
Pharisaeus quidem Deo,
Deus autem ut benignus,
Pharisaeus ut malignus,

27. De submissa peccatrice
Concertabant versa vice.
Nostrae actor bonitatis,
Radix tantae caritatis,

28. Sibi clemens indulgebat,
Cum peccasse paenitebat.
Ad hoc ergo, rex, exemplum,
Pietatis fons et templum,

29. Quem adoro, quem imploro,
Omni laude quem honoro,
Cui pronus genuflecto,
Cui totum me committo.

30. Dele meam pravitatem
Per maternam pietatem
Atque ultra publicanum
Ingementem christianum

31. Ab hostili laesione
Et a mortis regione,
Qui peccanti misereris,
Liberare me digneris.

32. Miserere mei, Deus,
Tot malorum qui sum reus,
Adonai Iesu Christe,
Ad te clamat miser iste;

Ad te clamat timor meus,
Miserere mei, Deus.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19824. saec. 15. A. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20001. B.

76. De beata Maria V.

1. Imperatrix angelorum,
Regina archangelorum,
Mater regis saeculorum,
Salve, virgo virginum.

2. Ave, salus peccatorum,
Consolatrix miserorum,
Salve, spes desolatorum,
In te confidentium.

3. O regina mirabilis,
Clemens et ineffabilis,
Mater Dei et hominis,
Ora pro nobis filium.

4. O Maria laudabilis,
Sanctissima et humilis,
Succurre nobis miseris
Ad nostrae mortis exitum.

5. Ave, Dei gloriosa,
Mater Dei pretiosa,
Stella maris luminosa
Sicut solis radium.

6. O benigna gratiosa,
Multum virgo speciosa,
In hac valle lacrimosa,
Da nobis auxilium.

7. Ave, vas munditiae,
Fons misericordiae,
Portus indulgentiae
Via navigantium.

8. O puella virginalis,
Sponsa Dei specialis,
Non fuit in mundo talis
Inter choros virginum.

9. O regina singularis,
Quae Maria nominaris,
Salva nos a cunctis malis
Et da verum gaudium.

10. Ave, virgo castissima,
Mater Dei sanctissima,
Spes nostra o dulcissima,
Confer nobis remedium.

11. O virgo sacratissima,
Super omnes purissima,
Esto nobis propitia
Pro salute fidelium.

12. Pia mater amabilis,
Ora pro tuis famulis,
Ne pereant cum miseris
In inferni supplicium.

13. Christe, fili Dei patris,
Pro amore tuae matris
Colloca nos cum beatis
In caeleste palatium.

Cod. S. Floriani XI. 172. saec. 15. — 3, 2 et fehlt. — 4, 4 Ad mei mortis. — 7, 3 Et portus. — 7, 4 Et via. — 9, 4 Et da nobis vera gaudia. — 10, 3 o fehlt.

77. De beata Maria V.

1 a. Imperatrix gloriosa,
Tu de spina candens rosa,
Genuisti lilium,

1 b. Virginalis famae glosa,
Pro gente facinorosa
Tuum ora filium.

2 a. Tu es stella matutina,
Claritatis lux divina,
Castitatis lilium,

2 b. Nos a sceleris sentina
Mundans et mala vicina
Fuga, laus humilium.

3 a. Miseratrix, larga mater,
Cum nos temptet hostis ater,
Miserere supplicum;
Mediatrix, Deus pater
Te fecit vas publicum
Suo nato, quem rogato
Pro nobis maerentibus,

3 b. Ut prostrato hoste lato
Det pacem pereuntibus.
O regina mundi pia,
Adiuva nos in hac via
Miseros et exsules,
Columbina tu Maria,
Fac nos caeli proceres.

Clm. Monacen. (ol. Alrispacen.) 2548. saec. 12. add. 13/14.

78. De beata Maria V.

1. Impudenter circuivi
Solum, quod mare terminat,
Indiscrete concupivi,
Quidquid amantem inquinat.

2. Si amo, forsan non amor,
Tunc pro mercede crucior,
Aut amor, nec in me amor,
Tunc ingratus efficior.

3. Porro, cum amor et amo,
Mater aenea media,
In momentaneo spasmo
Certaminis materia.

4. Ex quo caro longe foetet
Ad amoris aculeos,
Quos igitur ultra petet
Veri amoris aereos.

5. Fas est vel non est amare?
Fas est. Quam ergo virginem?
Quae meruit baiulare
Verum Deum et hominem.

6. Meruit quae virtuosa,
Prae cunctis plena gratia,
Potens, munda, speciosa,
Dulcis humilis et pia.

7. Cum quis hanc amat, amatur,
Est ergo grata passio
Sui amor, quo beatur
Amans amoris bravio.

8. O Maria, virgo parens,
Meum sic ure spiritum,
Quod amori tuo parens
Amorem vitem irritum.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Caupen.) 883. saec. $^{14}/_{15}$. — 1, 4 Quidquid amat coinquinat. — 2, 1 Sic amo. — 3, 2 enea; vielleicht ist der unverständliche Vers verschrieben.

79. De beata Maria V.

1. In camino crepitans
artae paupertatis,
Scelere sub proprio
venumdatus gratis,
Pretium, quo consequar
statum libertatis,
A te supplex flagito,
mater pietatis.

2. Tutus tibi supplico,
neminem cum spernas
Nec poscentis veniam
merita discernas,
Nam te invocantium
maculas veternas
Consuevit tergere
gratia, qua vernas.

3. Quidquid petit indigus,
praebes affluenter,
Circumventum nequiter
eripis prudenter,
Captum iam ab hostibus
liberas potenter,
Restaurando perdita
cunctis competenter.

4. Omnis adversantium
dolus illi cedit,
Qui tuae clementiae
se et sua credit,
Dulcem habet medicam,
quisquis ad te redit,
Quia tua pietas
sanat, quidquid laedit.

5. Manus unguentarias
habes, virgo mitis,
Quibus pie subvenis
cordibus contritis,
Nam cum in dulcedine
larga sis et ditis,
Opem ferre miseris
quasi semper sitis.

6. Hinc est, quod multiplices
trahis post te praedas,
Nec personas despicis
quantumcunque foedas,
Et quia petentibus
incunctanter te das,
Omnibus subveniens
omnem pestem sedas.

7. In te nihil asperum,
nihil est austerum,
Omnibus antidotum
exhibes sincerum,
Et, ut cunctis liqueat
illud esse verum,
Libet hoc exprimere
per figuras rerum.

8. Tu es hortus germinans
hysopi virorem,
Qui letalem reprimit
pectoris tumorem,
Tu es rosa rutilans
super omnem florem,
Carnis more lilii
mitigans ardorem.

9. Tu es mentis sauciae
nardicum unguentum,
Murra probatissima
membris paenitentum,
Tu es melos tristium
leniens lamentum,
Tu amoris pabulum,
virtus et fomentum.

10. Tu es caecis oculus,
tu es pes claudorum,
Tu es aegris baculus,
tu es vox mutorum,
Tu es portus naufragis,
tu es spes lapsorum,
Tu es nutrix sedula
Christi parvulorum.

11. Tu es mensa pauperum
panibus referta,
Civitas refugii
profugis aperta,
Fons fecundans arida
cordium deserta,
Palma dans victoriae
paenitenti serta.

12. Vellus es virtutibus
vestiens algentem,
Area, quae tritico
sacro pascis mentem,
Rubus ardens animam
faciens ferventem,
Thronus reis providens
iudicem clementem.

13. Tu amoris fornax es
vitia cremando,
Pietatis fluvius
castos dealbando,
Tu es David cithara
daemones fugando,
Tu eiusdem clavis es
caelos reserando.

14. Tu es tabernaculum
in deserto stratum,
Quod in monte fuerat
Moysi monstratum,
Tu cortina praeferens
mysticum ornatum,
Tu retorta byssus es
signans caelibatum.

15. Tu es sicca virgula
dans repente nuces,
Tu ascendens puteus,
quem parabant duces,
Tu lucerna Domini,
nam exemplis luces,
Monstrans, per quam semitam
tuos hinc educes.

16. Tu es Sara pariens
risum mundo flenti,
Tu Rebecca fidem dans
Isaac cernenti,
Rachel Iacob attrahens
facie decenti,
Lia gratam subolem
addens tuae genti.

17. Tu es Iudith auferens
caput Holoferni,
Esther pati nesciens
suam gentem sperni,
Iael, per quam novimus
Sisaram prosterni,
Debora, qua populi
victi sunt externi.

18. Tu es illa Noëmi
valde speciosa,
Tu es Ruth humillima,
cunctis gratiosa,
Virum Dei hospitans
in te gloriosa,
Per quam reparata sunt
monstra ruinosa.

19. Et quis posset scribere
verba, res et signa,
Quibus praesignata es,
virgo Deo digna,
Vere qui te colere
studet, o benigna,
Illum nunquam fallere
potest ars maligna.

20. Hac de causa veniens
ad te, virgo clemens,
Pro commisso merito
pavidus et tremens,
Toto corde deprecor,
ut me iuves premens
Dolos, quos multiplicat
in me hostis fremens.

21. Inexhausta bonitas,
quae gementes audis
Et ad vocem pauperis
nunquam aures claudis,
Per te si recesserit
commentator fraudis,
Tibi sacrificium
immolabo laudis.

22. Ha, quid dixi putridus
et foetidus vermis,
Quasi tibi pariat
aliquid honoris,
Si te commendaverit
mei flatus oris,
Cum adpretianda laus
non sit peccatoris.

23. Vere non sufficerem
ego, scurra vilis,
Laudes tuas scribere,
licet mille stilis,
Sed in tabernaculo
placuit exilis
Pauperum oblatio
de caprarum pilis.

24. Sic est, dulcis domina,
nihil dignum dare,
Nihil meritorium
possum allegare,
Tamen more pauperum
discam mendicare,
Si quas forte miculas
possim impetrare.

25. Ecce, virgo regia,
potens imperatrix,
Cum pulsat ad ostium
anima peccatrix,
Illam ne despicias,
pia mediatrix,
Quae es confidentium
in te propugnatrix.

26. Sane non inveniam
in sanctorum vico,
Qui det elemosynam
pauperi mendico
Aut ostendat hilarem
vultum ut amico,
Si me fons clementiae
spernat, de te dico.

27. Sed cum in te gratiae
summa sit ubertas,
Per quam servis perditis
redditur libertas,
Mea te largissimam
sentiat paupertas,
Cum a nullo paupere
faciem avertas.

28. Caeli cellularia,
pietas immensa,
Qua sustentas pauperes,
nunquam est expensa,
Tua quippe dextera
semper est extensa
Ad pascendum pauperes
de caelesti mensa.

29. O quam multos habeo,
sacra virgo, testes,
Quod abunde miseris
hoc, quod petunt, praestes,
Nullus enim amat te,
quem tu non honestes,
Sanans efficaciter
cordis eius pestes.

30. Hoc est, benignissima,
tibi quod allego,
Scilicet quod miserum
esse me non nego,
Nam misericordiae
matrem cum te lego,
Cum sim miser, mereor
esse tuus ego.

31. Tuus dico, domina,
qui sum tui iuris,
Cuius est succurrere
cunctis perituris,
Homicidis, furibus,
moechis et periuris,
Ad radicem quorum est
posita securis.

32. Dulcis virgo, talibus
dedit te patronam
Ille, qui non hominum
accipit personam,
Te demonstrat pauperi
caeli dans annonam
Et merenti despici
gloriae coronam.

33. Talium te flebilis
sequitur caterva,
Sicut currunt hinnuli
praeeunte cerva,
Istum miserabilem
gregem tu conserva,
Ne laedatur rabie
daemonum proterva.

34. Unus sum de miseris
ego, qui mundanum,
Heu, non cavi laqueum
habens cor insanum,
Cum mendicis ceteris
ad te tendo manum,
Cuius nemo gratiam
quaesivit in vanum.

35. Et quis unquam Mariae
nomen invocavit,
Qui non a doloribus
suis respiravit,
Aut quis ab incursibus
daemonum expavit,
Si se dulci nomine
virginis armavit?

36. Quid nomen Mariae est,
nisi quoddam scutum,
Quod repellit undique,
quidquid est versutum,
Eo qui protegitur,
sic se sentit tutum,
Quod non timet daemonis
iaculum acutum.

37. Si Mariam nominas,
daemon expavescit,
Si Mariam invocas,
caro conticescit,
Si Mariae supplicas,
mundus hic vilescit,
Si Mariae iubilas,
tuum cor ignescit.

38. In Mariae nomine
caeli fluunt mella,
Cessant maris turbines,
cedit et procella,
Si te fluctus presserint,
ipsam interpella,
Ad hoc enim dicitur
virgo maris stella.

39. Si te forte senseris
taedio languere,
Ad virtutum opera
mentem non fervere,
Stude nomen virginis
huius recensere,
Et te statim senties
spiritu vigere.

40. Cum istius nominis
mentem sapor tangit,
Intus et exterius
cessat, quidquid angit,
Porro cum vocabulum
pie lingua pangit,
A reatu solvitur
culpae, pro qua plangit.

41. Sed iam metra finiens
precor, virgo pia,
Ut sis in his tenebris
mihi lux et via,
Misero solacium,
maesto melodia,
Donec te, dulcissima,
videam, Maria.

Orat. ms. Caelestinorum. saec. 15. Cod. Parisien. 18 571.

80. De beata Maria V.

1. In hac die gratiae
Tuae et clementiae
Matrem te ostende,
A qua fluit pietas
Quaevis et benignitas,
Quam, quaeso, impende.

2. Cunctis te colentibus
Cunctis te petentibus
Da desiderata,
Ob hoc ad te confluit
Mundus, cui influit
Pietate grata

3. Bonitas mirabilis
Cunctis et amabilis
Tua gratiosa,
Veniat celeriter,
Dans nobis feliciter
Cuncta virtuosa

4. Et sursum ascendere
Donet et arripere
Loca gloriosa.

Orat. ms. Montis S. Georgii (extra muros Goslarienses) anni 1464. Cod. Guelfenbyteran. Helmst. 1391. — Das Lied steht auch bei Milchsack I, 64 nach unbekannter Quelle ohne andere Abweichungen, nur dafs 4, 1—3 ihm fehlen.

81. De beata Maria V.

1. In te, per te, de te, ex te
pax venit hominibus,
Sub te, ob te, prae te, cum te
fax lucet hominibus,
Laeve, dextre, retro, ante
mox subvenis hominibus,
Infra, supra, ima, summa,
media sis omnibus,
Prima, terna et secunda
semper es in omnibus.

2. In te Deus homo de se
ortus est hominibus,
In te Deus fecit esse
foedus cum hominibus,
In te Deus fructum messe
maturat hominibus.

3. Per te carnem maculosam
mundavit copiose,
Per te vitem generosam
plantavit fructuose,
Per te matrem amorosam
salvemur gloriose.

4. De te, vitae medicina,
resinam stilla debili,
De te fluunt, o piscina,
rivi dure flebili,
De te salus a sentina
tuens crescit famuli.

5. Ex te cedrus speciosa
crevit pudicitiae,
Ex te nardus odorosa
fert murram paenitentiae,
Ex te floret dulcorosa
palma patientiae.

6. Sub te luna luminosa
lucens splendidiflue,
Sub te cuna germinosa
lactatur melliflue,
Sub te tellus herbidosa
virescit fluctiflue.

7. Ob te palmes verae vitis
nectar fudit gratiae,
Ob te rivus fontis mitis
caret omni glacie,
Ob te cesset horror litis
pugnanti in acie.

8. Per te caeli lapsum zeli
restaurare poterant,
Per te casti ruptum veli
nullae integraverant,
Per te fasti mundi zeli
salvari non voluerant.

9. Cum te Deus, pater meus,
primitus genuerat,
Cum te Deus, natus eius,
mundum composuerat,
Cum te Deus, pneuma verus,
hominem docuerat.

10. Laeve stantes pravitatis
trahe de conamine,
Laevae manus pietatis
dextrent nos oramine,
Leve onus gravitatis
fit tuo adiuvamine.

11. Dextrae fac assistere,
cui tu assistis,
Dextrae da resistere,
cui tu obsistis,
Dextrae Dei sistere
digito nos histis.

12. Retro pressi pondere
molis perimmensae,
Retro puncti crimine
cordis sat intense,
Retro tecti dominae
sint vi valde tense.

13. Ante cernunt tremuli
delicta iam commissa,
Ante matrem Domini
actant nunc omissa,
Ante strati famuli
salventur ab admissa.

14. Infra te sunt agmina
caeli famulosa,
Infra nos sunt fragmina
valde criminosa,
Infra trahúnt barathra,
o virgo, luctuosa.

15. Supra caelos residens
attrahe gementes,
Supra te, o praenitens,
sunt stellae resplendentes,
Supra nos est insidens
horror mortis flentes.

16. Ima si despexeris
in lacrimosa valle,
Ima si respexeris
in argillosa calle,
Ima si adduxeris
in gaudiosa valde,

17. Summa sumunt gaudia
a te, iubilosa,
Summa nostra scelera,
turpe nubilosa,
Summa princeps, rogita,
ut fiant luminosa.

18. Media cum terminis
eiusdem sunt naturae,
Media hinc cerneris
Deo et creaturae,
Media nos, virginis
potestas geniturae.

19. Prima, quae non similem
habere potuisti,
Prima, quae Deum hominem
fore voluisti,
Prima reum hominem
purgare meruisti.

Cod. Graecen. 347. saec. 14. — 4, 3 cops piscina.

82. De beata Maria V.

1. Iubilose resonando,
Serenose promulgando,
Amorose decantando
Laudum excellentiam,
Optans rite puritatem,
Commendare dignitatem,
Amatricis caritatem
Nec non confidentiam.

2. Honestate decorata,
Caritate penetrata,
In amore solidata,
Venustatis flosculum,
Alligatrix animosa,
Amplexatrix speciosa,
In vinetis vernans rosa,
Dulce praebens osculum.

3. Nitens vultu coruscante,
Visu gyrans illustrante,
Ore patens mellicante
Rubicundis labiis,
Nympha luce praefulcita,
Praeamoena margarita,
In amantis corde sita,
Fando dulciloquiis.

4. Effusiva mellicorum,
Incentiva frigidorum,
Transfigentem ocellorum
Clare ferens radium,
Salutaris amor scatet,
Tota fraus dolosa latet,
Aestuante corde patet
Amabundum lilium.

5. Confortatrix intuentis,
Infirmatae calor mentis,
Coadiutrix desinentis,
Pulchrior sideribus;
Affectanda corde plaudens,
Gemma candens, risu gaudens,
Praeferens sum cunctis audens
Lapidum generibus.

6. Languet cor nec satiatur,
Risus tepet, heu, tristatur,
Dum hoc flore non utatur
Caret et intuitu;
Iucundatur, hilarescit,
Delectatur, cor fervescit,
Ex aspectu iuvenescit
Sempiterno fruitu.

7. Sanativa corde rata,
Genis pulchris figurata,
Albens dente, fronte grata,
Praeformosa crinibus;
Singularis es puella,
Fulgurosa picta cella,
Nec est visa talis stella
In terrarum finibus.

8. Eminentis lumen rerum,
Claritatis hoc procerum
Gestat corpus praesincerum
Abundans laetitia;
Redimita philomena,
Dulcisonans cantilena,
Elongati summa poena,
Letali maestitia.

9. Paradisus proclamatur,
Pullulans flos protestatur,
Redolens vas reseratur
Nulla tincta macula;
Recumbentis cor transcendens
Incessanter est intendens,
Radiosa luna splendens
Ceü ardens facula.

10. Viret modo virginali,
Fulget modo magistrali,
Circumdata curiali,
Fragrans viridarium;
Tueatrix adoptiva,
Nocivorum ablativa,
Sanitatis causativa,
Crimen pellens varium.

11. Exoriri symphonia,
Citharoedi melodia,
Canticorum harmonia
Cernitur amplexibus.
Nectar merum os largitur,
Ut scriptum in petra scitur,
Mea spes nunc exauditur,
Ne morar ambagibus.

12. Virtuosa nominata
Fusca veste est stipata,
Rubicunda combinata
Absque zyma scoriae,
Stabilita, coronata,
Mater pura conservata,
Tandem, cara Iesu nata,
Caeli data gloriae.

Cod. Maihingen. II. 1. Fol. 104. saec. 15. — 7, 1 Sanatina. — 10, 4 Flagrans. — 11, 1 Exorivi. — 11, 6 scriptum peto. — Acrostichon: Iohannes Calisser Prutenus.

83. De beata Maria V.

1. Laude humani generis
Plus digna virgo ceteris,
Sponsas castas transgrederis
Alte sedens in superis.

2. Vitis abundans gratiae,
Mater spei et veniae,
Gaude, misericordiae
Mater, Dei et gloriae.

3. Sancta sanctarum omnium,
Maria caput virginum,
Christi sacrum palatium,
Trinitatis triclinium.

4. Creavit te ingenitus,
Obumbravit te genitus
Et fecundavit spiritus,
Es facta tota deitus.

5. Fecit Deus mirabilem,
Respexit servam humilem,
Sponsam quaerens amabilem,
Tibi non fecit similem.

6. Deum cum digna parere
Sis, gaudens eius munere,
Nemo potest concipere
Digne nec satis promere.

7. Te collaudare cupiunt
Cuncti, sed non sufficiunt,
Nam laudes tot conveniunt,
Laudantes quod deficiunt.

8. Virgo dulcis et sapiens,
Boni fons indeficiens,
Nobisque sis compatiens,
Quos ferit hostis saeviens.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1, 1 Gaude humani. — 4, 2 Obumbravit unigenitus. — 5, 1 Te fecit. — 8, 3 sis fehlt.

84. Commendatio BMV.

1. Laudes beatae virginis
Promat dulcedo carminis,
Vox laeta laudes intonet,
Et mens sincera resonet.

2. Quid eius laude dulcius,
Quid Maria pulchrius,
Quae clausa gestans viscera
Effecta est puerpera?

3. Eius excellens gloria
Mira perfert insignia
Et praefulget omnibus
Humanae vocis laudibus.

4. Sola Dei potentia
Et non naturae gloria,
Sola fide, quae credidit,
Virgo conceptum edidit.

5. Nam virginis fecunditas
Est inaudita novitas,
Dum virgo prolem generat,
Naturae iura superat.

6. Sic rubus ardens cernitur
Et igne non comburitur
In signum sacrae virginis,
Matris Dei et hominis.

7. Virga florescit arida,
Virgo tumescit gravida,
Flos candet lucis germine
Signans partum ex virgine.

8. Rore vellus infunditur
Nec tactu roris laeditur,
Sic virgo sine onere
Laetatur prolis munere.

9. Virgo prudens eligitur,
David in thoro iungitur,
Sed pro Mariae laudibus
Foedis caret amplexibus.

10. Virum circumdat femina,
Dum virgo, mundi domina,
Regem caeli amplectitur
Et gravida efficitur.

11. Princeps, qui cuncta providet,
In clausa porta residet,
Dum virginis in utero
Dei verbum considero.

12. Lapis de monte scinditur,
Et manu mons non tangitur,
Dum absque viri semine
Christus prodit de virgine.

13. Hoc testamenti veteris
Figurat arca foederis,
Quod verius ostenditur,
Dum manna ibi conditur.

14. Castum Mariae gremium
Figurat grande solium,
Quod Salomon ex ebore
Suo perfecit tempore.

15. In quo noster pacificus,
Christus rex, patris unicus,
Dum carnem sibi sociat,
Nos Deo reconciliat.

16. Hesther, regina humilis,
Iudith virtute similis,
Dum hostes Dei conterunt,
Mariae laudes praeferunt.

17. Nam draco, sicut legitur,
Mulierem persequitur,
Sed caput eius conterit
Virgo, quae Deum peperit.

18. Haec sunt Mariae gaudia,
Haec virginis praeconia,
Quae, sicut terra lilium,
Sic est enixa filium.

19. Maria virgo nobilis,
Decora et amabilis,
Maria, virgo regia,
Regis mater et filia.

20. Maria solis nuntia,
Veri splendoris praevia,
Aurora innocentiae
Et gemma pudicitiae.

21. Maria, stella lucida,
Nubes levis et candida,
Viam praebet errantibus
Et portum naufragantibus.

22. Magnum Mariae meritum,
Omni virtute praeditum,
Fulget immenso iubare
Omni remota compare.

23. Mariam si aspexeris,
Nil adaequare poteris
Ipsius privilegio,
Quod meruit in filio.

24. Maria cunctis praeminet,
Quae totus orbis continet,
Nil dignius mens reperit
Excepto hoc, quod peperit.

25. Maria sole clarior
Et angelis sublimior,
Flos omnis pulchritudinis
Et manna est dulcedinis.

26. Et quamvis sic praemineat,
Ut omnibus praefulgeat,
Nec peccatores despicit
Nec paenitentes abicit.

27. Ipsa thesaurus gratiae
Et fons misericordiae,
Solamen paenitentium
Et nostrae spei gaudium.

28. Ipsa virgo perpetua,
Caelestis vitae ianua,
Caelum nobis aperuit,
Dum regem caeli genuit.

29. Ipsa suis supplicibus
Et pie se quaerentibus
Non deest in auxilio
Nec deerit in praemio.

30. Ibi regina virginum
Regem regum et dominum
Ostendet in laetitia
Et sempiterna gloria.

31. Nunc ergo dicant singuli,
Qui sunt Mariae servuli:
Ave, salus humilium,
Nostrae salutis bravium.

32. Tua, virgo, praesentia
Gaudet caelestis curia,
Tu supernorum civium
Corona et tripudium.

33. Tu aspectu pulcherrima
Et throno Dei proxima,
Regnas ibi feliciter
Et Iesum amas dulciter.

34. Cuius immensa claritas
Atque amoris suavitas
Te replet ac inebriat
Et omni bono satiat.

35. Quidquid ibi volueris
Aut quod benigne iusseris,
Hoc praestat voluntarie
Ipse auctor clementiae.

36. Nam matris ad imperium
Se recognoscit filium
Nec denegare poterit,
Quodcunque imperaverit.

37. Cuius relinquit gratiae
Sceptrum suae potentiae,
Ut omnes, quos vult, liberet
Et, quantum vult, remuneret.

38. Eia, virgo, considera
Collata tibi munera,
Nostra omnium redemptio
In tuo stat arbitrio.

39. Cum ergo tibi gratia
Non desit nec potentia,
Omnes ad te confugimus
Et opem tuam quaerimus.

40. Tu, virgo beatissima,
Tu omnium sanctissima,
Dignanter omnes respice
Et ope tua refice.

41. Tu votis nostris annue
Et larga manu tribue,
Nam tibi non minuitur,
Quidquid nobis tribuitur.

42. Tu abundas divitiis,
Tu frueris deliciis,
Quae vetustatem nesciunt
Nec detrimentum sentiunt.

43. Propter amorem filii,
Propter decus imperii,
Quo sublimata crederis
Adesto nobis miseris.

44. Tu nostra tege scelera
Nato praetendens ubera,
Ut, cum iudex advenerit,
Se filium meminerit.

45. Tu mater veri luminis,
Ad laudem tui nominis
Fac nos electis omnibus
Consortes in caelestibus.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. — 2, 2 Quid Maria pulcherius; da auch 3, 3 des Auftaktes entbehrt, ist pulchrius gesetzt worden. — 20, 1 solis micantia. — 20, 2 pervia. — 20, 3 Aureola. — 44, 3 Ut fehlt.

85. De beata Maria V.

Laudes sacrae virginis
Mariae vox canat humilis,
Haec est melliflua,
Omnibus favens sedula,
5. Oliva gratiae,
Mater misericordiae,
Regina caelorum,
Disciplina morum,
Spes miserorum,
10. Vera lux sanctorum,
Flos florum,
Refugium peccatorum,
Culparum remissio,
Virtutum augmentatio,
15. Invicta protectio,
Triumphantium gloriatio.
O virgo nobilis,
Orta stirpe Davidis,
Succurre miseris,
20. Pro peccato perditis,

Noxam purgans sceleris.
Sponsa laudabilis,
Dei atque hominis
Parens mirabilis,
Nulli comparabilis,
Caelestis genetrix luminis,
Vales prae omnibus
In virtutibus cunctis.
Plena charismatibus,
Tu es martyribus,
Confessoribus sacris
Stuporque virginibus.
In caelis tu singularis
Gloriaris
Et a superis
Veneraris
Et in terris
Ab humilibus salutaris.
O magna, maior, maxima,
Gloriosissima Maria
Virgoque prudentissima,
Mater suprema,
Omni laude dignissima,
Confer vitae sanctitatem,
Puritatem mentis,
Corporis sanitatem,
Auge fidem,
Spem tribue,
Nobis influe
Caritatem perfectam
Et duc ad gloriam
Post praesens exsilium,
Ut nos tuum filium
Iesum laudemus per aevum.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — Vor Vers 1 geht vorher:

Salve, praeoptabilis,
Virgo peramabilis,
Mater admirabilis,
Casta, nunquam labilis.

86. Oratio ad beatam Mariam V.

Magistra religionis,
Regula perfectionis,
Fac, u nobis summe bonus
Leve rteddat suum onus.
Mater digna regis regum,
Doctrix summa legis legum,
Per arta regis mandata
Nos ad regna duc optata.
Fac, ut animam spernamus,
Spernendo magnipendamus,
Fac, ut animam perdamus,
Perdendo custodiamus;
Fac, ut ipsam odiamus,
Odiendo diligamus,
Nos et nostra relinquamus,
Ut Deum recipiamus
Et divinis affluamus,
Sic omnia deseramus,
Ut cuncta possideamus
Et in regno fulgeamus.
Christi crucis asperitas
Per te sit nobis lenitas,
Sit nostrum per te studium
Sacratum evangelium,
Ut sit crux et martyrium
Dulce nobis solacium.
Vivamus evangelice,
Ut vivamus angelice,
Sic vivamus cum infimis,
Ut iungamur altissimis,
Sic utamur terrestribus,
Ut fruamur caelestibus,
Sic curramus in stadio,
Ut gaudeamus bravio.
Fac, ut os a deliciis,
Mens ieiunet a vitiis,
Os ieiunet a carnibus,
Cor a votis carnalibus.
Ieiunia, vigiliae
Nobis fiant deliciae,

Fiant planctus et lacrima
Nobis dulcedo maxima,
Gemitus et suspiria
Fac nobis esse gaudia.
Labor sit nobis requies
Ac thesaurus pauperies,
Fames sit nobis fercula,
Sitis sit nobis pocula,
Sit nobis vestis pannosa
Carior quam pretiosa,
Nos delectet vilis status
Plus quam mollis et ornatus,
Nobis vile tugurium
Sit regale palatium.
Gloriae declinatio
Sit nostra gloriatio,
Voluptatis expulsio
Sit nostra delectatio,
Carnis morificatio
Sit mentis vegetatio.
Fac nos amicos hostibus
Mansuetos crudelibus,
Servire saevientibus,
Subvenire nocentibus,
Nos omnia fac omnibus.
Contemptus, probra, verbera,
Victus et vestis aspera,
Frigus, aestus et cetera
Adversitatis genera
Per se sint nobis prospera.
Nam si crux mundi totius
Esset viri crux unius,
Si vir unus posset ferre
Poenam Orci, poenam terrae,
Nihil fere pateretur,
Si Christo compararetur,
Nam collata Christi poenis
Poena quaelibet est lenis.
Nos ergo fac mundo mori
Et vivere creatori,
Sic vitiis exuamur,
Ut gratiis induamur
Et gaudiis repleamur.
Pauperes efficiamur,
Ut ditari mereamur
Et aeternis perfruamur.
Omne, quod est mundo festum,
Fac nobis esse molestum,
Brevem mundi laetitiam
Reputemus tristitiam,
Stultam mundi prudentiam
Iudicemus insaniam,
Letalem mundi gloriam
Vocemus ignominiam,
Fallacem mundi copiam
Nominemus inopiam.
Sit vanae laudis oleum
Nobis virus vipereum,
Quod est mundo nectareum,
Fac nobis esse felleum.
Quod est mundo luminosum,
Fiat nobis tenebrosum,
Quod est mundo pretiosum,
Fac nobis esse probrosum.
Deus sit nobis omnia,
Vilescant nobis alia,
Nam creatori collata
Nihil sunt cuncta creata.
Ergo nos omnes et totos
Ab omni crimine lotos
Soli Deo fac devotos,
Omnes sensus corporales,
Omnes sensus spirituales,
Virgo, redde virginales.
Fac nos peccatis irasci,
Fac nos lamentis renasci,
Gaudere, potari, pasci,
Renasci, rebaptizari,
Satiari, debriari
Fac nos fletu salutari.
Nos lacrimis rebaptiza,
Nobis caelum thesauriza,
Nos in regnum inthroniza.

Cod. Parisin. (ol. Victorin.) 15163. saec. 15. — 76. compateretur. — Aufschrift: „Incipit oratio. Specialiter congruit religiosis.“

87. Oratio ad beatam Mariam V.

Maria, sole clarior
Omnique gemma carior,
Caeli nive candidior,
Ipsoque caelo mundior;
Tu, quam creavit Dominus,
Consecravit altissimus,
Repleta sancto flamine
Fers florem claro germine.
Ille te fecit gravidam,
Qui suam dedit gratiam,
Ut esses habitaculum
Semper illi mundissimum.
Audi, Maria domina,
Audi, precum suspiria,
Virgo mater cum filio,
Caelorum rege proprio,
Fer opem nobis miseris,
Quos turbat caro fragilis
Et subveni quantocius,
Quos premit hostis pessimus.
Et nunc mihi praecipue,
Dans me vitae perpetuae
Per tua sancta merita,
Christo Deo gratissima.
Qui malo meo merito
In omnem culpam subito
Infelix nimis corruo
Atque in morte iaceo.
Non est, qui manum porrigat
Vel succurrendo erigat,
Nisi, o tu dulcissima,
Quae mater es piissima.
Consurge pro me, domina,
Funde pro me precamina,
Si scis, quod sit necessitas,
Funde planctus et lacrimas.
Puella nobilissima,
Virgo elegantissima,
Ingenua, clarissima
Atque speciosissima,
Pro nimium me misera,
Multum infelicissima,
Plangentem te cum lacrimis
Numquid is ferre poterit,
Qui natus est in tempore
De tuo sancto corpore?
Nam si surgis, o domina,
Ut mihi des iuvamina,
Surgit tecum clarissima
Caelestis tota curia;
Si pro me rogas veniam,
Pietatem inveniam.
Maria, honor virginum,
Christi norma fidelium,
Esto mihi refugium
Nunc et semper auxilium.
Fac mundam mente, corpore,
Fac subditam iustitiae,
Fac vivere virtutibus
Et mundam fac sceleribus.
Sit iter placidissimum
Caelorum ad palatium,
Sis mihi lumen praevium
Ad paradisi gaudium.
Benedicta, sanctissima,
Quae reparasti saecula,
Quae genuisti filium,
Regem victorem hostium.
Quibus verbis te invocem
Aut quibus nunc te postulem,
Quas tibi fundam lacrimas,
Quas voces promam intimas,
Ut me indignam audias
Et, quod precor, perficias?
Audi, Maria domina,
Audi, mater dulcissima,
Terret me trepidatio
Et mortis exspectatio,
Ob hoc ad te confugio,
Quae nostra es redemptio.
Nam quando Christum videro
Nec non et in iudicio
Ante suam praesentiam
Ad te, mater, confugiam.
Ad te currens, o domina,
Ante tua vestigia
Abs te quaeram praesidia
Et, si facultas fuerit
Aut si forte licuerit,
Tuis adhaerens pedibus

Strictis tenebo manibus,
Altis dicendo vocibus
Cum ingentis clamoribus
Ac lacrimosis planctibus
Et cum duris singultibus:
O Maria dulcissima,
O Maria carissima,
Adiuva me, o domina,
Succurre mihi miserae,
Succurre mihi perditae
Et noli me despicere
Nec orphanam relinquere,
Quae te ut matrem colui,
Te dominam perhibui,
Amorem in te habui,
Tibi servire studui,
Cum non servirem, dolui.
Flecte aures, ut audias,
Fac, mater, ut exaudias,
Ne tardes, ut subvenias,
Festina, ut eripias.
Nam quia nunc te invoco
Et valde multum diligo
Diligereque sitio
Ac plus amare cupio
Et servire desidero,
Si pro me supplicaveris,
Si pro me exoraveris,
Christum pro me rogaveris,
Si tu me tunc eripies
Et abstrahendo proteges
A malignis spiritibus
Et poenis infernalibus,
Non erit desperatio
Nec ulla dubitatio,
Nec a tuo auxilio
Recedam in iudicio,
In illo tunc gravissimo,
Donec des mihi requiem
Ante quaerentis faciem.

Orat. ms. Gallicum saec. 15. Cod. Hagen. AA 175. — 44. Numquid non ferre. — 50. Caelesti. — 70. Cuius verbis. — 80. Et ob hoc. — 82. Nam quocunque videro.

88. De beata Maria V.

1. Maria, te recolere
Est nobis salutiferum,
Quae sine carnis Venere
Fecundum gerens uterum
Digna fuisti parere
Verbum ante luciferum
Et hoc ex tuo munere,
Conditor alme siderum.

2. Maria, magnitudine
Virtutum parem nesciens,
Nos in hac vita sustine
Deo placere faciens,
Ortum est de te virgine
Ex alto lumen oriens,
Hoc est a caeli cardine
Verbum supernum prodiens.

3. Maria, nominaliter
Te stella maris personat,
Et in te singulariter
Hoc duplex nomen resonat
Mater et virgo pariter,
Per eum, qui celsithronat,
In laudem cuius iugiter
Vox clara, ecce, intonat.

4. Maria, quae prae ceteris
Hoc habes privilegium,
Quod, dum mater efficeris,
Servas pudoris lilium,
Hunc, quem lactasti miseris
Nobis in adiutorium,
Sic adloqui memineris:
Veni, redemptor gentium.

5. Maria, stella praevia
Vocaris navigantium,
A fluctuum saevitia
Nos salva saevientium,
Eius mater et filia,
Cui ex ore psallentium
Hic hymnus laus est propria:
Veni, redemptor gentium.

6. Maria, mundum perditum
Primi parentis crimine
Salvas per unigenitum,
Patri parem in numine,
Suum tuumque libitum
Ad usque mundi machinae
Fines fit per circuitum
A solis ortus cardine.

7. Maria, quae sic affluis
Deliciis clementiae,
Quae neminem destituis
Ope misericordiae,
Per hunc nobis restituis
Hereditamen gloriae,
Quem tu venire metuis,
Hostis Herodes impie.

8. Maria, laus et gaudium
Nostrum per Iesum penitus,
Cuius est ad imperium
Hic totus mundus subditus
Et cui sacrificium
Contribulatus spiritus,
Tuum se dedit filium
A patre unigenitus.

9. Maria, te magnificant
Magna virtutum opera,
Mirandamque mirificant
Miranda Christi munera,
Nam omnia glorificant
Te, felix o puerpera,
Per hunc, colunt et praedicant
Quem terra, pontus, aethera.

10. Maria, tuis laudibus
Tam angelorum culmina
Intendunt in caelestibus,
Quam angelorum agmina,
In terris quae cum avibus
Pisces, fontes et flumina
Tuis subduntur pedibus,
O gloriosa domina.

11. Maria, per quod deceat
Efferri te praeconium,
Instruere complaceat
Tibi corda fidelium,
Et ne nos is absorbeat,
Qui absorbebit fluvium,
Culpas nobis indulgeat
Deus, creator omnium.

12. Maria, te deposcimus
Pro tua celsitudine,
Qua praesides, ut credimus,
Sanctis in caeli culmine,
Ut preces, quas offerimus,
Admittat pro libamine
Is, cui soli psallimus:
Salvator mundi, Domine.

13. Maria, plena gratia,
Tu maiestatis solium,
Virgo, mater et filia
Manens, dum paris filium,
Ipsi nos reconcilia,
Qui finis et principium
Futura novit omnia
Primo dierum omnium.

14. Maria, tuae doluit
Fuisse prolis proditor
Post, medius dum crepuit,
Eiusdem Iudas traditor,
Res mira, quae non rapuit,
Exsolvit cordis cognitor,
Ita nam tibi placuit,
Aeterne rerum conditor.

15. Maria, famulatui
Tuo servire libere
Per te tuos nos instrui
Requirimus summopere,
Tuo subduntur nutui
Terra, pontus cum aethere,
Hinc te precamur cernui
Iam lucis orto sidere.

16. Maria, sine Venere
Mater effecta caelitus,
Partus tui puerperae
Latebat hostem penitus,
Te decet nos attollere,
Sed petimus medullitus,
Ad hoc clemens illabere
Nunc sancte nobis spiritus.

17. Maria, cuius abstulit
Fructus ventris virgineus
Vae, primus Adam intulit
Quod Evae consentaneus,
In anima te perculit
Doloris tunc aculeus,
Cum mortem crucis pertulit
Rector potens, verax Deus.

18. Maria, te laudantibus
Insidiantes reprime,
Et esse qui dat omnibus,
Affectus nostros exprime,
Ut luceat obtentibus
Suae matris sanctissimae
Lucem veram quaerentibus,
Lucis creator optime.

19. Maria, cui similis
Non est in mundi tribubus,
Irae Dei terribilis
Tuere nos ab arcubus,
Tu portus infallibilis,
Nos redde vitae portubus,
Quibus es memorabilis
Somno refectis artubus.

20. Maria, tu quae coetibus
Caelestis praees curiae,
Nos tuis iuva precibus
Apud regem clementiae,
Illuminet ut gentibus
In umbra mortis hodie
Et tenebris sedentibus
Splendor paternae gloriae.

21. Maria, fac propitia,
Sit nobis ut propitius
In qualibet angustia
Rex noster, tuus filius,
Quos ad tua praeconia
Surgentes omnes ocius
Invitat huius gratia
Ales diei nuntius.

22. Maria, quam ad gloriam
Vexit rerum dispositor,
Ad cuius complacentiam
Est omnis homo debitor,
Ne talentorum quispiam
Suorum sit absconditor,
Tui det ad instantiam
Telluris ingens conditor.

23. Maria, digna laudibus
Suavitatis intimae,
In generationibus
Beata cunctis apprime,
Devotis interventibus
Offensas nostras adime,
Assis et hic petentibus,
Deus creator optime.

24. Maria, sine semine
Prole gaudens virginea,
Pro tuo sancto nomine
Nos in virtute recrea,
Carens amaritudine
Crescat ut ex his vinea,
Quibus pulsa caligine
Lux, ecce, surgit aurea.

25. Maria, per quam patuit
Porta perennis patriae,
Cuius ventrem non horruit
Rex aeternalis gloriae,
Sic, per te quod imposuit
Finem nostrae miseriae,
In te sibi complacuit
Magnae Deus potentiae.

26. Maria, porta patriae,
quam non turbat adversitas,
Fac ita nos iustitiae
Perambulare semitas,
Ut illuc sit cotidie
Nova nobis iucunditas,
Quo praemium das gloriae,
Tu trinitatis unitas.

27. Maria, quae totaliter
Es dicta plena gratia
Atque particulariter,
Nos tuo vultu satia,
Quo perfruuntur iugiter
In summa regis curia,
Quorum est aeternaliter
Aeterna caeli gloria.

28. Maria, memorantibus
Tuae magnificentiae
Pulsis procul doloribus
Inest causa laetitiae,
Una cum participibus
Quos secum suae gloriae
Caeli coniungat civibus
Summae Deus clementiae.

29. Maria, luce clarius
Relucet, quod diabolum
Tuus devicit filius
Mille maeandros subdolum,
Ipsius dolum longius
Tam in nocte malevolum
Fuga quam et lucidius,
Aurora iam spargit polum.

30. Maria, te non credimus
Latere, quia septies
Omnes in die cadimus
Delinquimusque pluries,
Sed placa, quem offendimus,
Plus benedicta milies,
Hunc, inquam, cui canimus:
Christe, qui lux es et dies.

31. Maria, tu quae spiritus
Praeventa dono caelico
Mater es facta caelitus
Verbo favens angelico,
Quod Deus ex te genitus
Eloquio prophetico
Foret dixerunt primitus
Ex more docti mystico.

32. Maria, tantum facias
Laudantium te coetui,
Ipsorum ut adicias
Laetitiam auditui,
Quo per tuas propitias
Preces ipsius vultui
Astantes Deo gratias
Dicamus omnes cernui.

33. Maria, vere diceris
Et es pes indulgentiae,
Tu nobis nostri sceleris
Implora munus veniae,
Quod dare ne tardaveris,
Dicator abstinentiae
Honorque nostri generis,
Iesu, quadragenariae.

34. Maria, cuius uterum
Non horruisse dicitur
Lunae, solis et siderum
Is per quem cursus regitur,
Oriri fac luciferum,
Occasum qui non patitur,
Horis cum lux ad vesperum
Iam ter quaternis trahitur.

35. Maria, quae praeficeris
Supra sanctorum cuneum,
Adversum nos, tu noveris,
Quod hostis parat laqueum,
Sed cadat auctor sceleris
In quem effodit puteum,
Nam miserendi miseris,
Ecce, tempus idoneum.

36. Maria, mulieribus
Dispar in partu filii,
Nobis inhabitantibus
Vallem huius exsilii

Tuis praestetur precibus,
Ut in die iudicii
Nos praemiet caelestibus
Summi largitor praemii.

37. Maria, sic disposuit
De te Deus auxilii,
Quod fieri te voluit
Sui thronum imperii,
A quovis hic abstinuit
Esu diu cibarii
Ac observandum docuit
Clarum decus ieiunii.

38. Maria, causa veniae
Te peccatores adeunt,
Per quam adepti gratiae
Munus mundati redeunt,
His utique materiae
Gaudendi non depereunt,
Quibus signum victoriae
Vexilla regis prodeunt.

39. Maria, de te nascitur
Rex Christus, salus populi,
Super iustos, ut canitur
In psalmo, cuius oculi,
A quo solo dum vincitur
Fraus inimica zabuli,
Soli de iure dicitur:
Iesu, salvator saeculi.

40. Maria, diligentibus
Ignis amoris fervidi
Amoreque languentibus
Medela cordis languidi,
Concede nuptialibus,
Ut apparentes candidi
Introeamus vestibus
Ad cenam agni providi.

41. Maria, pulsa precibus
Aures regis iustitiae,
Ut expiati sordibus
Et actibus nequitiae
Puris castisque mentibus
Auctori castimoniae
Cum ceteris fidelibus
Hymnum canamus gloriae.

42. Maria, prosit omnibus
Tua sic intercessio,
Ut in supernis aedibus
Tandem sit nostra portio
Beatisque spiritibus
In caeli iuncti solio
Altis canamus vocibus:
Iesu, nostra redemptio.

43. Maria, persequentium
A manibus nos eximе
Et in nos insurgentium
Malorum motus comprime,
Ut videamus filium
Tuum, hic hymnus maxime
Quem decet et non alium:
Aeterne rex altissime.

44. Maria, pudicitiae,
Totius domicilium,
Laudare te cotidie
Novum est nobis studium,
Per te simus, quo facie
Ad faciem est omnium
Haec una vox laetitiae:
Tu, Christe, nostrum gaudium.

45. Maria, quae virginibus
Iugis honor et gloria,
Sed et electis omnibus
In caelis es laetitia,
Hoc tribuat supplicibus
Tuis Christi clementia,
Ut dentur in caelestibus
Beata nobis gaudia.

46. Maria, te prae omnibus
Dei virtus impleverat,
Dum tuis ex visceribus
Assumpsit, quod non fuerat,
Ut tibi locum sedibus
Matri, prius descenderat,
Pararet in caelestibus,
Iam Christus astra ascenderat.

47. Maria, sola gemitu
Carens, dum fis puerpera,
Tuis nunc et in obitu
Servis adesse propera,

Patente tunc ut aditu
Nobis ad regna supera
Simus, quo sancto spiritu
Impleta gaudent viscera.

48. Maria, mundi diluens
Suspiriorum gemitus,
Gaudendi causam tribuens
Est ex te fructus editus,
Hic nos a culpis exuens
Ad caeli ducat aditus
Nostrique votis annuens
Veni, creator spiritus.

49. Maria, persolventibus
Pro posse laudes debitas
Nobis tuis conspectibus
Reddas coronas perditas,
Super quo deprecantibus
Te, qui in caelis habitas,
His inclinata precibus
Adesto, sancta trinitas.

50. Maria, recognoscimus
Te decus esse virginum
Et advocatam dicimus
Te specialem hominum,
Hinc est, quod, cum offendimus
In multis Christum Dominum,
Multoties requirimus
Te lucis ante terminum.

51. Maria, quam ingenuae
Prolis attollit dignitas,
Tu nobis es continuae
Laetitiae causalitas,
Nos a peccatis erue,
Ut, ubi lex est veritas,
Dicamus omnes cernue:
O lux, beata trinitas.

52. Maria, gravaminibus
Pressis levamen mulcebre,
In cunctis nostris gressibus
Praecedant tuae palpebrae,
Ne nos in infernalibus
Locis involvant tenebrae,
Sed simus in caelestibus
Festum colentes celebre.

53. Maria, pro peccantibus
Preces Deo multiplica
Et pro nostris excessibus
Instanter ei supplica
Eductosque de fluctibus
Maris ad portum applica,
Tu stella navigantibus,
O gloriosa domina.

54. Maria, puerperio
Dicata prolis inclitae,
Per quam facta redemptio
Nobis est vitae perditae,
Fac, ut caelestis contio
Laudi non vacans debitae
Hic moneat alloquio:
Caelicives, adplaudite.

55. Maria, cui saeculum
Adplaudit omne plausibus
Et cui praestat sedulum
Obsequium pro viribus,
Ad laudem Dei cumulum
Fac, ut ex peccatoribus
Mundaret sibi populum,
Exsultet caelum laudibus.

56. Maria, mater gratiae
Qua patet ad introitum
Via caelestis patriae
Per Evam matrem perditum,
Cursum nostrae militiae
Fac ita beneplacitum,
Laetemur ut in acie,
Deus, tuorum militum.

57. Maria, te requirere
Nostrae mentis est opera,
Quam ferre fas est credere
Excelsam super sidera,
Eductis ut de carcere
Mundique valle misera
Donata sit percipere
Aeterna Christi munera.

58. Maria, cuius omnibus
Est praesto patrocinium,
Tuis orationibus
Placatum redde filium
Nobis te deprecantibus,
Est cui soli proprium
His invocari vocibus:
Iesu, redemptor omnium.

59. Maria, ne permiseris
Nos esse viros sanguinum,
Quos sanguis Christi lateris
Lavit a labe criminum,
Quinimmo iuncti superis
Te mereamur Dominum
Sequi, quocunque ieris,
Iesu, corona virginum.

Cod. Londinen. Reg. 7 A VI. saec. $^{14}/_{15}$. — 3, 6 celsithronat. — 5, 6 Qui ex ore. — 24, 7 pulchra caligine. — 27, 3 Et particulariter. — 30, 2 quod sepelies. — 34, 5 Quod iri fac. — 37, 2 Ad te Deus. — 37, 7 Ad observandum. — 38, 7 signum. — 47, 1 sola genetrix. — 47, 5 auditu.

89. De beata Maria V.

1. Maria, te suppliciter
Mea salutat parvitas,
Mater misericordiae,
Reddas coronas perditas.

2. Ut laetemur feliciter,
Ubi dulcis iucunditas,
Regnemus aeternaliter,
Ubi iugis sollemnitas.

3. Per te donetur venia,
Sis expiatrix scelerum,
Sopiatur discórdia,
Sis reformatrix foederum.

4. Ad te clamat inopia,
Sis pia datrix munerum,
Nos coartat miseria,
Sis consolatrix pauperum.

5. Cupio, mater, cernere
Tui splendoris speciem,
Feliciter quiescere
Post timendum mortis diem.

6. Fac me sursum ascendere
Ad illam dulcem requiem,
Dulcem Iesum respicere
Et eius gratam faciem.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

90. Ad beatam Mariam V.

1. Maria, virgo pia,
Du haſt geholffen mir
Per aquas et in via,
Lob ſagen wil ich dir.

2. Tuas horas complendo
Ich dik verſumet han,
Quas breviter emendo,
Das wil ich nit enlan.

3. Virgo, tuum levamen
Min leben hat erloſt,
Dulcissimum solamen,
Min aller liepſter troſt.

4. Eram quasi submersus
In mängem kumber groſz,
Per te fui reversus,
Diner hilf ich dik genoſz.

5. Regina custrix poli,
Ich emphilch mich dir,
Relinquere me noli,
Wan ich wil dienen dir.

6. Dele peccata mea,
Muter der barmherczikait,
Columba turturea,
Verſwend du mir min laid.

7. Quilibet homo videt,
Die welt iſt vntruw vol,
Unus ab altero ridet,
Damit der welt iſt wol.

8. Nun hör: repletus venter
Iſt liber denne got,
Hoc patet evidenter
An mängem ane ſpot.

9. O vera mater Dei,
Du welleſt behüten mich,
Nam utor tuae spei,
An min ſünd nit enſich.

10. Si forsitan peccavi
Wider den willen din
Et vanas res amavi,
Das verzih mir, Künigin.

11. Filium tuum Christum
Bitt für mich, Kaiſerin,
Quem vidi crucifixum,
Das ich nit kom in pin.

12. Dictamen ego dixi,
Nun hilf mir uffer not,
Hucusque male vixi,
Ich ſtan in dinem bot.

13. Trade mihi mercedem,
Muter vnd Künigin,
Ut sim in tuam aedem,
Ich armer diener din.

Cod. Servorum BMV. Oenipontan. A 35. anni 1450. A. — Orat. ms. Pollingen. saec. 15. Clm. Monacen. 11917. B. — 1, 2 Du haufst B. — 2, 1 Suas B. — 2, 2 dick verſaumet B. — 3, 2 haut erlöſt B. — 3, 4 liebſter tröst B. — 4, 2 Kummer groſs B. — 4, 3 Per te sum reversus A. — 4, 4 dick genoſs B. — 5, 4 Wann ich will B. — 6, 2 Můter der parmhertzigkait B. — 6, 3 turturia A. — 6, 4 du fehlt B. — 7, 1 homo cernit B. — 7, 2 vntrewen B. — 7, 3 sq. fehlen B. — 8, 1 sq. und 3 sq. umgestellt B. — 8, 1 Cui repletus venter B. — 8, 2 dänne got B. — 8, 4 mängem B. — 9, 2 Du wölleſst behieten mich B. — 9, 3 Nam utor tua spe AB, gegen den Reim. — 9, 4 mein ſind B; nit sich A. — 10, 3 Quod vanas B. — 10, 4 Das verzeich mir Künigin B. — Str. 11 fehlt B. — 12, 1 tibi dixi B. — 12, 2 Nun hilf mir vſs not B. — 12, 3 Et iterum malum egi B. — 12, 4 Wereſt nit, ſo wer ich tod B. — 13, 2 Můter vnd Kayſerin B. — 13, 3 Et duc me in tuam aedem B. — 13, 4 Mich armen diener B.

91. Ad beatam Mariam V.

1. Maria, virgo virginum,
Ab aeterno data rege
Certissima spes hominum,
Adiuva me, fove, rege.

2. Regere vir insipiens
Non valeo me, Maria,
Tu autem, summe sapiens,
Sis indocti doctrix pia.

3. Pia Maria, expies
Cunctam a me nequitiam,
Sanctissima plus milies,
Quam dicere sufficiam.

4. Sufficiam numquid tuam,
Maria, laudem dicere,
Ad quam nec loquelam suam
Dicunt sancti sufficere?

5. Sufficere tamen queam
Te laudare competenter
Per gratiam aptus eam,
Quam Maria das libenter.

6. Libenter insipientes
Sufferre soles in via
Libenterque neglegentes
Supportes, mater Maria.

7. Maria, meam nimiam
Tu scis insipientiam,
Sed propter tuam gratiam
Da mihi sapientiam.

8. Sapientiam, qua sciam
Diligere Iesum Christum,
Qua te diligam Mariam,
Qua contemnam mundum
istum.

9. Istum mundum contemnere
Iam, Maria, me video,
Unde gratias agere
Iesu et tibi debeo,

10. Eo, euge, remotior
Ab amore mundi factus,
Quo pressura me gravior
Strinxit et fratrum detractus.

11. Tractus ad humilitatem
Ita Iesu promittente,
Odiam iniquitatem
Te Maria assistente.

12. Tentae sunt ad te, Maria,
Meae cogitationes,
Ut des mihi prece pia
Iesu benedictiones.

13. Dictiones mihi placent,
Quibus Maria miscetur,
Sed sunt graves, qui te tacent,
Cordi, quod tibi vovetur.

14. Vovetur tibi, Maria,
Corpus meum et cor meum.
Cuius probo prece pia
Propitium mihi Deum.

15. Deum Iesum relinquere
Me, Maria, fecit mundus,
Quamobrem hunc diligere
Nolo, cum sit et immundus.

16. Immundus mundus polluit,
Heu me, totam vitam meam,
Sed, Maria, qui voluit
Ex te nasci, mundet eam.

17. Eam et tu suscipias
In curam in curae via,
Quae mundanas iam gratias
Respuit pro te, Maria.

18. Maria, mea peccata
Sunt innumerabilia
Et sunt nimis prolongata
Et, proh dolor, sunt grandia.

19. Grandia magis fluenta
Tuae, Maria, gratiae
Abstergant inquinamenta
Meae tantae nequitiae.

20. Nequitiae ponam finem
Iam iuvante te, Maria,
Virtutibusque festinem
Quaerere Iesum in via.

21. In viaque veritatis
Per te, Maria, firmatus
Semper in Iesu mandatis
Iactem meos cogitatus.

22. Cogitatus similiter
In te, Maria, recondam,
Quo peragam salubriter
Viam meam gemebundam.

23. Gemebundam militiam
Mei gravis incolatus
Ad Iesu ducat gloriam
Tuus, Maria, precatus.

24. Precatus tui placitum
Mox, Maria, facit Deus,
Per teque novum spiritum
Recipit ab eo reus.

25. Abeo reus in multis
Ad te, redemptrix reorum,
Maria, quae ab occultis
Liberas corda multorum.

26. Multorum catholicorum,
Maria, prima patrona,
Auge semper salvandorum
Numerum in fide bona.

27. Bona, melior, optima
Esse, Maria, probaris,
Magnaque maior, maxima,
Miserorum recordaris.

28. Aris tuis, o Maria,
Ob hoc vovent se fideles,
Quia tu es illa pia
Sancta, quae peccata deles.

29. Deles aras, ara Dei,
Dedicatas daemoniis,
Maria, matrona spei,
Digna dignis obsequiis.

30. Obsequiis angelicis
Honoraris perenniter
Laudibusque dominicis
Decoraris sublimiter.

31. Sublimiter, o Maria,
Nomen tuum elevatur,
In patria et in via
Ab electis adoratur.

32. Adoratur tamquam dignum,
Dignius ac dignissimum,
Vertens in fugam malignum
Vergens et salvans animum.

33. Animum ad cultum sanctum
Humanum trahis, Maria,
Dans gaudium auferplanctum,
Solacium es in via.

34. In via corpus infirmum
Si sternat vis itineris,
Manet sanum cor et firmum,
Cui, Maria, imprimeris.

35. Eris ergo semper mecum,
Maria, per memoriam,
Ut etiam ipse tecum
Sim iugiter per gratiam.

36. Per gratiam iunctus tuam
Sic tuae societati
In pressura nunquam ruam
Itineris reprobati.

37. Reprobati sunt spiritus
Procul ab illius via,
Qui semper exstat deditus
Nomini tuo, Maria.

38. Maria, cunctis mentibus
Dulcis tua memoria,
Gloriae melos auribus
Et cordibus laetitia.

39. Laetitia sempiterna
Super capita eorum,
Qui semper habent interna
Cordium ad te suorum.

40. Tuorum patrum meritum
Sancta tenent vestigia,
Tenentes tuum filium
Iesum et te memoria.

41. Moriatur ergo mundo
Memoria cordis mei,
Ut vivam corde iucundo
Deo et tibi, laus Dei.

42. Dei cubicularia,
Dei voluntas, Maria,
Almi pneumatis hostia,
Iesu Christi mater pia.

43. Pia, patens, potens, dives
Divina thesauraria,
Me capias, me captives,
Turris abundans gratia.

44. Gratia indeficiens,
Spes vitae nunquam moriens,
Lux oriens, fons satiens,
Pie cunctis subveniens.

45. Subveniens sis, Maria,
Semper mihi peccatori,
Quamdiu sum in hac via,
Et da tandem bene mori.

46. Mori fac animam meam,
Maria, morte iustorum,
Ut vivere per te queam
In regione vivorum.

Orat. ms. Caelestinorum saec. 15. Cod. Parisin. (Arsen.) 419. A. — Orat. ms. Caelestinorum saec. 15. Cod. Meten. 571. B. — 8, 3 Mariam diligam A. — 22, 3 pergam A.

92. De beata Maria V.

1. Mater Dei,
Maria nomine,
Praedotata
virtutum culmine
Ac donorum
beatitudine,
Ab hostili
serva nos turbine.

2. Mentes nostras
peccatis deditas,
Quas nunc terret
mortis propinquitas,
Fac securas,
quae sursum habitas,
Nam, quibus vis,
datur securitas.

3. Mons sublimis,
iustorum speculum,
Dei sponsa,
morum spectaculum,
Iam in caelis
regnans in saeculum,
Dono pacis
reforma populum.

4. Monstra nobis
tuam clementiam
Piam nobis
dando concordiam,
Nec in plebe
fundat malitiam,
Qui cecidit
propter superbiam.

5. Mirabile
magnum ostenditur,
Terra surgit,
spiritus labitur,
Ambo pugnant,
sed Satan vincitur,
Illa regnat,
iste proicitur.

6. Mater, quae scis
omnes scientias
Et cognoscis
hostis versutias,
Rege mentes,
doce Christi vias
Et perduc nos
ad eius nuptias.

7. Mitte robur
ferque praesidia
His, qui tua
narrant praeconia,
Et ut facta
sint meritoria,
Fac, ut grata
sint semper et pia.

8. Mundus praesens
plenus aculeis,
Nos diversis
opprimens malleis,
Sed intra haec
ab hostis laqueis
Conserva nos
in cunctis plateis.

9. Mater Dei,
per tua merita
Nos infirmos
clementer visita,
Visita nos,
mundi lux inclita,
Et ad Christum
sis nobis semita.

10. Memoriam
tui da tenacem
Et de Iesu
fidem perspicacem,
Fac vitare
mundum hunc fallacem,
Hostem quoque
nimium procacem.

11. Miserere
animae miserae,
Quae non potest
sese cognoscere,
Hanc, si placet,
velis instruere,
Et ad Christum
semper attrahere.

12. Mater, de qua
bona tot audimus,
Tibi iuges
gratias agimus
Et insuper
supplices petimus,
Ut des pacem,
ad quam praetendimus.

13. Mater, in qua
est omnis puritas
Et totalis
abundat bonitas,
Per te detur
tanta sagacitas,
Quod vincatur
hostis calliditas.

14. Mitte nobis
de caelis gratiam,
Quae praecedat
et doceat viam,
Hanc gratiam
da nobis sociam,
Ut subsequens
ducat ad gloriam.

15. Mater plena
misericordiae,
Dux et vigor
nostrae militiae,
Pone finem
nostrae miseriae,
Ne subrepat
pestis acediae.

16. Mundus iste
multam miseriam
Nunc germinat
et immunditiam,
Da igitur
intellegentiam
Ut servemus
cordis munditiam.

17. Memoriam,
heu, nimis labilem
Vivifica
et fac pervigilem,
Et ut Deo
tibique iubilem,
Ad hoc opus
redde me habilem.

18. Mundus iste
plenus invidiae,
Fumus ignis
concupiscentiae
Iam excaecat
servos ecclesiae,
Mitte lumen
de sede gloriae.

19. Mentes ergo
corrige carnales
Nec non motus,
qui sunt bestiales,
Ne nos laedant
canes infernales,
Vel perimant
poenae aeternales.

20. Medicamen
nostrorum sensuum
In omnibus
da nobis congruum,
Ut vivamus
secundum cor tuum,
Ne aliquis
currat in vacuum.

21. Mater digna
beatitudine
Et nobilis
tam re quam nomine,
Te deprecor
mentis conamine,
Ut des finem
absque formidine.

22. Miles probus
in regno gaudebit,
Post laborem
gaudium habebit,
Hyprocrita
poenam sustinebit,
Cum Satana
reprobo lugebit.

23. Mater Christi,
qui est benedictus,
Vincens hostem,
qui est maledictus,
Ego pauper,
dolens et adflictus
Ad te curro,
ne sim derelictus.

24. Mundus enim
plenus est figmentis
Et fraudibus
antiqui serpentis,
Et ideo
nos piis lamentis
Te rogamus,
ut des pacem mentis.

25. Mater Dei,
qui diligit iustos,
Qui arguit
et castigat stultos,
Absolve nos
peccatis onustos
Et semper sis
gregis Christi custos.

26. Mater pia,
spes morientium,
Consolamen
pie viventium,
Da servulis
caeleste praemium,
Quod est quies
et pax et gaudium.

27. Mater ducis
vere iudicantis
Et clementer
peccata donantis,
Miserere
plebis nunc errantis,
A semita
nimis deviantis.

28. Mater Christi,
qui dat verum potum,
Qui spiritum
et cor dat devotum,
Fac, ut digne
reddam sibi votum,
Immo corpus,
mentem et me totum.

29. Mater potens
plenaque gaudio,
Circumdata
caeli collegio,
Nos respice
vultu propitio,
Multiplici
repletos taedio.

30. Mitis mater,
auribus percipe,
Voces nostras
clementer suscipe,
A mundana
peste nos eripe
Et nos tecum
in fine recipe.

Cod. Parisien. 3639. saec. 15/16.

93. De beata Maria V.

1. Mater Dei gloriosa,
Super omnes speciosa,
Virgo nitens et formosa,
Sic refulges velut rosa.

2. Rosa florum redimita,
Pretiosa margarita,
Orta de te nostra vita,
Mors per eam est attrita.

3. Caelum, terra atque mare
Te non cessant collaudare,
Inter quae et me dignare
Laudes tuas resonare.

Cod. Trecen. (ol. Claravallen.) saec. 15.

94. Oratio ad beatam Mariam V.

1. Mater Domini Maria,
Recta paradisi via,
De qua dicit prophetia
Quae fuit in Isaia:

2. Virgo germinabit florem,
Qui septenum fert odorem,
Virgo paritura prolem
Generabit salvatorem.

3. Per te genitus est Deus,
Tuus dominus et meus,
Sicut resonat Matthaeus,
Licet deneget Iudaeus.

4. O tu virgo singularis,
Aula Christi, stella maris,
Quae theotocon vocaris,
Mihi iam compatiaris.

5. Ego namque pro peccatis
Nimium inveteratis,
Multis et non computatis
Mihi pertimesco satis.

6. Vulnera sunt veterana,
Quibus medicina vana
Exstat funditus humana,
Sana me tu, virgo sana.

7. O Maria benedicta,
Mea dilue delicta,
Ne sententia districta
Christi mihi sit vindicta.

8. Aures tuas, o regina,
Meis precibus inclina,
Ut caelestis medicina
Per te mihi sit vicina.

9. In me generatur fletus,
Stringit dolor, terret metus,
Iam non possum fore laetus,
Qui peccatis sum repletus.

10. Astra caeli non sunt tanta,
In me vitia sunt quanta,
Quae tu, virgo, mater sancta,
Almis precibus supplanta.

11. O si dares nunc auditus,
Ut me traheres ad litus,
Quem demergit maris situs,
Quo teneor irretitus.

12. Fundunt lacrimas pupillae,
Quas suscipiunt maxillae,
Comparatus sum favillae,
In me vitia sunt mille.

13. Unde te, dilecta Deo,
Recolens in corde meo
Multum rogitando fleo,
Ut sis pia mihi reo.

14. Emendare me sum praesto,
Nunc placere Deo gesto,
Sed tu, virgo, mihi maesto
Iam placabilis adesto.

15. Nobilis et mente pura,
Cum sis mitis ex natura,
Quare nunc es mihi dura
Nulla permanente cura?

16. Audi, porta paradisi,
Per quam multi sunt confisi,
Ego, cum peccavi, risi,
Modo fleo, quod commisi.

17. Ad te clamo de profundo,
Genu flecto, pectus tundo,
Et tu nunc, dilecta, mundo
Vento subveni secundo.

18. O columba sine felle,
Iam suspiria repelle,
Monstra te salvare velle
Meque manibus compelle.

19. Ego namque, cum peccavi,
Vidi vulnus et expavi,
Unde nunc maerore gravi
Tibi supplico suavi.

20. Et tu, virgo, praebe mentem,
Monstra fore te clementem,
Ut me nimium maerentem
Deum facias videntem.

21. Ego perpetravi faecem,
Rupi verba legis decem,
At tu, casta virgo, precem
Audi nunc et tolle necem.

22. Ante tuum, virgo, vultum
Fleo rogitando multum,
Ut, quod contra Dei cultum
Feci, mihi sit indultum.

23. Quodsi fuerit audita
Mea vox, convertar ita,
Ut sit Christus mihi vita
Saecula per infinita.

Cod. Vatican. 4363. saec. 13. A. — Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. 14/15. B. — Str. 1 fehlt B. — 2, 1 germinavit AB. — 2, 2 sq. fehlen A. — 2, 4 Paritura salvatorem A. — 3, 1 Per te A. — 4, 3 Quae teopto convocaris A. — 5, 3 Multum B. — 6, 1 veterata A. — 6, 2 Et a nullo praedicata A. — 6, 3 Cesset funditus A. — 6, 4 Sana me tu virgo cara A. — 7, 3 sq. fehlen A. — 8, 3 sq. fehlen A. — 9, 1 generatus A. — 9, 2 Frangit dolor A. — 9, 3 Nec non possum B. — 9, 4 Quia peccatis A. — 10, 2 Mea scelera sunt quanta B. — 10, 3 mater pia A. — Str. 11 fehlt A. — 11, 4 In quo B. — 12, 1 Fudit A. — 13, 1 Unde dilecta A; Ante dilecta B. — 13, 2 sq. umgestellt A. — 13, 4 Ut suscipiat mihi reo A. — 14, 1 Emendare mihi A. — 14, 2 gesto statt gestio. — 14, 3 Et tu virgo B. — 14, 4 Implacabilis A. — Str. 15 fehlt A. — 15, 4 permanens B. — 17, 2 flexu A; corpus tundo B; pectus mondo A. — 17, 3 Et tu, mater dilecta B. — 17, 4 Et tu subveni A. — Str. 18 und 19 umgestellt A. — 18, 4 Meis manibus repelle A; Meque manum compelle B. — 19, 1 compeccavi A. — Str. 20 sqq. fehlen A. — 23, 3 sit fehlt B. — Vgl. Mone II, 371.

95. De beata Maria V.

1. Mater, gaude,
Fons mei gaudii,
Maior laude
Cuncti praeconii
Filiorum,
Novo more
Praecelsa meritis,
Divo rore
Fis mater capitis
Et membrorum.

2. Fatus audis
Divalis nuntii,
Iesum claudis
In claustro lilii
Puritatis,
Tu per idem
Fis mater omnium,
Qui per fidem
Sequuntur filium
Caritatis.

3. Siccans picem
Fermentis veteris
Tu radicem
Virtutis miseris
In electis
In merendo;
Nos minus fertilis
In perdendo
Mater damnabilis
In infectis.

4. Te laudamus,
[Assis] his coetibus,
Et oramus,
Velis germinibus
Misereri;
Tua mella
Dulcedo superat,
Sedat bella,
Discordes foederat,
Mater cleri.

5. Desolatis,
O mater adveni,
Tibi datis
Potenter subveni,
Parce, pia,
Ne draconis
Fallantur fraudibus
Nec leonis
Frangantur faucibus,
O Maria.

Pro matris iure de natis sit tibi curae.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343. anni 1351.

96. De beata Maria V.

1 a. Mente gaudens exsultabo,
Dei matrem collaudabo,
Cui carmen decantabo
Cordis cum laetitia,

1 b. Te laudantis sume votum,
Malum a me pelle totum
Et amoris auge votum,
Virgo plena gratia.

2 a. Aurem tuam huc inclina,
O virgo puerpera,
Desolatum, lux divina,
Consolari propera.

2 b. Porta patens caelestina,
Pietatis viscera
Nulli claude, nos, regina,
Nato tuo foedera.

3 a. Dulci nato lac propina
Ei praebens ubera,
Ut me salvet a ruina,
Iure matris impera.

3 b. Aula regis crystallina,
Mendicis dapifera,
Gratiae Dei piscina,
Dele mea scelera.

4 a. Ave, virgo iucundata,
Gabriele salutata,
Laetis arrhis subarrhata,
Favus mei melculi;

4 b. Ave, virgo desponsata,
Impraegnata, gravidata,
Rore caeli fecundata,
Zelus mei corculi.

5 a. Ave, flatu concepisti,
A reatu nos lavisti,
Mundo tristi subvenisti,
Rosa vernans verculi;

5 b. Ave, solem genuisti,
Stella solem protulisti,
Virga florem peperisti,
Arca tabernaculi.

6 a. Ave, lumen Simeonis,
Madens vellus Gedeonis,
Sponsa prudens Salomonis,
Ablutrix piaculi;

6 b. Ave, solis florens ortus,
Stella maris, tutus portus,
Ex te, mater, rex est ortus,
Genetrix puerculi.

7 a. Ave, morum disciplina,
Tu caelorum es regina
Et dolorum medicina,
Renovatrix saeculi;

7 b. Ave, gemma pretiosa,
Radix sancta virtuosa,
Virga Iesse fructuosa,
Liberatrix populi.

8 a. Ave, stella radiosa,
Florens vitis liliosa,
Splendor poli, mundi rosa,
Datrix vitae pabuli.

8 b. Ave, virgo mater pia,
Mundi salus, vitae via,
Spes lapsorum es, Maria,
Latrix pacis osculi.

9 a. Ave, decus puellarum,
Imperatrix reginarum,
Vera salus animarum,
Tutrix mundi tremuli;

9 b. Ave, vincla peccatorum,
Mater regis angelorum,
Laxa, firma spes reorum,
Tela frangens aemuli.

10 a. Ave, virga, pandis florem,
Stella, novum gignis solem,
Virgo mater, paris prolem,
Redemptorem saeculi;

10 b. Ave, virgo gloriosa,
Mater Christi generosa,
Caritate uberosa,
Radius carbunculi.

11 a. Ave, virgo, quae portasti
Deum verum, quem lactasti,
Plagas nostras tu sanasti,
Gratiae vas ferculi;

11 b. Ave, virgo Dei parens,
Tori viri tactu carens,
Incorrupta semper manens,
Luna lucis speculi.

12 a. Ave, caelis honoraris
Et in terris adoraris,
Iuxta natum collocaris,
Advocata queruli;

12 b. Ave, tuam opem quaero,
Miser ego non despero,
Ad te curro, quamvis sero,
Turris defensaculi.

13 a. Ave, mater, placa natum,
Ora patrem ex te natum,
Per te castrum sit collatum
Patris habitaculi;

13 b. Ave, virgo, te saluto,
Miser languens faecis luto,
Me salvari per te puto,
Vale mille milies.

14. Ave, pone me sub tuto
A serpenteque versuto
Tuearis forti scuto,
Nato reconcilies.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343 anni 1351. — 1, 6 omne pelle totum. — 2, 1 hic. — 2, 5 parens. — 4, 6 Stella florem. — 4, 7 florem fehlt. — 12, 3 collocatum. — Die Hs. bezeichnet das Stück als „Sequentia de beata virgine;“ die Bezeichnung kann nur der Form, nicht dem Gebrauche gelten, wie schon das Reden des Dichters aus der Einzahl andeutet.

97. Oratio ad beatam Mariam V.

1. Mole pressus
huius miseriae,
In qua sede
privatus gloriae
Poenas luo
primae superbiae,
Ad te clamo,
fons indulgentiae,
In qua sola
spem ponunt veniae
Desolati.

2. Stella maris
et virgo virginum,
Flos decoris,
quae lumen luminum
Infudisti
tenebris hominum,
Pelle noctem
meorum criminum,
Stella, per quam
transit ad terminum
Nox peccati.

3. Scio, mater,
quod ab infantia
Omni carens
carnis spurcitia
Sic es sacra
respersa gratia,
Quod illaesa
pudoris gratia
Attulisti
promissa gaudia
Verbi Dei.

4. Per hanc mihi
concede gratiam
Deformatam
mentis infantiam
Reformare
per continentiam,
Ne ob foedam
carnis lasciviam
Me fraudatum
effectu sentiam
Sanctae spei.

5. Circumventus
erroris spiritu
Teophilus
et rerum ambitu
Totus stabat
in mortis aditu,
Cum illius
deflexa gemitu
Post terrorem
hunc ab interitu
Retraxisti.

6. Me serpentis
prava suggestio
Tuo, mater,
contempto filio
Totum facit
servire vitio,
Sicque mortis
me manet regio,
Nisi per te
reformer solio
Iesu Christi.

7. Ildefonsus,
antistes inclitus,
Post laborem
devoti spiritus,
Quo te laudat,
dignus est habitus
Uti veste
collata caelitus,
Per quam eius
accepta servitus
Monstraretur.

8. Pauper, nudus
et miserabilis
Ad te clamo,
regina nobilis,
Profer stolam,
qua mater sterilis
Me privavit,
ne contemptibilis
Sim, cum dies
illa terribilis
Adducetur.

9. Adulescens
intra coenobium
Carnis lapsus
in desiderium,
Dum ad opus
exit venerium,
Praefocatur
lapsus in fluvium,
Quem de morte
vivum ad medium
Mox reducis.

10. Sic per motum
carnis illicitum
Mente vagans
extra propositum
Morti meum
addixi spiritum,
Vivifica me,
ne post obitum
Expers fiam,
per carnis meritum
Verae lucis.

11. Alter quidam
carne deposita
Propter carnis
perversa merita
Sepultura
privatur debita,
Sed sub lingua
rosa mox edita
Locum dignum
per tua monita
Reddit ei.

12. Flos caelestis
et vitae lilium,
Christum roga,
florem convallium,
Ne me terra
privet viventium,
Sed post carnis
huius excidium
Locum mihi
praestet et solium
Requiei.

13. Vas marinis
iniectum fluctibus,
Ferro vinctum
et plenum opibus
Per te sine
regentis manibus
De remotis
adductum partibus
Creditoris
repente foribus
Est illatum.

14. In hoc mari
pleno periculis,
Ne peccati
collidar scopulis,
Castitatis
me stringe vinculis,
Ut semotis
carnis obstaculis
Portum petam
tuis discipulis
Praeparatum.

15. Post Hebraeus
ad viri reditum
Reddi petit
thesaurum creditum,
Sed per tuum
mox unigenitum
In hac fraude
videt se proditum,
Qui solutum
testatur debitum
In pictura.

16. Sponde, mater,
pro tuo puero,
Qui transgressor
factus est utero,
Sibi timet
a verbo aspero,
Cum requiret
tortor a misero,
Quidquid modo
mali commisero
Cum usura.

17. In maerore
sedebat civitas,
Minas sibi
timens impositas,
Sed repente
clausis iucunditas
Per te redit,
quae maestos visitas,
Iuliano
per poenas subitas
Condemnato.

18. O regina
digna memoria,
Hostis, mundi
et carnis vitia
In me movent
diversa proelia,
Sed da pacem,
tu patris filia,
Et eiectum
tuo concilia
Mater nato.

19. Te iocando
quidam de populo
Dato tibi
desponsat annulo,
Sed post sponsam
quaerens ex saeculo
Commonetur
nocte miraculo
Ne pudorem
solvat in lectulo
Te neglecta.

20. O pudoris
insigne speculum,
Virgo, tuum
serva discipulum,
Ne mens laesa
per carnis stimulum
Votum frangat
et solvat cingulum,
Rea fiat
per culpae scrupulum
Et infecta.

Cod. Duacen. (ol. Marchianen.) 49. saec. 13. in. A. — Cod. Parisin. 3639. saec. 15/16. B. — 2, 3 Stella maris A. — 2, 4 et lumen B. — 10, 6 adduxi B. — 11, 6 diversa merita A. — 11, 7 sq. mox rosa sub lingua A. — 15, 4 Reddit B. — 16, 2 pro suo B. — 18, 3 mundus B; carnis et mundi A. — 19, 5 fehlt B. — Verfasser dieses Liedes ist der Dichter des Psalteriums „Ave, lignum, quod suo tempore"; B nennt als Verfasser den hl. Bernhard, natürlich mit Unrecht.

98. De beata Maria V.

Non iam discordant mater virgoque, sed ipsis
Litibus exclusis se pacis ad oscula vertunt.
Hic natura silet, logicae vis exsulat omnis,
Rhetoricae perit arbitrium ratioque vacillat.
Haec est, quae nutu divini muneris usu
Nata patrem natumque parens concepit, honorem
Virgineum retinens nec perdens iura parentis.
Haec est stella maris, via vitae, porta salutis,
Regula iustitiae, limes pietatis, origo
Virtutis, veniae mater thalamusque pudoris,
Hortus conclusus, fons consignatus, oliva
Fructiferans, cedrus redolens, paradisus amoena,
Virgula pigmenti, vinaria cella, liquore
Praedita caelesti, nectar caeleste propinans,
Nescia spineti florens rosa, nescia culpae,
Gratia, fons expers limi, lux nubila pellens,
Spes miseris, medicina reis, tutela beatis,
Proscripti reditus, erranti semita, lumen
Caecis, deiectis requies, pausatio fessis.
Haec est, quae primos casus primaeque parentis
Abstersit maculas, vincens virtute reatum,
Diruta restituens, reddens ablata, rependens
Perdita, restaurans amissa, fugata repensans,
Post vespertinos gemitus nova gaudia donans,
Post mortis tenebras lucis novitate relucens.
Cuius ad adventum redit aetas aurea mundo,
Post famem pietas, post culpas gratia, virtus
Post vitium, pax post odium, post triste iocosum.
Ut rosa spineti compensat flore rigorem,
Ut dulcore suo fructum radicis amarae
Ramus adoptivus redimit, sic crimina matris
Ista luit matremque facit sua nata renasci.

Cod. Lincen. (Liber de laudibus BMV.) Cc VII 5.

99. Ad beatam Mariam V.

O enixa praeter morem
Maris stella verum solem,
Creatura creatorem,
Virgo Deum, virga florem,

Per illius nos splendorem
Et saporem et odorem
Duc ad vitam meliorem,
Quorum esse redemptorem
Non sinas immemorem.

Cod. Londinen Reg. 7 A VI saec. $^{14}/_{15}$.

100. De beata Maria V.

1. O insignis sponsa Dei,
Mater alma sanctae spei,
Lignum vitae almifluum,
Sertum ferens praecipuum.

2. Ostende nobis sobrias
Sponsi et sponsae nuptias,
In illa dulci patria
Fructu vitae nos satia.

3. Paradisus voluptatis
Aquis vitae irriguus,
Fons totius bonitatis
Lacte et melle profluus.

4. Puro lacte, pio melle
Nostra infundens pectora
Fac nos pios sine felle
Et puros sine macula.

5. Deus pater, Deus fili,
Deus amborum caritas,
Tibi soli laudabili
Sit honor atque claritas.

Orat. ms. Tegurinum anni 1467. Clm. Monacen. 19991.

101. De beata Maria V.

1. O Maria, expers paris,
Salve, virgo singularis,
Pensa, pia, quod vocaris
Porta caeli, stella maris,
Fons misericordiae.

2. Stirpis Iesse virga florem
Edis, stella gignis solem,
Nata patrem, virgo prolem
Et in partu sola molem
Non sentis angustiae.

3. Placa patrem, ora natum,
Ex te verbum incarnatum,
Ut condonans mis reatum
Me videre suum gratum
Vultum det rex gloriae.

Cod. Londinen. Vespas. D 9 saec. 15. — Das Lied macht ganz den Eindruck, als sei es nur ein Bruchstück (Schlufs) einer Sequenz. Feststellen konnte ich es bisher nicht, weshalb ich mich begnügen mufs, die Vermutung auszusprechen.

102. De beata Maria V.

1. O Maria, mater Christi,
Sola Christo placuisti,
Sola digna tu fuisti
Ferre mundi pretium.

2. Felix venter, qui portavit,
Felix virgo, quae lactavit,
Felix mater, quae gestavit
Summi patris filium.

3. Ad te, virgo, manus tendo,
Me peccasse reprehendo,
Fundo preces ad te flendo,
Ut sis in auxilium.

4. Peccatoribus teneris
Opem ferre; cur? si quaeris,
Audi quare, si digneris,
Castitatis lilium.

5. Quia verbum, incarnatum
Propter hominis peccatum,
Tibi confert principatum
Caelestium, terrestrium.

6. Eia, mater [illibata]
[Eia nostra] advocata
Redemptori Christo grata,
Respice suspirium.

7. Funde preces, placa Deum,
A peccatis solve reum,
Nil negabit, quidquid eum
Rogas, non est dubium.

8. Dum precaris salvatorem,
Iram vertit in amorem
Et convertit peccatorem
Et praestat subsidium.

9. A te ergo non recedo,
Vita nostra, spes, dulcedo,
Per te me salvandum credo,
Vera spes credentium.

Orat. ms. Gelriense saec. 15. Cod. Bremen. c 15. — 2, 1 te portavit. — 3, 4 sis mihi in. — 4, 3 quare, fieri digneris. — 5, 1 Quia ex te verbum.

103. Oratio ad beatam Mariam V.

O Maria, mater Dei,
Habe curam, quaeso, mei
Et, quod rogo corde toto,
Ante mortem, dum aegroto,
Daemonum repelle minas,
Me custodi neque sinas
Per languorem delirare
Sensum meum nec errare
Tuam propter pietatem,
Sed ad omnem voluntatem
Christi rectus ut perduret,
Tua virtus hoc procuret.
Virgo clarior aurora,
In tremenda mortis hora
Post finitos temporales
Annos, quando corporales
Oculi clauduntur mei,
Meae salus esto spei
Et, quod mente rogo tota,
Loca ductus ad ignota.
Post hanc villicationem
Dum pravorum rationem
Cogor reddere factorum,
Ubi nullus amicorum
Me iuvabit, neque pater
Neque soror neque frater,
Christi vulnera per quina
Ab inferni me sentina
Liberes et per cruorem
Sanguinisque per sudorem,
Plagas crebrasque virgarum,
Fellis poculum amarum,
Sputa, probra, quibus laesus
Fuit et in vultu caesus
Colaphisque verberatus,
Spinis demum coronatus,
Lanceaeque per fixuram
Et per mortem crucis duram,
Quando clamans exspiravit
Et sic mundum reformavit.
Per dolorem, quo flevisti
Totam passionem Christi,
Cunctis locis a poenarum,
A ministris tenebrarum,
Pia mater, me defendas,
Mihi, precor, et ostendas
Sacrum tui ventris fructum.
Tuum, virgo, per conductum
Femina, florum decora,
Mihi, precor, hoc implora.

Ut sic vivam semper docte
Mane, sero, die, nocte
Taliterque dormiendo,
Vigilando vel iacendo,
Sedens, stans vel incedendo,
Manducando vel bibendo,
Loquens atque meditando,
Vivam sic et operando
Incessanter carne, mente,
Pia virgo, te gerente
Filii per manum fortem
Usque corporis ad mortem,
Ut in morte per te piam,
Quae petivi, cunctis fiam
Tuis dignus adiumentis
Et sic salver a tormentis.
Pater praestet hoc et natus,
Sacer utriusque flatus,
Trinus unus, qui cunctorum
Dominatur saeculorum.

Orat. ms. Scotorum Vindobonen. 54 h 8. anni 1410. — 49 florum tam decora. — Von demselben Anonymus wie Nr. 106.

104. Ad beatam Mariam V.

O Maria, miserorum
salus et refugium,
O Maria, una salus,
una spes fidelium,
O Maria, esto pia
meum ad auxilium.

O Maria, iam audito
tuo dulci nomine
Dissipantur graves imbres
paenitentis animae,
Et paulisper ampliori
illustratur lumine.

Ora Deum, qui te matrem
voluit eligere,
Iube carnem, quam tu sola
meruisti gignere,
Et exora Christum tuum,
ne me velit perdere.

O Maria, totum venit,
quidquid tu rogaveris,
Ille Deus vult omnino,
quidquid tu volueris,
Illa caro non praesumit,
nisi quod tu iusseris.

O beata mediatrix,
quae sic potes omnia,
Cuius velle nec perturbat
Dei praescientia,
Nam praescivit totum esse,
quidquid tu vis, domina.

Pro me saltem semel ora,
et hoc mihi sufficit,
Velle tuum, o Maria,
satis mihi proficit,
Quia, tantum ex quo dicis,
statim Deus efficit.

O regina, cui cuncta
fiunt possibilia,
Quidquid petis, tecum petit
tota caeli curia,
Totum quaerens, totum volens,
quod vult sua domina.

O Maria virgo, roga
tuum unigenitum,
Ut conservet in me tandem
castitatis lilium,
Te iuvante quo petente
merear tripudium.

Cod. Londinen. Reg. 7 A VI. saec. $^{15}/_{16}$. — 2, 3 imbre. — 5, 3 perturbet. — Neben Str. 5 hat eine spätere Hand geschrieben: falsum mendacium.

105. De beata Maria V.

O Maria, quae es pia,
Clemens, digna, tam benigna,
Talis exstas bonitatis,
Excellentis dignitatis,
Tantae mirae pietatis,
Sic quod nullum dedignaris,
A quo, virgo, salutaris,
Nec peccantes aspernaris,
Dum ab ipsis invocaris.
Preces audis et exaudis
Tuum nomen invocantes,
Eia, mater, te amantes
Rege, salva deprecantes.
Normam dona paenitendi,
Tempus recte da vivendi,
Doce formam confitendi,
Omne malum dimittendi
Et peccata fugiendi,
Deum verum metuendi
Et ad caelos veniendi,
Te cum sanctis intuendi
In caelesti patria
Vera cum laetitia.
Hic in terris iuste da vivendi,
Nulla cedat unquam
hora delinquendi,
Sed mens detur bona faciendi,
Per te, sancta,
mitis, dulcis virgo,
Virgo pia, Christi mater et filia,
O Maria, nostra spes et gratia,
Nobis sis semper propitia.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 20015. anni 1500.

106. Ad beatam Mariam V.

O Maria, spes reorum,
Miseratrix miserorum,
Tuam per virginitatem
Mentis, carnis puritatem,
Per annuntiationem
Christique conceptionem
Sacrumque per eius ortum,
Qui salutis confert portum,
Tuique per vim doloris,
Quo eiusdem redemptoris
Es livore cruciata,
Per gaudium, quo laetata
Eius resurrectione
Eras et ascensione,
Tuumque per diem laetum,
Quando super omnem coetum
Exaltavit angelorum
Te reginam saeculorum,
Et amoris per amplexus,
Tibi natus quibus nexus
Est in aevum tuque nato
In amoeno caeli prato,
Per largam et eximiam
Tuam misericordiam,
Qua tu misericordiae
Nec non totius gratiae
Digne mater appellaris
Et pro reis deprecaris,
Templum Dei consecratum,
Tuum, precor, ora natum,
Ut propitietur cunctis
Vivis, etiam defunctis,
Qui vel quae me offenderunt,
Contra me vel deliquerunt.
Meis fac ut inimicis
Pius sit, ut non ultricis
Flammae sentiant abyssum
Pravitatis per commissum.
Peccatorum, quaeso, nexus
Solvat utriusque sexus,
Contra quos existo reus,
Sic ut salvet illos Deus,
Solvat functos et illorum
A reatu peccatorum
Tuam propter pietatem,
Fidem, spem et caritatem.
Fac, ut vivis det constanter,
Largiatur abundanter
Animabus defunctorum
Locis frui beatorum.

Mihi, fac, ut fidem rectam
Christus det et spem perfectam,
Et, quod precor nunc, attende;
Toto corde, tota mente,
Tota precor et virtute
Sempiterna pro salute.
Me diligere fac eum,
Ut me proximumque meum
Cum compassione tota,
Quoadusque fiat nota
Salus mihi sempiterna
Per te, virginum lucerna.
Ne me mortis tangat luctus,
Fac, ut in hoc mundo fructus
Dignos agam paenitendo
Paenitensque persistendo.
Mihi digne da deflere,
Mentis carnisque delere
Per lamenta, rosa florum,
Sordes cunctas vitiorum,
Tuam per precationem
Fletus post absolutionem
Nullum recommittam scelus,
Sic me Christi tangat zelus.
Veram des humilitatem,
Mentis, carnis castitatem
Pia interventione
In omni temptatione,
Deprecor, et in adversis
Huius saeculi diversis
Fac me vere patientem,
Recte semper incedentem.
Da per Christum, tuum natum,
Mihi cor illuminatum,
Destrue gulositatem,
Tribue sobrietatem
Sapientiamque veram,
Qua me recte semper geram,
Intus, extra vitam rectam
Da constanter et perfectam,
Talem, quae nec ipsum Deum
Proximum nec unquam meum
Scandalizet vel offendat,
Sed et mihi nunc ostendat,
Et in morte te felicem
Sempiternam adiutricem.
Mater atque virgo pura,
In praesenti ac futura
Mea tribulatione,
Mentis, carnis passione,
Cunctis, quibus hic infestor
Die, nocte vel molestor,
Da perfectum coniuvamen
Spiritaleque solamen.
Mihi digne da tractare
Tui, virgo, corpus nati,
Per quod integram peccati
Habeam remissionem,
Lucis quoque regionem.
O regina paradisi,
Mala, semper quae commisi
Hic indigne manducando
Corpus Christi vel tractando,
Cunctaque peccata prava
Ante mortem, quaeso, lava,
Sic ut cunctis fiam purus
A tormentoque securus
Dono tuae pietatis;
De his cunctisque peccatis
Conscientiam da mundam
In extremis ac per undam
Fac ut cedat lacrimarum,
Quidquid superest amarum.
Spiritalem per amorem
Cunctum deleas errorem,
Gulam, curam corporalem,
Omnem motum temporalem,
Cuncta mundi blandimenta
Spiritus per documenta.
Cuncta tolle, mater viva,
Menti carnique nociva,
Menti carnique salutem
Confer nati per virtutem.
Sempiternae lucis testa,
Cuncta, quae petivi, praesta,
Da constantiaeque donum
Et in cunctis finem bonum.
Pater praestet haec et natus,
Sacer utriusque flatus,
Trinus unus, qui cunctorum
Dominatur saeculorum.

Orat. ms. Scotorum Vindobonen. 54 h 8. anni 1410.

107. De beata Maria V.

1. O Maria, sponsa Christi,
Castitatem dum vovisti,
Templum esse meruisti
Summi regis filii.
O Maria, sceptrum regis,
Virga Iesse, mater legis,
Flos pudoris, salus gregis,
Baculus consilii.

2. Sacrum flamen te replevit,
Vitae verbum dum quievit,
Mundi scelus quod delevit,
In te, virgo regia.
Me peccantem tua prece,
Ne succumbam hostis nece,
Defoedatum mortis faece
Munda, o egregia.

3. Sordes purga delictorum,
O dulcedo supernorum,
Vitae portus miserorum,
Sors perennis gratiae.
Manum praebe desperato
Et peccatis obligato,
Me lucrare tuo nato
Spe perunctum veniae.

4. Vero sole illustrata,
Quasi cedrus exaltata,
Favo mellis comparata,
Angelorum domina,
Fundamentum es bonorum
Et cementum perfectorum,
Tu columna peccatorum,
Mittis vitutum semina.

5. Quae non flore deflorata,
Virgo manens illibata,
Verbo patris onerata
Dei paris filium,
Adae culpa nos infecit,
Morsu pomi dum refecit
Se, quem serpens sic eiecit,
Intrans in exsilium.

6. Sic offendit creatorem
Non repellens fraudatorem,
Quem post sentit deceptorem,
Labore dum adfligitur.
Immortalis fit mortalis,
Tota prole subiugalis,
Mundi status inaequalis,
Sic homo laesus laeditur.

7. Sed tu, mater conditoris,
Spes salutis, flos honoris,
Reparatrix transgressoris,
Medicina gratiae,
Miro modo subvenisti,
Quando Deum genuisti,
Nos his poenis exemisti,
Novae nutrix veniae.

8. Per te mare transmeatur,
Omne malum evitatur,
Omnis labor superatur,
Ave, mundi gloria;
Spes immensa peccatoris,
Virgo, mater conditoris,
Iram placa salvatoris,
Tu salutis gratia.

9. Ave, virga pastoralis,
Decor et pontificalis,
Dignitas sacerdotalis
Et virtutum cellula;
Tu lucerna veri solis,
Salvandorum firma polis,
Sustentamen nostrae molis,
Aaron tu virgula.

10. Se ipsum (tunc) exinavivit
Verbum patris nec amisit
Carne servi, quam admisit,
Deitatis gloriam;
Quam sic arte palliatam
Et mortali circumdatam
Tunica reddit velatam
Nativitatis gratiam.

11. Et de sede parentali,
Regno patris e regali
Alvo tuo virginali
Te vestitus prodiit;
Sic mundus venit in mundum,
Et hoc mare fit iucundum,
Mundus homo dum immundum
Liberandus adiit.

12. Hoc in mari remigantes
Et procellis fluctuantes,
O Maria, te laudantes
Aeternam duc ad patriam,
Nos dulcedo terrenarum,
Carmen suave Sirenarum
Lacum mergunt in amarum,
Nisi petas veniam.

13. Consolando desperatos
Nos ingratos redde gratos,
Confirmando defraudatos
In viam pacis dirige;
Virgo sancta, quid moraris?
Surge, scis, quod honoraris;
Natum quare non precaris?
Orando lapsos erige.

14. Nihil est, quod tibi neget,
Quia scit, quod mundus eget,
Te poscente corda reget
Spiritu consilii;
Culpas dele, ne tarderis,
Ut a nobis venereris,
Mater sancta, quid vereris
Opem ferre filii?

15. Nulla virtus repulsiva,
Florens rosa, pax, oliva,
Te molestat, reddis viva,
Mors quorum vita pascitur;
Ores ergo, ne draconis
Esca simus vel leonis,
Praeda simus ne praedonis,
Nostra qui morte alitur,

16. Et ne flammis accendamur,
A serpente ne rodamur
Et ab hoste ne stringamur
Sub poenarum vinculis;
Ibi dolor infinitus,
Ubi punit nos punitus
Hostis terrae et attritus
Plurimis periculis.

17. Salve, salva, sponsa Christi,
Hos, quos poenis exemisti,
Quando Deum genuisti
David ex stirpe nobilis;
Tempestate ne mergamur,
Ne procellis obruamur,
A spineto ne pungamur,
Concede, venerabilis.

18. Tu aurora solis ortum
Antecedens iam exortum,
Stilla mellis, rigas hortum
Sponsi, qui confloruit;
In quo flores quasi vitis,
Tactu, fructu, gustu mitis,
Cum a vino mundi sitis
Iam exstinctus maduit.

19. Calix Dei et praeclarus,
Vino plenus, hic amarus,
In futuro dulcis, carus,
Hic si inebriabimur;
Faex (eius) non est exinanita,
Psalmodia testis ita,
Peccatorum non oblita,
Ab ipsa nam potabimur.

20. Ergo, virgo specialis,
Fons signatus spiritalis,
Gemma fulgens virginalis,
Evae culpam ablue;
Caput antiqui serpentis
Pede tere nos laedentis,
Cor concede paenitentis,
Reatus nostros dilue.

21. Mater, natum exorando
Et pro nobis supplicando,
Nos in bonis conservando,
Iunge caeli civibus;
Ut cum ipsis epulemur,
Congaudendo collaetemur,
Visu Dei iucundemur
Angelorum sedibus.

22. Creatura Dei sumus,
Caro nostra velut humus,
Vita volans quasi fumus,
Pertransiens opprimitur;
Fit et homo quasi fimus,
Dum putrescit terrae limus,
Virgo, vide, quales simus,
Miseria deprimimur.

23. Homo iuventute floret,
Senectute saepe dolet,
Sic arescet, sicut solet,
Tandem morti subditur;
Homo flori comparatur,
Dum de matre generatur,
Nam florendo defloratur
Et sic adnihilabitur.

24. Sed tu, virgo, non marcescis,
Quae florendo non vilescis,
Mundo fructu maturescis,
More fragrans balsami;
Impolluta sis polluto,
Sorde carens in hoc luto,
Tu protecta Dei scuto,
Sponsi decor thalami.

25. O praecincta virgo sole,
Laus immensa tibi soli
Nos ingratos mundi mole
Sereno vultu respice;
Praesta, virgo singularis,
Nulli iure coaequalis,
Quae prae cunctis dominaris
Dignitatis apice.

26. Ores ergo nunc pro clero,
Opem tuam, virgo, quaero,
Nos committe Deo vero
Cum devoto populo
Nec non sexu praedevoto
Femineo tibi noto,
Ores et pro mundo toto,
Sic succurre saeculo.

27. Ne peccando condemnemur,
Sed a malo liberemur,
Regi summo praesentemur
Sanctorum in agminibus,
Hoc praestare tu digneris,
Qui parcendo misereris,
Ut in nobis domineris
Nunc et semper per aeterna
Saeculorum saecula.

Clm. Monacen. 24804. saec. 15. — 9, 7 Sustentamentum. — 11, 5 hunc in mundum. — 18, 7 a fehlt. — 27, 8 ist überzählig; es kann entfernt werden, indem man im folgenden Verse saeculorum saeculis liest.

108. De beata Maria V.

1. O Maria, stella maris,
Medicina salutaris
Corporis et cordium,
Fons signatus, clausus hortus,
Via pacis, vitae portus,
Pauperis refugium.

2. In hac valle lacrimarum,
In hoc loco tenebrarum
Contra fraudes hostium
Nos custodi, nos defende,
Sis adiutrix et impende,
Quod est necessarium.

3. Gloriosa Dei mater,
Cuius natus exstat pater,
Patris unigenitus,
Cuius mentem praeparavit,
Cuius carnem praeaptavit
Utriusque spiritus.

4. Intercede pro peccatis
Apud fontem pietatis
Et misericordiae,
Fac nos vere paenitere
Et commissa sic deflere,
Dum tempus est veniae.

5. Omnis virtus te decorat,
Omnis sanctus te honorat
In caelesti patria,
Omnes gentes benedicunt
Et laudantes tibi dicunt:
Ave, plena gratia.

6. Propter plagas crucifixi,
Quas cruentas flens vidisti
Nostra pro miseria,
Fac nos digne te videre
Et videndo congaudere
In perenni gloria.

7. Iesu, fili summi patris,
Iesu, fili summae matris
Et intactae virginis,
Qui de caelo descendisti
Et descendens induisti
Veri formam hominis,

8. Genetricis pia prece
Nos a luto, nos a faece
Peccatorum ablue
Et concede vitam puram
Et da pacem permansuram
Et salutem tribue.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20001. A. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 119824 saec. 15. B. — Aus ungenannter Quelle bei Milchsack I, 99. M. — 1, 6 Pauperum M. — Str. 3 und 4 bilden bei M den Schlufs des Ganzen. — 3, 1 mater Dei B. — 3, 4 Cuius alvum M. — 3, 5 Primum David praeoptavit M. — 4, 5 Fac nos commissa deflere M. — 4, 6 Tempus adest veniae M. — Str. 5 u. 6 fehlen M. — Str. 7 u. 8 stehen vor 3 u. 4 M. — 7, 4 caelis M. — 8, 4—6 fehlen M.

109. De beata Maria V.

1. O Maria, stella maris,
Porta caeli quae vocaris,
In sublimi throno sita,
Supplicantes tibi dita.

2. Christi mater, virgo pia,
Praeceptorum Dei via,
Involutus naevi sorde
Ad te clamo toto corde:

3. Miserere, quaeso, mei,
Miserere, mater Dei,
Mala namque iam sunt multa,
Quae commisi, et adulta.

4. Mihi multum elanguenti
Et delicta confitenti
Heü, heü, quid sum ego,
Numquid tamquam pulvis ego?

5. Cur creatus, quare natus?
Nam sum cinis stercoratus,
Heu, dulcedo mundialis,
Quot et quantis urges malis!

6. Heu, quam gravem lugent poenam,
Qui ad tuam sedent cenam,
Pandis opes, flectis mentes,
Odis bonis adhaerentes.

7. Ab his ergo conculcaris,
Sed a tuis adamaris,
Infers fluxum corporalem,
Aufers vitam spiritalem,

8. Infers malum, quod nos urat,
Aufers bonum, quod perdurat,
At tu, mundi quae regina,
Quae languentum medicina

9. Appellaris, procul pellē
Mala plebis et avelle,
Tolle planctum, terge luctum,
Seda moti maris fluctum.

10. Dirae necis tolle sortem,
Improvisam fuga mortem,
Sola virgo et intacta,
Decens, grata Deo facta.

11. Praebe mihi caeco ducem,
Quo ad veram ducar lucem,
Servitutis tuae donum
Da perenne mihi bonum.

12. Huius autem mundi mare
Fac ut possim enatare,
Laeta proles et decora,
Deum ex te natum ora.

13. Meas audi, quaeso, preces,
Quem deturpant carnis faeces,
Cor emunda, purga pectus,
Os et linguam intellectus.

14. Dele prorsus foedos mores,
Sparge bonae mentis flores,
Te laudare me dignare
Et virtutem mihi dare

15. Contra hostes tuos velis,
Virgo sacra et fidelis,
Virens virga, florens rosa,
Tota pulchra et formosa.

16. Uva dulcis, vera vitis,
Fons hortorum, odor mitis,
Sanctitatis plenitudo,
Aequitatis rectitudo,

17. Hos converte, larga salus,
Quos praepungit doli palus,
Stirps praeclara, regis sponsa,
Lux apparens non absconsa.

18. Templum Dei spiritale,
Te precantes, precor, ale,
Flos albescens et decorus,
Nescit sordem cuius thorus.

19. Pro devotis Deum ora
Tibi servis omni hora,
Clarum germen et regale,
Iesse genus speciale.

20. Delictorum solve nexus
Plebis utriusque sexus,
Vera fides et beata
Super caelos exaltata.

21. Lapsis tuum fer iuvamen,
Desolatis consolamen,
Pietatis altitudo,
Castitatis fortitudo.

22. Vas a Christo praepurgatum
Vel ab ipso consecratum,
Ad te clamo, ad te oro
Vitiorum strictus loro.

23. Illud, inquam, rumpe lorum,
Quo se regit vis malorum,
Rogo, precor , interpello,
Pulso supplex et apello

24. Tuam, virgo, pietatem
Et benignam maiestatem,
Esto pro me apud Deum
Interventrix, ut ad eum

25. Pervenire possint digne
Mea vota, et benigne
Donet plebi christianae
Per te semper Arianae

26. Sectae ritus, argumenta
Evitare et figmenta.
Donet cunctis, qui te orant,
Qui requirunt et implorant,

27. Duraturam vitam, pacem
Bonam atque efficacem,
Donet terris ubertatem,
Det infirmis sanitatem,

28. Viam rectam deviatis,
Reddat sensum insensatis,
Donet lucem sempiternam
Et quietem his aeternam,

29. Qui fideles exstiterunt
Et qui bene crediderunt.
Sit laus illi sicut patri,
Honor tibi velut matri,

30. Virtus illi et potestas,
Tibi decus et maiestas
Nunc et semper et per saecla
Saeculorum infinita.

Brev. ms. Soliniacense (?) saec. 13. Cod. Londinen. Harl. 2928.

110. De beata Maria V.

1. O Maria, virgo pia,
Plena Dei gratia,
Inter Deum et me reum,
Precor, ut sis media.

2. Virgo sancta, mater casta,
David proles inclita,
Pia prece me a faece
Peccatorum suscita.

3. Ille ductor et instructor
Assit mihi spiritus,
Qui te mundam et fecundam
Fecit esse caelitus.

4. Illa, inquam, ne delinquam,
Me conservet gratia,
Qua, qui flevit, te replevit,
Inter tua brachia.

5. De mortalis vitae malis
Me dignanter erue
Et post mortem fac consortem
Quietis perpetuae.

6. In hac vita sic me dita
Donis spiritalibus,
Dando pignus, quo sim dignus
Gaudiis caelestibus.

7. Pro meorum propinquorum
Te salute postulo,
Ut laetentur et solventur
Ab omni periculo.

8. Virgo lenis, a terrenis
Munda nos affectibus
Et cunctorum peccatorum
Nos absolve nexibus.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19363. saec. 15.

III. De beata Maria V.

O Maria, virgo pia,
Maris stella, Dei cella,
Mater Dei, sponsa Christi.
Virgo digna ac benigna,
Cunctis sanctis sanctior,
Virgo gravis ac suavis
Mellis stilla dulcior.
Speciosa, pretiosa,
Gloriosa, generosa,
Fons misericordiae,
Via vitae, causa viae,
Omnis boni copia.
Reginarum flos cunctarum,
Laus sanctarum animarum,
Spes reorum, pes lapsorum,
Angelorum gaudium,
Tuo nato nos paccato,
Qui creavit omnia,
Nobis quoque impetrato
Sempiterna gaudia.

Cod. Zwethalen. 36. saec. 12. add. saec. 12. — A. — Cod. Trecen. (ol. Claravallen.) 1612. saec. 15. B. — 8 Pretiosa, speciosa B. — 9 Generosa, gloriosa B. — 11, causa vitae B. — 14. Dominarum laus B. — 15. spes lapsorum A. — 16. Angelorum indeficiens gaudium AB. — 19. Nobisque AB. 20. — Aeterna A.

112. De beata Maria V.

1. O Maria, virgo pia,
Mater Dei, caeli via,
Angelorum domina,
Me conforta, me defende,
Contra hostes manum tende,
Delens quaeque vitia.

2. O Maria, mater lucis,
Quae ad lumen nos reducis,
Esto mihi praevia,
Servi tui preces audi
Et intentum tuae laudi
Christo reconcilia.

3. Ora regem tuum natum,
Ut me multis implicatum
Curis et erroribus
Mundum reddat a peccatis
Et infundat veritatis
Lumen meis sensibus.

4. Cum fervore pietatis
Det amorem paupertatis,
Cor mundum et humile,
Cor contritum, abnegatum,
Rectum, gratum, transformatum,
Patiensque stabile.

5. Mores pios et iucundos
Et ab omni sorde mundos,
Quos exornet pietas,
Appetitum aeternorum
Et contemptum mundanorum,
Ubi tanta vanitas.

6. Et agenda doce nosse,
Velle simul atque posse
Pro me, pia, postula,
Ut cum mortis solvam iura
Me defendas a pressura
Per aeterna saecula.

Cod. Gottwicen. 85. saec. 16. A. — Corner, Magnum promptuarium 1645, p. 212 sq. mit der Angabe: Ex hortulo devotionis Hugonis Carthusiensis. B. — 4, 1 caritatis B.

113. De beata Maria. V.

1. O Maria, virgo pia,
Stella maris, caeli via,
Angelorum domina,
Roga Christum, Deum vivum,
Ut perducat me captivum
Ad caelorum agmina.

2. O Maria, vas honoris,
Medicina peccatoris,
Advocatrix pauperum,
Roga Iesum, pium regem,
Ut ad illum caeli gregem
Perducat me miserum.

3. O Maria, caeli clavis,
Dulcis mater et suavis,
Dolentis solacium,
Me sub tua pone cura,
Libera me, virgo pura,
Placa mihi filium.

4. O Maria, sancta parens,
Flos de spina spina carens,
Pulchra, sine macula,
Serva tibi commendatum,
Illumina tenebratum,
Mea solve vincula.

5. O Maria, templum Dei,
Firmamentum nostrae spei,
Pietatis femina,
Audi preces huius rei,
Sordes purga cordis mei,
Relaxa peccamina.

6. O Maria, Deo grata,
O ter quaterque beata,
Plena Dei gratia,
Adiuva me, virgo clemens,
Ne me sua leo fremens
Trahat ad supplicia.

7. O Maria, vitae vena,
Spiritali rore plena
Totaque dulcedine,
Prece tua salva reum,
Reple mentem et cor meum
Caelesti pinguedine.

8. O Maria, maris portus,
De qua vivus fons est ortus,
Qui sanat et satiat,
Odor tuae sanctitatis
Eruat me de peccatis
Et salvum me faciat.

9. O Maria, mitis rosa,
Sorech vitis pretiosa,
Vinum dans laetitiae,
Suscipe me, mater bona,
Me do tibi, mihi dona
Locum indulgentiae.

10. O Maria, caeli porta,
Desolatum me conforta,
Mihi sis propitia,
Protege me, Dei cella,
Ne involvat me procella
Et tempestas obvia.

11. Iesu, verbum summi patris,
Serva servos tuae matris
Locum donans veniae,
Salva reos, salva gratis
Et nos tuae claritatis
Configura gloriae.

Cod. Trecen. (ol. Claravallen.) 1612. saec. 15. — Weitgehende Entlehnungen aus Adam Victorinus.

114. De beata Maria V.

1. O mater, virgo virginum,
Tu castitatis lilium,
Trinitatis triclinium,
Vitam tulisti omnium,
O mater, virgo virginum.

2. Maria, fons paradisi,
Lignum vitae, quod quaesivi,
Per te mundus refloruit,
Dum Deum per te coluit.

3. Tu nomen Evae flebilis
Mutasti, virgo nobilis,
Adae demis interitum,
Quem mundus sensit meritum,
O mater virgo virginum.

4. Te Moyses et Aaron
Praesignant, filia Sion,
Rubus ardet et non aret,
Virgo florens est et aret.

5. Virgo fecunda filio
Viro caret in saeculo,
Gedeonis mysterium
Tibi parat imperium.

6. Per te David opilio
Regni sedet in solio,
Te Salomon in ferculo
Throno signat eburneo.

7. Hoc opus est tam nobile,
Quod non sit ei simile,
Cuncta per te pacificat
Et universis imperat,
Dum te pater a saeculo
Thronum elegit filio.

8. Tu propitatio
Es in templo Dei,
Salutis responsio
A te datur ei,
O memento mei.

9. Tu candelabrum,
mensa panis vitae;
Defecti ieiunio,
Omnes advenite
Ob amorem vitae.

10. Fons indeficientiae,
Tu rivus affluentiae,
Quae nulli das invita,
Hortus clausus et signatus,
Flore, fructu amoenatus,
Ab homine nec scita.

11. Per filium imperium
Mater tenens aethereum,
Secum disponens omnia,
Certus sum, quod sit ita.

12. Virginale speculum,
Per quod lucet saeculum,
Castitatis lilium,
Amoenitas florum
Et dulcedo morum.

13. Thalamus munditiae,
Thronus sapientiae,
Eia, quo rex gloriae
Christus sedet hodie.

14. Mira genitura,
Paret virgo pura
Dei patris filium,
In quo vita omnium,
Omnis creatura,
O virgo, me cura.

15. O mirum matris meritum,
Servum dum facit dominum,
Deum nostrum ac Dominum,
Dum imus fit omnium
Summitas summorum.

16. O mira humilitas,
Cui nulla vilitas,
Vilis est hominibus,
Per Mariam virginem
Nobilis nobilibus
Colla superborum
Calcans impiorum,
O donum donorum.

17. Stella maris praevia,
Salvos nos duc per devia
Ad vitae introitum
Et meritum habentium
Consortes fac iustorum.

18. Imperatrix omnium,
Regni tenens solium,
Tu cum sceptro radias,
Tu principatum habeas
Regni caelorum,
Tu es laus angelorum.

19. Tu caelestis dulcedo,
Tu mater es amoris,
Virginitas, fecunditas,
Omnis expers doloris.

20. Tu civitas, festivitas,
In te boni sacietas,
Amplexus filialis,
Te recreat laetitia,
Tu mater curialis.

21. Nato iungis felicia
Ora cum amicitia,
O, quis audivit talia.

22. Radix immortalitatis,
Flos deliciositatis,
Sanctitatis fructus,
Dulce lignum, dulci dignum
Melodia quidem, quia
Vitam mundo portasti,
Mater filia.

23. Thronus regis, arca legis,
Botrus Cypri, spica nardi,
Odor suavitatis.

24. Tu balsamus, tu calamus,
Te decet regis thalamus,
Tu es Hesther pulcherrima,
Tu es Iudith fortissima,
Tu hostem mundi conteris,
Populum tuum eripis,
Virtus tua notissima.

25. Tu civitas iustitiae,
Voce plena laetitiae,
Te magni laudant carmine,
Te parvae canunt animae.

26. Mater misericordiae,
Tu tua pascis specie
Dilectum in meridie,
Tu fontem sapientiae,
O singularis gratiae
Hauris, mater clementiae.

27. Ex Aegypto, o Maria,
Hostis te duce pereat,
Virtus tua nos provehat
Ad manna nos promoveat,
Cibum carnis amoveat.

28. Tu nos post hoc exsilium,
Mater, transfer ad filium,
De terra nos lugentium
Redde terrae viventium.

29. Tu potes haec et omnia,
Regis mater et filia.
O novitatum novitas,
Tua regnat humilitas,
Tibi sit laus per filium,
O mater, virgo virginum.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin Scriptt. Eccl. 375. — 1, 1 Vale sancta virgo virginum; cfr. 1, 5; 3, 5; 29, 6. — 4, 3 Rubet. — 4, 4 et ardet. — 15, 4 ymis fit. — 19, 1 Tu curiae caelestis. — 26, 1 O mater. — 26, 6 Auris mater.

115. De beata Maria V.

1. O mundi prodigium,
Virgo lactans filium,
Deum maiestatis,
Tu Christi hospitium,
Insigne triclinium
Summae trinitatis;
Tu mortis remedium,
Tu vitae praesidium
Morti condemnatis,
Laudes vincis omnium,
Te nullus mortalium
Scit laudare satis.

2. Abigail turbinem
Mentis et acredinem
Irae mitigavit,
Precum per dulcedinem
Placans David sanguinem
Nabal conservavit;
Sic peccantem hominem,
Mortis in voraginem
Quem culpa prostravit,
Ad salutis ordinem
Per te matrem virginem
Deus revocavit.

3. Rex David insenuit
Senio confriguit
Viribus attritis,
Abisag coniacuit
Et sinu recaluit
Pulchrae Sunamitis;
Sic patris, quae tepuit,
Caritas referbuit
Per te, virgo mitis,
Botrus Cypri floruit,
Quo mundus immaduit
Vino verae vitis.

4. Bersabee mittitur,
Dulciter excipitur
Throno Salomonis,
Thronus matris iungitur,
Adoniae petitur
Abisag in donis;
Sic virgo innititur
Dilecto et fruitur
Potissimis donis,
Nec damnari patitur
Suos, sed abraditur
Lex damnationis.

5. Dum Assuerus imperat,
Hester Aman superat,
Mulier pusilla,
Holofernem verberat
Et concives liberat
Iudith fortis illa;
Sic, dum virgo generat,
Homo spem recuperat,
Nam felix armilla
Leviathan vulnerat,
Homo praedam lacerat
Ex eius maxilla.

6. Ergo, dulcis domina,
Benedicta femina,
Spes desperandorum,
Tua per precamina
Mundentur peccamina
Supplicum tuorum;
Caelitus illumina,
Penitus elimina
Vires temptatorum
Et per haec discrimina
Nos lactos ad agmina
Ducas beatorum.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. $^{14}/_{15}$.

116. De beata Maria V.

O pia virginitas, dulcis, fecunda, decora,
Virgineo numero sapiens et sola beata,
Princeps cunctarum, quae clara lampade fulges,
Sub cuius clipeo tute latuere fugientes,
Sub quo non tantum fugiunt, sed saepe triumphant.
Virgo rata atque omni parte inviolata, tulisti
Quae partum tantum, caelive fenestra serena,
Orbem terrarum quae nomine virginis imples,
Virgo supernalis, quae gaudia sumis ab Evae
Planctu, sub summo regno sine fine beata,
Stabilis aeterno tempesti stella marini,
Omnis sinceri nautae dux nempe fidelis.
Virgo sacra, burgum, spes nostra, inimica superbis,
Sublimata, poli quae altissima digna petisti
Et solis vestem, caeli regina, nitentem;
Sola sine exemplo, virgo mundana, tulisti
Iustitiae solem, fontem pietatis amoenum.
Virgo sacra atque alma dotataque sensibus altis,
Cui nec prima fuit nec consimilisve secunda,
Quaeque Deo vero templum divina sacrasti.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. zweimal fol. 106b A, fol. 110a. B. — 1, 1 Vale o virginitas A; Vale pia virginitas B. — 2 munero B. — 4 fugentes A. — 5 non fehlt B. — 19 consimilis nec secunda A.

117. De beata Maria V.

O quam pulchra polo residere Maria probaris,
Quae tam pulchra solo manibus depicta pararis,
Digna coli regina poli, paradisus amoenans,
Sol celebris, lux in tenebris, tenebrosa serenans,

Hymnidicus chorus angelicus famulans tibi plaudit,
Magnificus rex pacificus, quidquid petis, audit.
Tu requies, species, saties et manna decoris,
Nutrix, adiutrix, tutrix in agone laboris.
Libanus et platanus, clibanus per flamen amoris,
Balsamus et thalamus, calamus, spiramen odoris.
Tu rosa, tu lilium, crystallus, ebur, therebintus,
Chrysolithi pretium superans, pretiosa iacinthus.
Stella decoris, cella pudoris, mater honoris,
Stilla liquoris, gemma valoris, lima doloris,
Summe decor, te corde precor, demissus in aequor,
Mente necor, te, virgo, sequor, languentibus aequor.
Ad veniam veniae venio, veniam mihi quaero,
Ad portum patriae te remige pergere spero.
Stella maris, tu sola maris sine semine natum,
Virgo, paris sine more paris sine semine natum.
Mentes illustra nostras, o vera lucerna,
Nam sine te frustra quaeruntur regna superna.
Ecce, Maria, tibi miser obtulit hoc modulamen,
Tu tamen esto sibi tutamen in omnibus. Amen.

Cod Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. 14/15. A. — Antiph. ms. Martialense saec. 14. Cod. Parisin. 916. add. saec. 15. B. — 1. probatur B. — 2. paratur B. — 6. petit B.

118. De beata Maria V.

1. O regina reginarum,
Iubar caeli mundo carum,
Dei natum pariens,
Prope sis, ut beatarum
Per te laetus epularum
Gaudium sim hauriens.

2. Per te rasit vetustarum
Iura Deus legum harum
Dura cuncta molliens,
Imperatrix veniarum,
Da foeda vi lacrimarum
Delens sim et abluens.

3. Laude pollens reginarum
Dominarumque cunctarum
Gloriam es transiens,
Iuvans fac, ut regis clarum
Cernam vultum, ne poenarum
Ardeat vis puniens.

4. Hostem sternis humanarum
Pariter creaturarum
Vita mortem auferens,
Pia tu desolatarum
Mentium universarum
Solatrix sis eminens.

5. Opus matrum ac nuptarum
Iubilando praeamarum
Mitis virgo permanens,
Taetrum chaos tenebrarum
Iubare precum sanctarum
Obstrue me muniens.

6. Nutris lacte mamillarum,
Quem nec caeli nec terrarum
Capiat vis fugiens,
Ergo me, flos feminarum,
Iunge illi, ne vel parum
Laedat leo rugiens.

7. Mediatrix animarum
Gerens zelum mundanarum
Christo eras uniens,
Aestum virtutum primarum
Pie mihi redona, rumpens scelus impediens.

8. Murus es contra ferarum
Dicta ictus bellicarum,
Tuos semper protegens,
Iuva, decus puellarum,
Ne ad ima me fossarum
Serpens trahat saeviens.

9. Evae matris tu vincla rumpis, dum proba feminarum
Despicis parturiens,
Da, ne pars fiam praedarum,
Quas attraxit sirenarum
Cantilena tinniens.

10. Regem regis hunc tuarum
Ubertate gratiarum,
Qui vana est corrigens
Et me caput plurimarum
Urbium, parochiarum
Regem sanctum faciens.

11. Te laudat hierarchiarum
Coetus, ut comes earum
Sim, tu fac compatiens,
Abice ab hoc saevarum
Templo morsus bestiarum,
Et regat vir oriens.
Mihi da, ut hunc praeclarum
Die zeli nec amarum
Videam et moriens.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375 — 1, 1 Ave, virgo reginarum; da fast alle Lieder-Anfänge in dieser Hs. verändert sind, und hier das nichtsbedeutende virgo reginarum eine solche Änderung anzeigt, wie oben der mutmafsliche Anfang hergestellt.

119. De beata Maria V.

1. O regina virginum,
Labe carens criminum,
Domina caelorum,
Salve, lumen luminum,
Gignens numen numinum
Deumque deorum;
Sicut sine seminum
Iactu tellus germinum
Parens est, flos florum,
Sic naturam hominum
Vincens paris Dominum
Praeter viri thorum.

2. Prima mater flentium,
Eva mortis taedium
Posteris legavit,
Sed Maria gaudium
Et vitae remedium
Cunctis reportavit;
Salutis excidium,
Mortis stillicidium
Serpens propinavit,
Evae dans consilium,
Quod Mariae studium
Prudenter calcavit.

3. Iahel fortitudine,
Rachel pulchritudine,
Fructu gaudet Lia,
Debora regimine,
Noëmi cognomine,
Alda prophetia;
Te illustres dominae,
Te insignes feminae
Figurant, Maria,
In caelesti agmine
Summo fulgens ordine
Caeli hierarchia.

4. Sara parit vetula
Filium anicula,
Risus suscitatur,
Deum profert parvula
Etenim iuvencula,
Mundus collaetatur;
A Rebecca sedula
Sub hoedi pellicula
Iacob palliatur,
Deus in puellula,
Scirpea fiscellula
Moyses celatur.

5. Rachel telam texuit,
De qua Ioseph induit
Tunicam talarem,
Quam fratrum, quos habuit,
Patri fraus exhibuit
Ut occisi parem;
Sic Maria praebuit
Carnem, in qua latuit
Deus, puellarem,
Ex qua mori statuit,
Qui mori non potuit,
O rem singularem.

6. Ergo, mater gratiae,
Fons misericordiae,
Dulcis spes reorum,
Laxa venas veniae,
Viscera clementiae,
Memor filiorum,
Iure matris regiae
Iube regem gloriae,
Ne memor malorum
Nos damnet, sed curiae
Post finem miseriae
Iungat beatorum.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. 14/15.

120. De beata Maria V.

O rosa virginei decoris splendorque polorum,
Sponsa parensque Dei, pro culpis posce reorum,
Forma pudicitiae, Moysis rubus, aula sophiae,
Respiče nos clemens, rege mores noxia demens,
Porta poli, regina soli, miseris miserere,
Dele crimina dans munimina nosque tuere.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Sangallen. 521.

121. De beata Maria V.

O templum Christi, me protege a nece tristi,
Quae destruxisti mortem vitamque dedisti.
O flos de spinis, a daemonis eripe minis
Et, quos delinis, a cunctis tolle ruinis.
O dulcis vita, mundum tua gratia dita,
Vita finita duc me ad regna cupita.

Cod. S. Floriani. XI 196. saec. 16.

122. De beata Maria V.

1. O triclinium nobile
Trinitatis sanctissimae,
Era caelestis patriae,
Nos exsules consolare.

2. Maria, mater gratiae,
Mater misericordiae,
Semper ab hoste protege
Et in morte nos suscipe.

3. Ut sic nos tui servuli,
Quamvis simus multum rei,
Propter te fiamus salvi,
Propter quos es mater Dei.

4. Quia Deus omnipotens
Factus homo oboediens
Pro nobis fuso sanguine
Plexus est crudeli morte.

5. Quare in omnibus suum
Agamus beneplacitum,
Ne frustretur eius mortis
Efficacia in nobis.

Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. A. — Orat ms. Tegurinum. saec. 15. Clm. Monacen. 20124. B.

123. De beata Maria V.

O veneranda Dei mater benedictaque virgo,
Salve millesies, pulcherrima nympha Maria,
Te laudo semper, te glorifico, benedico;
Ego non sum dignus sed me dignifica, digna.
5. O dulcissima mater et optima virgula Iesse,
Tu Davidis funda, rosa, vellus Gedeonis,
Inspice me, tunc noscam te, matrona beata,
Diligo te, non spernas me, fateor male facta.
Vae mihi, si spernis peccatorem, pia mater,
10. En, in te credo, contritum corde tuere.
Te scio tam mitem, nullum spernis miserando,
Offendi natum, iuste damnatus ut essem,
Tu nisi pro servo rogitares, virgo benigna.
Grates aeternas tibi reddo, tis quoque nato,
15. Nam bona multa facis mihi, fecisti faciesque.
Me tibi do totum, quidquid vis, da, pia, dulcis,
Te venerans, [tuum] natum quoque, sic ero salvus.
Virtutesque tuas mihi posco, dirige mores,
Vitam sanctifica, me vivifica, mala pelle.
20. Spernere da vitia, veracem da mihi linguam,
Ut semper crescam, non decrescam, rege vitam.
Iam tibi commendo, sponsa Christi, simul omnes
Viventes iustos simul iniustosque sepultos.
O pia, dignare pro cunctis efflagitare,
25. Cunctorum mater fidorum sis et amatrix.
Vellem, quod cuncti salvarentur prece matris,
Ut omnes Dominum laudare polo mereamur,
Qui tam magna dedit, quia plasmavitque redemit.
Gaude semper, ave, fiat mihi, quod rogitavi.
30. Ista pater praestet natus, sacrum quoque flamen,
Trinus et unus, huic laus sit, gloria, decus.

Orat. ms. Alberti VI. Archiducis Austriae. Cod. Palat. Vindobonen. 1846. — 1 quam digna. — 7 matrona nrōna. — 15 multa bona facis mihi quoque ecisti faciesque. — Nach 31 per infinita saecula saeculorum. Amen.

124. De beata Maria V.

O virgo, splendor gloriae,
Sanctificata spiritu,
In caverna maceriae
Columba plena gemitu,
Nobis Aegypti exitu
Occurre, plena gratia,
Et malignae familiae
Defende nos a fremitu,
In iustorum exercitu
Dulci fruamur requie.
Gratiarum monilibus
Ornaris Christi gratia,
Pretiosis lapidibus
Virtutum fulgens gratia,
Tu plena sapientia
Cunctisque charismatibus,
Tua serva potentia,
Da nobis pacem omnibus,
Virginum primiceria.
Tu sempiterno foedere
Caelesti sponso iungeris,
Fac nobis hunc dulcescere,
Cuius tu mater crederis,
Et cum sis arca foederis,
Placatum nobis redde(re)
Illum vindictae tempore,
Meritis cuius frueris.
Sucurre nobis miseris
Iam lucis orto sidere
Et digneris ocurrere
Nobis in die funeris.

Orat. ms. Thosanum saec. 15. Cod. Bruxellen. 4948.

125. De beata Maria V.

O virtutum speculum,
Regina caelorum,
Christi receptaculum,
Salus anxiorum,
Tutum propugnaculum,
Sanatrix languidorum,
Audi conquerentium
Preces famulorum.
Et pro nobis miseris
Deum deprecare,
Nam, quidquid volueris,
Vales impetrare,
Summa nos necessitas
Cogit te rogare,
Quos in fluctu positos
Saevum pulsat mare.
Imperatrix omnium,
Doce, quid agamus,
Qui sub gravi criminum
Mole desudamus,
Nobis semper praevium
Esto, ne cadamus
Et declina devium,
Sic nunquam erramus.
Eia, mitis et benigna,
Nostri miserere,
Omni laude prorsus digna,
Si vis, potes vere,
Reparatrix et salvatrix
Desperantis animae,
Irroratrix et largitrix
Spiritalis gratiae.
Nam requiro, quod suspiro,
Mea sana vulnera
Et da menti te poscenti
Gratiarum munera,
Ut sim castus et modestus,
Dulcis, fortis, sobrius,
Pius, rectus, circumspectus,
Simulatus nescius.
Timoratus et ornatus
Sacris aedificiis,
Eruditus et munitus
Divinis eloquiis,
Constans, gravis et suavis,
Benignus, amabilis,
Simplex, purus et maturus,
Patiens et humilis.

7. Corde prudens, ore studens
Veritatem dicere,
Malum nolens, Deum colens
Pio semper opere.

Orat. ms. Carthus. Hildesheimen. saec. 15. Cod. Iosephini Hildesheimen. 3 (6).

126. De beata Maria V.

1. Pater ymon, a quo mundus
lege firma regitur,
A quo certa ratione
benigne disponitur,
Parce plebi, quae a Christo
christiana dicitur.

2. Adonai, ab inferni
defende periculo,
Quos dilecti sacravisti
filii vocabulo,
Quos eiusdem redemisti
salubri patibulo.

3. Fili Dei, Iesu Christe,
dominator domine,
Qui pro mundi medicina
natus es de virgine,
Placa patri nos, quos tuo
redemisti sanguine.

4. Athanatos mediator
Dei atque hominum,
Firma pactum pacis huius
inter nos et Dominum,
Ne privemur regno Dei
pro commisso criminum.

5. Qui procedis ab utroque,
paraclite spiritus,
Cuius ignis inflammavit
fideles divinitus,
Hoc eodem nostras sordes
igne crema stirpitus.

6. Hoc eodem mentis nostrae
oculos illumina,
Hoc eodem sensus nostros
scabrosos examina,
Hoc eodem veternosa
nostra dele crimina.

7. Trinus Deus in personis,
unus in substantia,
Culpas nostras et reatus
plena dele venia
Et sic mundos a peccatis
reduc ad caelestia.

8. Ave, virgo Dei mater,
vera spes fidelium,
Porta caeli, stella maris,
recti cursus bravium,
Summa legis, forma pacis,
salutis exordium.

9. Ave, virgo, ave, feta,
ave, plena gratia,
Ave, sponsa, ave mater,
ave, Dei filia,
Quam diversa facis unum,
o omnipotentia!

10. Fons signatus, sacramenti
summi conceptaculum,
Scala Iacob, domus David,
Salomonis ferculum,
A leonis ore salva
christianum populum.

11. Theotocos, virga Iesse,
oliva fructifera,
Templum Dei, arca Noe,
columba pacifera,
Ab inferni nos Charybdi
in aeternum libera.

12. Turris, a quo pendet omnis
armatura fortium,
Rosa florens, sacra vitis,
lilium convallium,
Medicina peccatorum,
virtutis donarium.

13. Uva dulcis, flos suavis,
nardus odorifera,
Virgo semper gloriosa,
sublimis puerpera,
Praebe nobis adoptivis
pietatis ubera.

14. Orientis porta clausa,
quam vidit Ezechiel,
Mensa regis, ad quam dapes
tulit ipse Gabriel,
Quarum opem in leonum
lacu sensit Daniel.

15. Tu sigillum libri vitae
solidum in saecula,
Cuius potest solus agnus
solvere signacula,
In hoc nostra precum stilo
conscribe vocabula.

16. Tuae, virgo, sanctitatis
luce nos irradia
Et sic tua pia prece
Deo reconcilia,
Ut per mortem gloriemur
in caelesti patria.

17. Ad haec omnes potestates
virtutum caelestium,
Ad hoc, omnes sancti, vestrum
petimus auxilium,
Ut pars nostra sit vobiscum
in terra viventium.

18. Miserere nostri, Deus,
in personis trinitas,
Miserere, miserere
nostri, simplex unitas,
Te spiritus omnis laudet,
sempiterna deitas.

Clm. Monacen. (ol. Francisc. Monac.) 9084. saec. 15.

127. De beata Maria V.

Pulchra Maria, serena Maria, benigna Maria,
Dulcis alumna, superna columna, decusque perenne,
Tela maligna repelle, benigna, metumque gehennae,
Nostra mamilla Deique papilla, nostri miserere.
5. Quae fugienda mihique cavenda, diu tenuere
Dira cupido, caeca libido, regnas ubique,
Quisque malorum quemque bonorum tractat undique.
Casta virago, sancta propago, corripe natos,
Aula pudoris, mater honoris, protege sanos.
10. Lux orborum, dux claudorum, dirige iustos,
Os mutorum, spes cunctorum, sis mihi custos.
Sis dilectrix, sis protectrix, sis mihi mater.
Pulcher Iesus, dulcis Iesus, sis mihi frater.
Pulchra puella, venusta puella, puella colenda,
15. Virgo iucunda Deoque fecunda nimisque stupenda,
Fac me fortem vincere mortem spiritualem,
Tolle timorem, pelle dolorem perpetualem.

Cod. Parisien. 3639. saec. 15/16.

128. De beata Maria V.

1. Pulchra totaque amica
Regis angelorum,
Virgo pulchra et pudica,
Claritas polorum.

2. Intus pulchra, pulchra foris
Vere comprobaris,
Veneranda cunctis horis
Mater expers maris.

3. Intus pulchrioribus
Ornaris virtutibus
Et decentioribus
Foris polles moribus.

4. A verticis caesarie
Usque imum plantae
Tu es sine carie
Deo te servante.

5. Nulla virtus est, quae posset
Cor tuum transscendere,
Immo cunctas tibi nosti
Virtutes attrahere,

6. Quibus Deo placuisti
Et choris caelestibus,
Quibus mundo profuisti
Perplexo maeroribus.

7. Evae prolem denigratam
Peccati fuligine
Caeli regi reddis gratam
Tua pulchritudine.

8. Summa virtus te virtutem
In terris constituit,
Tibi iungi et te fungi
Cui summe placuit.

9. Unde virtus de supernis
Te virtutem adiit,
Ut humanum genus sanum
Fieret, quod periit.

10. Iunctus factor est facturae
Iunctus Deus homini,
Venerandus omni iure
Iunctus partus virgini.

11. Iuncta virtus est virtuti,
Decor pulchritudini,
Iuncta salus est saluti
Et dulcor dulcedini.

12. Deus hominem creavit
Ad suam imaginem,
Ad cuius in te formavit
Se similitudinem.

13. Tu es paradiso
Tanto dignior,
Quanto tuus fructus
Est utilior.

14. O quam pulchra tu fuisti,
Cum sit factus vultus Christi
Tibi matri similis,
Cui tu es voluntate,
Caritate, pietate
Facta non dissimilis.

15. Si te Deus non vidisset
Creaturam optimam,
In matrem non elegisset
Te sibi carissimam.

16. Ergo, virgo pulchra tota,
Nos viles non despice,
Sed a quavis mendae nota
Nos mundari perfice.

17. Fac ut tuo placeamus
Praedilecto filio
Et felices transeamus
A mortis exsilio.

18. Solis, lunae vel stellarum
Splendor parum cernitur
Sive virtus planetarum,
Plene dum attenditur,

19. Quanta dignae matris Christi
Fulget virtuositas,
Quam prae cunctis Dei patris
Illustravit claritas.

20. Cristallinum vel stellatum
Caelum vel empyreum
Caelum Deo non est gratum
Magis quam hospitium

21. Ventris casti, quo celasti
Iesum Dei filium;
Hunc in mundo, virgo pia,
Nobis fac propitium.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1, 1 Vale tota quae amica. — 2, 4 Mater Dei expers. — 4, 1 casarienses. — 4, 2 Usque fehlt. — 5, 3 cunctis. — Nach Str. 5 folgt noch: Ergo cunctis es facturis venustior. — 15, 4 Te fehlt. — Nach 21, 4 folgt nach: Nunc et omni hora.

129. De beata Maria V.

1. Quid vigoris, quid amoris,
Quid affectus, quid dulcoris
Habet nomen virginis,
Est expertus totus mundus,
Scit peccator et immundus,
Quae spes huius nominis.

2. Dicant illi, qui damnati,
Sed ad vitam revocati
Sunt Mariae precibus,
Dicat ille desperatus
Vicedomus, sed salvatus
De inferni faucibus.

3. Dicant omnes tribulati
Et peccatis onerati,
Ubi sit refugium,
Ad petendum, ad habendum
Certe, tute recurrendum
Ad Maria gremium.

4. Ad hanc currunt omnes rei,
Ibi annum iubilaei
Habet nostra servitus,
Ipsa lima peccatorum,
Spes dolorum, scala morum,
Via scalae caelitus.

5. Quidquid est in creaturis
Bonis, castis, mundis, puris,
Nomen parat virginis,
Quodque ita nominatur,
Per effectum comprobatur,
Cum rem praebet nominis.

6. Ipsa fructus, ferax tellus,
Irrigatum rore vellus,
Ipsa sicca area,
Ipsa domus, templum, thronus,
Portus, porta, portans onus,
Granum sine palea.

7. Botrus Cypri, palmes, palma,
Cedrus alta, vitis alma,
Cupressus de Libano,
Terra, mare, aer, ignis
Portans, vehens, spirans ignis
In amoris clibano.

8. Tuber rubi, rubens rosa,
Violarum gratiosa,
Acanthus et lilium,
Tu murtetum, olivetum,
Tu lauretum et rosetum,
Flos campi convallium.

9. Nardus, murra, thus, pigmentum,
Cinnamomum, calamentum,
Crocus, muscus, fistula,
Storax, stacte et amomum,
Nux, resina, replens domum
Aromatum cellula.

10. Mel dulcoris, flos odoris,
Fons stuporis, pons laboris,
Incorrupta balsamus,
Arca, liber, testamentum,
Virga, manna, condimentum,
Castitatis thalamus.

11. Sponsa, coniunx coniugata,
Mater patris, nati nata,
Virgo, decus virginum,
Leprosorum medicina,
Menstruatis fons, piscina,
Vita, salus hominum.

12. Ebur, vestis pretiosa,
Inaurata, gloriosa
Tu talaris tunica,
Sceptrum, sertum, diadema,
Tu Samsonis es problema,
Spes post Deum unica.

13. Tu es propositionis
Mensa panum, cum coronis
Propitiatorium,
Urna legis, funda David,
Quo Goliam nostrum stravit,
Tu reclinatorium.

14. Sunamitis Elisaei,
Quae quandoque fecit ei
Mensam et cenaculum,
Hortus clausus, fons signatus,
Austro leni qui perflatus,
Tu Ionae umbraculum.

15. Tu minera claritatis,
Aurum fulvum deitatis,
Tu fenestra vitrea,
Paradisus voluptatis,
Ad exemplar caritatis
Tu vitta coccinea.

16. Murus Sion, turris David,
Urbs, castellum, quod intravit,
Qui patri complacuit,
Tu ancilla, tu puella,
Tu plorantis es fiscella,
In qua vates latuit.

17. Apotheca specierum,
Servans vitae dulce merum
De Engaddi vinea,
Avis rara, cara caris,
Vittae perpendicularis
In directum linea.

18. Lex naturae, limes legis,
Mitigatrix irae regis
Risum Sarae faciens,
Tu es decus puellarum,
Tu securis prophetarum
Lignum, ferrum attrahens.

19. Tu Eliae indumentum,
Aurae lenis blandimentum
Ad cantus adliciens,
Phoenix sola, philomena,
Cuius dulci cantilena
Deitas exsiliens.

20. Cantu cordis emollita,
Tracta venit non invita
In puellae gremium,
De te dictum pratum ridet,
Quis non audit, si non videt,
Hunc concentum avium.

21. Sic perennis ad decorem,
Sic est cantus ad amorem
Horum concinentium;
Turtur, pavo, phasianus,
Passer, corvus, pelicanus
Te vel tuum filium

22. Signant gestu vel decore,
More, cantu vel maerore,
Sic et cantus merulae;
Signum huius et columba,
Quae est simplex et palumba,
Sed sunt voces querulae.

23. Virga virens in deserto,
Petra fluens in aperto,
Concha, ros, mons montium,
De quo monte est praecisus
Lapis ille non abscissus
Complectentum manibus.

24. Lapis iste lapis mirus,
Plus vigoris quam saphyrus
Habet et topazius,
Cum smaragdo amethysti,
Cum beryllo sunt et isti
Onyx et ligurius.

25. Onychinus et iacynthus,
Chrysoprassus auro tinctus,
Sardius cum iaspide,
Chrysolithus et sardonyx
Cum achate, chalcedonis
Cum rubino lapide.

26. Omnes isti in decore,
Vel virtute vel calore
Vel valoris pretio,
Idem est de adamante,
De magnete, diamante
Et de garamantio.

27. Ad Mariae sunt honorem,
Ad ornatum vel decorem
In proprietatibus,
Ipsa enim est regina,
Habens haec sub disciplina
In varietatibus.

28. Tu lux lunae, pansilenos
Habens dies, menses plenos,
Tu aurora rutilans,
Tu es dies noctem pellens,
Tu sol stella es praecellens
Tenebras enubilans.

29. Tu regina es caelorum,
Decus, honor, spes sanctorum,
Angelorum domina,
Agni sponsa, mater Dei,
Omnis laus debetur ei
Per haec multa nomina.

30. Quodque plura sunt quam centum,
Vult utrumque testamentum
Pari concordantia,
Sed sint omnes his intenti
Et ad praesens sint contenti
Brevitatis gratia.

31. Fecit ergo duo Deus,
Ut salvetur homo reus,
Quae ponit versiculus,
David intra scripta sua
Ita dicens: virga tua
Atque tuus baculus

32. Ipsa me sunt consolata,
Per haec duo est ablata
Omnis desperatio;
Nam per crucem et Mariam
Istam dulcem, illam piam
Datur liberatio.

33. Nam in cruce gloriari
Nos oportet et salvari,
Ubi est redemptio,
Ibi habes, unde plores,
Ibi forma, per quam rores
In mortis supplicio.

34. Hoc est lignum hinc educens
Et ad caelum introducens
De mundi diluvio,
Hinc recurras ad Mariam
Dulcem illam, dulcem viam
De maris naufragio.

35. Ipsam isti interpellant,
Peccatores hanc appellant
Timore iustitiae,
Ipsa audit appellantes
Et defendit convolantes
Ad tribunal gratiae.

36. Curre ergo ad hanc ducem
Ad Mariam et ad crucem,
Utrobique sanitas,
Hic quaerenti invenire
Et pulsanti aperire
Datur, quidquid flagitas.

37. Nemo posset explicare,
Quam sit novum salutare
Mater Christi, Maria,
Nam in omni fato tristi
Invocata matre Christi
Curritur per maria.

38. Ipsam ergo venerari,
Ipsam decet amplexari
Corde, ore, opere,
Ipsa sibi famulantes
Et adflictos conclamantes
Videt, audit propere.

39. O si Adam invenisset
Et post culpam confugisset
Sub crucis auxilio,
O si Eva illud Ave
Repperisset, per quod a vae
Facta est salvatio.

40. Si vertisset suum nomen,
Habuisset bonum omen
Nominis conversio,
Quod fuisset emundata
Et per Ave reparata
Hominis transgressio.

41. Caïn ille desperatus
Non fuisset vulneratus
Sub tali latibulo,
Immo Iudas liberatus,
Si adisset pium latus
Sub crucis umbraculo.

42. Iuxta crucem [stat Maria],
Ibi Rachel, ibi Lia,
Ibi vita gemina,
Crucis labor est activa,
Sed in spe contemplativa
Dulciora germina.

43. Hoc est dulce, hoc amarum,
Hoc est carum, illud rarum,
Sed oportet hominem
Ad hoc dulce pervenire
Et medullam invenire
Per amaritudinem.

44. Prius Lia maritari,
Prius Rachel copulari
Debet in coniugium,
Per ascensum purpuratum
Est eundum inauratum
Ad reclinatorium.

45. Duplex ergo medicina
Te attollit a sentina,
Si quando peccaveris,
Et tu curre utrobique,
Praesens enim est ubique,
Quando invocaveris.

46. Dic, quot credis liberatos
In aeternum condemnatos
Per Mariae meritum,
Et per crucem quot salvantur,
Qui sepulcra venerantur
Christi more debito!

47. Ecce, vides, totus mundus,
Sanctus mundus et immundus
Cuiuscunque ordinis
Utriusque ad honorem
Attenduntur et amorem
Crucis atque virginis.

48. Crux ostendit, immo Christus,
Qui in cruce fuit fixus,
Patri rivum sanguinis,
Mater pectus, lac, mamillas
Tamquam nato offert illas,
Haec sunt dona virginis.

49. Audi, benignissime pater peccatores,
Per dilectum filium fac nos meliores,
Da nobis paraclitum corrigentem mores,
O virgo dulcissima, nobis hoc implores.

Cod. Matriten. Bb 150. saec. 14. (Daraus in Boletin de la real academia de la historia VI, 396 sqq.) — 9, 4 stactem. — 14, 2 ferit ei. — 24, 6 liginius. — 41, 5 Sed adisset. — 47, 5 ad honorem. — Aufschrift: „Incipit XXIII oratio, incipiens per litteram Z.“ Str. 1 geht nämlich folgendes vorauf:

Zelatrix zelantium aeterni luminis, amatoris tutum refugium, inhaerentium Christo tabernaculum et reclinatorium Iesu Christi et tutum refrigerium innocentium, Maria, mater alma et fecunda virgo, mater et incorrupta, exaudi me miserum clamantem ad te hodie in meis tribulationibus. — Verfasser ist Gil de Zamora. Vgl. das zum Liede Ymago, imitago Bemerkte.

130. De beata Maria V.

1. Rex Christe clementissime,
Tu corda nostra posside,
Ut tibi laudes debitas
Reddamus omni tempore.

2. Memento, salutis auctor,
Quod nostri quondam corporis
Ex illibata virgine
Nascendo formam sumpseris.

3. Maria, mater gratiae,
Mater misericordiae,
Tibi devotos protege
Mores et vitam corrige.

4. Nos peccatores adiuva
Prece tua continua,
Ut, quidquid mali fecimus,
Tuus remittat filius.

5. Maria, mater gratiae,
Mater misericordiae,
Tu nos ab hoste protege
Et hora mortis suscipe.

6. Maria, mater Domini,
Sacrarium paracliti,
Virgo, regina virginum,
Pro nobis ora Dominum.

7. Maria, mater Domini,
Aeterni patris filii,
Fer opem nobis omnibus
Ad te confugientibus.

8. Per tuum, virgo, filium,
Per patrem et paraclitum
Assis, parens, ad obitum
Nostrumque muni exitum.

9. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Scala caeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. A. — Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. VI° 29. B. — 3, 1 Ave mater gratiae A. — 3, 3 sq. Tu nos ab hoste protege Et hora mortis suscipe B. — Str. 4 und 5 lauten in B:

4. Mater misericordiae,
Tibi devotos protege,
Nos peccatores adiuva,
Preces clemens continua.

5. Ut, quidquid mali fecimus,
Tuus remittat filius
Et purget nos ab omnibus
Vitiorum sordibus.

6, 1 Ave mater Domini B. — Str. 7 fehlt B. — 8, 1 mater filium B. — 8, 3 Assis nobis ad B. — 8, 4 muni spiritum B. —

Dieses Lied ist die Erweiterung eines kürzeren, das in den Tagzeiten der sel. Jungfrau vorkommt. In dieser Erweiterung kann der Hymnus nicht den liturgischen zugezählt werden. Er findet sich meist als Proömium bei verschiedenen Psalterien verwendet, so in A zum Psalter Ave virgo lignum vitae, in B zum Psalter Ave virgo lignum mite. Er gehört aber ursprünglich keinem dieser Psalterien an.

131. De beata Maria V.

1. Salve, cella castitatis,
Salve, plena gratia,
Salve, templum deitatis,
Salve, solis regula.

2. Salve, portus naufragantis,
Salve, Iesse virgula,
Salve, splendor bonitatis,
Paradisi ianua.

3. Salve, fons sinceritatis,
Lux lucens in tenebris,
Salve, stella claritatis,
Luna sine nebulis.

4. Salve, decus sanctitatis,
Virgo venerabilis,
Salve, nympha venustatis,
Honor nostri generis.

5. Salve, lampas, lux caelorum,
Laus et decus martyrum,
Thesaurus apostolorum,
Spes communis omnium.

6. Tu flos florum, fons hortorum,
Lavans sordes criminum,
Pax et honor confessorum,
Pulchritudo virginum.

7. Tu sis servis adiuvamen,
Nutrix in periculis,
Tu es lapsis relevamen,
Medicamen languidis.

8. Maestis dulce confortamen,
Pia mater orphanis,
Mater Christi, virgo tamen,
Nulla tibi similis.

9. Salutata sic fuisti:
Ave, plena gratia;
Verbo carnem concepisti,
Virgo viri nescia.

10. Christum Iesum genuisti,
Qui salvavit omnia,
Et post partum permansisti
Virgo semper integra.

Salve dicant omnia.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Script. Eccl. 375.

132. De beata Maria V.

1. Salve, festum cordis mei,
O Maria, nata Dei,
Sponsa, mater, diadema,
Cluis tu sanctorum thema.

2. Vitae flosculum quae paris,
. . . . . .
Visus decor, vox dulcoris,
Suavis odor amoris.

3. Tu thesaurus trinitatis
Et amplexus lenitatis,
. . . . . .
Mens ardet iam ad osculum.

4. Labra pando, sed polluta,
Quod offendit in me, muta,
Et utraque ex mamilla
Pasce Dei me ancilla.

5. Tu consignans me defende,
Et, quam dulcis sis, ostende,
Ut adiutrix in agone
Praemians sis arrabone.

6. Ave clamo angelicum,
Da Christum, panem caelicum,
Trinitatis triclinium
Nostrumque tu refugium.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1, 4 Eius tu sanctorum. — 4, 4 Pasce Dei mater alma. — 6, 2 steht nach 4, 4. — 6, 3 Ave trinitatis. — 6, 4 o tu refugium.

133. De beata Maria V.

1. Salve, gaude, mater regis,
Cum quo regnas, cum quo regis
Et disponis omnia,
Nos in via ita rege,
Ut regnare cum hoc rege
Possimus iu patria.

2. In qua nullus regnat foedus,
Nec cum foedo inest foedus,
Nec regnat malitia,
Illic solum regnant mundi
Cum hoc, qui est salus mundi,
Dei sapientia.

3. Super omnes mundos munda,
Mater regnans, tu nos munda
Ab omni spurcitia
Et mundatos nos a menda
Peccatorum tu commenda
Gubernanti omnia.

4. Ac post mortem nos ad loca
Caeli trahe nosque loca
Cum sanctis in gloria,
Qua det frui Dei natus
Nobis, Christus ex te natus
Sumpta carne propria.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

134. De beata Maria V.

Salve, era, mater festi,
Naeva rugaque molesti
Insuper et omnis maesti
Expers et omnis incesti,
5. Fons salvaminis scelesti,
Auro cui plus est honesti,
Gemma, cuncta quae deplesti
Tuo valore caelesti,
Me mis naevi gravant gesti,
10. Mihi more peragresti,
Me dum mores essent quaesti,
Esset angi tempus resti
Et me subdi cui pesti
Poenaeque omnis infesti
15. Ac non pectoris modesti
Poscere favorem cesti,
Aspirando quae caelesti
Summi patris votum plesti,
Quo mis corde fracti — —.
20. Quod sic sine mundi festi

Vi tis deessem stygis pesti.
Tu quam gratia deplesti,
Deus, tis in matrem vesti,
Ortu me tunc brumae vesti
Nec da eius ut quod maesti
Artus terrae fiant aesti.
Per te caeli mens sit festi
Huius post schisma foresti,
Hinc culpis semper infesti
Bino socio congesti,
Quis mens fisa tardi, flesti,
Cum a Iesu te delesti,
Quem fricare manu suesti,
Unde non iniuste clesti
Vera mater omnis festi.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 24. Orti. — 25. dat. — Am Schlufs: Explicit rigmus periodialis.

135. De beata Maria V.

1. Salve, mater illibata,
Ave millies optata,
Summo Deo desponsata
Virgo, mater, filia;
Salve, salve, virgo clara,
Iesu Christo multum cara,
Super omnes sublimata
In caelesti patria.

2. Super omnes te adoro,
Super omnes te imploro
Genu flectens tota mente,
Me benigne suscipe.
Ave, sancta, cherubina,
Mundi princeps et regina,
Quae fuisti sola digna
Ferre saecli pretium.

3. Tu es virgo ante partum
Et in partu et post partum,
Semper casta, semper pura,
Semper Deo placitura.
Ergo audi, o Maria,
Aurem tuam huc inclina,
Natum tuum deprecare,
Ut dignetur nobis dare
Paradisi gaudia.

Offic. BMV. imp. in Castro Lauro 1503.

136. Iubilus Aureus BMV.

1. Salve, mater
misericordiae,
Mater spei
et mater veniae,
Mater Dei
et mater gratiae,
Mater, inquam,
totius gloriae.

2. Salve, salus
humani generis,
Salve, virgo,
dignior ceteris,
Quae virgines
omnes transgrederis,
Et altius
sedes in superis.

3. Salve, sancta
sanctorum omnium,
Laus et honor,
decus fidelium,
Aula Dei,
domus palatium,
Deitatis
reclinatorium.

4. Te creavit
pater ingenitus,
Obumbravit
te unigenitus,
Fecundavit
te sanctus spiritus,
Dum es facta
tota divinitus.

5. Te creavit
Deus mirabilem,
Te respexit
ancillam humilem,
Te quaesivit
sponsam amabilem,
Tibi nunquam
fecit consimilem.

6. Te beatam
laudare cupiunt
Omnes sancti,
sed non sufficiunt,
Nam tot laudes
tibi conveniunt,
Quod laudantes
omnes deficiunt.

7. Ex quo digna
Deum es parere,
Nemo digne
potest exprimere
Laudes tuas
nec satis dicere,
Quantum gaudes
divino munere.

8. Quia vere
caput es virginum
Et laus summa
non habens terminum,
Angelorum
laudes et hominum
Promereris
ipsa post Dominum.

9. Beata es,
virgo puerpera,
Nam, qui sedet
in patris dextera
Caelum regens,
terram et aethera,
Intra tua
se clausit viscera.

10. Imperatrix,
cuius imperio
Tota gaudet
caelestis contio,
Tanta laus est
tibi in filio,
Quod humana
non capit ratio.

11. Pia mater
et virgo nobilis,
Benedicta
et venerabilis,
Universis
incomparabilis,
Tibi nunquam
fuit consimilis.

12. O quam pulchra
puella parvula,
Quam suavis
et sine macula,
Sed quam potens
regnas in saecula,
Tua satis
probant miracula.

13. Tu es, virgo,
ceteris purior,
Virginibus
es gradu dignior,
Super omnes
aspectu pulchrior,
Et in sanctis
post Deum sanctior.

14. Pia mater,
per tui gratiam
Revertitur
exsul ad patriam,
Peccatores
merentur veniam
Et beati
possident gloriam.

15. Nomen tuum
daemones cruciat,
Tua virtus
reos remediat,
Tuus odor
sanctos inebriat,
Fructus vero
beatos satiat.

16. Fons hortorum,
aquarum puteus,
Via lucis,
splendor sidereus,
Dei sedes
et thronus aureus,
Te conventus
laudat aethereus.

17. Cella fragrans
morum dulcedine,
Omni carens
amaritudine,
Veri solis
amicta lumine,
Omnes tibi
congaudent feminae.

18. O quam felix,
quae mundo praesides,
Mundum regis
et caelum possides,
Et cum Deo
regina resides,
Hostes nostros
malignos obsides.

19. Tu es clavis
superna reserans,
Nubes solis
ardorem temperans,
Ros fornacis
ignem refrigerans,
Medicina
salutem operans.

20. Tu fuisti
vellus in area,
Arca legis,
turris eburnea,
Tu es nobis
salutis galea,
Granum purum
excussum palea.

21. Tu es virens
oliva fertilis,
Tu columba
simplex et humilis,
Tu columna
fidei stabilis,
Porta Sion
inexpugnabilis.

22. Tu, beata,
fuisti lilium
Inter spinas
et flos convallium,
Tu es portus
praestans suffragium,
Tu es reis
semper remedium.

23. Rubus ardens,
palma iustitiae,
Murra, nardus
summae fragrantiae,
Hortus virens,
flos pudicitiae,
Te honorant
caeli militiae.

24. Ut adfirmat
fidelis populus,
Tu es, mater,
caecorum oculus,
Pes claudorum,
virga et baculus
Omniumque
sanctorum titulus.

25. Fons signatus
distillans oleum
Pietatis
et rorem melleum,
Purga mentem,
munda cor felleum,
Dona nobis
salutis gaudium.

26. Benedicta
in mulieribus,
Quae de tuis
castis visceribus
Peperisti
pacem hominibus,
Plena semper
donis caelestibus.

27. Tu civitas
superni numinis,
Tu claritas
superni luminis,
Tu dignitas
nostri propaginis,
Et pietas
summae dulcedinis.

28. Per te mundus
accepit puerum,
Per quem sordes
lavantur scelerum,
In te sperat
conventus pauperum,
Dona tua
non habent numerum.

29. Mater digna
virginis nomine,
Insignita
Dei imagine,
Decorata
similitudine,
Te collaudant
sanctorum animae.

30. Tu es terra
dans fructum optimum,
Petra fluens
potum largissimum,
Fons redundans
in flumen maximum,
Vas reservans
manna dulcissimum.

31. Sol es, virgo,
ecclipsim nesciens,
Sol in caelis
de terra oriens,
Sol de caelis
terram prospiciens,
Sol peccati
nubes demoliens.

32. Lux serena,
aurora rutilans,
Peccatorum
tenebras ventilans,
Tibi mundus
exsultat iubilans,
Esto, pia,
super nos vigilans.

33. Mons sublimis,
salutis speculum,
Via vitae,
morum spectaculum,
Quae in caelo
regnas in saeculum,
Christianum
defende populum.

34. Gemma fulgens
splendore nimio,
Luna lucens
caelesti radio,
Desolatis
tu consolatio,
Tu tentatis
firma protectio.

35. Tribus Iuda
genus dignissimum,
Tu potens es
apud altissimum,
Nostrum vitae
praepara animum
Et defende
in finem ultimum.

36. Sola virgo,
quae cunctas haereses
Interimis
et frangis carceres
Captivorum,
adiuva pauperes
Et fac eos
ad vitam celeres.

37. Sanctitatis
totius femina,
Mundi princeps
et caeli domina,
Servis tuis
relaxa crimina
Et eorum
mentes illumina.

38. Vitis vera,
extende palmitem
Tuum ad nos,
ut eum comitem
Habeamus
vitaeque limitem
Et postea
in caelis hospitem.

39. Stella maris,
emitte radium,
Placa mare,
aufer naufragium,
Tolle navim
periclitantium,
Esto lassis
in adiutorium.

40. Ex te, virgo,
natus est filius
Iesus Christus,
quo nihil dulcius,
Quem rogamus
omnes attentius,
Ut sit nobis
per te propitius.

41. Vas, excelsi
opus mirabile,
Stella caeli,
signum spectabile,
Per te nobis
fiat possibile,
Quod rogamus,
et impetrabile.

42. Virga fumi,
domus aromatum,
Apotheca
plena charismatum,
Divinorum
magistra dogmatum,
Fac, ut tecum
agamus sabbatum.

43. Vallis vernans
virtutum liliis,
Tota fluens
summis deliciis,
Tuis, sancta
mater, suffragiis
Condescende
nostris miseriis.

44. Lux iucunda,
refove flebiles,
Aegros sana,
conforta debiles,
Fac nos mites,
castos et humiles
Et in fide
fortes et stabiles.

45. Advocata
nostra praecipua,
Tua prece
semper assidua,
Quod in nobis
sordet, evacua,
Ad patriam
sis nobis obvia.

46. Virgo mater,
ancilla Domini,
Nos rebelles
tuo regimini
Et subiectos
multo discrimini
Commendamus
tuae dulcedini.

47. Virga Iesse
fecunda, florida,
Lampas caeli
prae cunctis fulgida,
Corda nostra
in bono tepida,
Fac, ut fiant
in bono fervida.

48. Rosa rubens,
quae semper redoles,
Semper gaudes
et semper condoles,
Precamur, ut
sic nobis adoles,
Pias preces
pro nobis immoles.

49. Sicut patet
omnium oculis,
Totus mundus
subest periculis,
Sed tu, virgo
praeclara titulis,
Libera nos
precibus sedulis.

50. In hac vita
multa pericula
Nobis instant
et multa vincula,
Et idcirco
tu mente sedula
Regnum caeli
pro nobis postula.

51. In hoc mundo
vix bonum facimus
Et a malis
nunquam quiescimus,
Et sic vitam
ac tempus perdimus,
De te tamen
semper confidimus.

52. Mundus plenus
figmentis luteis
Nos diversis
pungit aculeis,
Sed salva nos
ab eius laqueis,
Tu beata,
quae cunctis subvehis.

53. Heu, in mundo
deficit veritas,
Pax et amor,
sensus et pietas,
Et abundat
fraus et iniquitas,
Sed apud te
est omnis bonitas.

54. Vita praesens
est vapor modicus,
Umbra, ventus,
somnus phantasticus,
Flos, favilla,
decor sophisticus,
Pugna, cursus,
ascensus lubricus.

55. Hoc in mundo
vana sunt omnia
Et saluti
nostrae contraria,
Propterea
tu, plena gratia,
De supernis
mitte remedia.

56. Nos horrentes
amaritudinem
Huius vitae,
carnis putredinem,
Hostis fraudem,
mortis formidinem,
Imploramus
tuam dulcedinem.

57. Ne igitur
haec vita funebris,
Excaecata
peccati tenebris,
Nos corrumpat
carnis illecebris,
Conserva nos,
regina celebris.

58. In hac vita
sic miserabili,
Sic amara,
caduca, labili,
Vita nequam
et plena nihili
Custodi nos
cura pervigili.

59. Heu, nos mundus
vexat continue,
Ab eodem,
mater, nos erue,
Et pro nobis
orans assidue
Vitam nobis
aeternam tribue.

60. Huius mundi
fraus et malitia
Nos compellunt
ire per devia,
Labor, timor,
nefas, miseria,
Nec timemus,
dum tu sis praevia.

61. Nos etiam
servi nequissimi
Hic timemus
ab hoste perimi,
Sed tu, sponsa
regis altissimi,
Non permittas
nos tantum deprimi.

62. In hac vita
omnes communiter
Impugnamur
ab hoste fortiter
Et interdum
vincimur turpiter,
Sed iuva nos
misericorditer.

63. Pia mater,
respice filios
Inter hostes
pugnantes impios,
Irruentes
repelle gladios
Et sanctorum
fac esse socios.

64. Ecce, mater,
hostes tartarei,
Prodeuntes
ab ore putei,
Viam claudunt
regni siderei
Nec permittunt
nos sursum provehi.

65. Virgo dulcis
et summe sapiens,
Pietatis
fons indeficiens,
Servis tuis
esto compatiens,
Quos infestat
hostis percutiens.

66. Tu fuisti
funda cum lapide,
Quae percussit
Goliam valide,
Et nunc, mater,
orando fervide
Hostem fuga
et pacem provide.

67. Preces tuae
nobis subveniant,
Pia mater,
et sic custodiant
Hora mortis,
ut hostes fugiant,
Et nos caeli
cives suscipiant.

68. Nos timentes
hostis insidias,
Hora mortis
magis quam alias,
Supplicamus
nunc, tunc subvenias
Et nos ope
tua custodias.

69. Mentes nostras
peccatis deditas
Multum terret
mortis acerbitas,
Sed tu, mater,
quae caelos habitas,
Fac, ut nobis
detur securitas.

70. Licet nobis
poena sit vivere,
Multum tamen
nos facit tremere
Mors, quam nemo
potest effugere,
Sed tuum est
nobis consulere.

71. Nos timemus
horam novissimam,
Horam mortis
et diem ultimam,
Quia laesam
habemus animam,
Sed da nobis
tu spem firmissimam.

72. Auctor vitae
nos mori noluit,
Sed pro nobis
mortem sustinuit,
Qui in morte
pavit et timuit,
Eius timor
spem nobis tribuit.

73. Viam mortis
omnes ingredimur
Et post eam
nunquam revertimur,
Ex quo magis
timore premimur,
Per te tamen
in spem erigimur.

74. Nos in mundo
nascendo viliter
Et vivendo
miserabiliter
Festinamus
ad mortem iugiter,
In te tamen
sperando firmiter.

75. Heu, revera
viles et miseri,
Qui mox nati
cogimur conteri,
Efficimur
similes pulveri,
Properantes
ad portas inferi.

76. Sed tu, David
proles dignissima,
Mulierum
virgo pulcherrima,
Urbs regalis,
turris fortissima,
Defende nos
a morte pessima.

77. Concha plena
roris dulcedine,
Caelo regnas
cum summo principe,
Preces nostras
auribus percipe
Et in fine
nos tecum recipe.

78. Languentibus
in purgatorio,
Qui purgantur
ardore nimio
Et torquentur
sine remedio,
Subveniat
tua compassio.

79. O fons patens,
qui culpas abluis,
Omnes lavas
et nullum respuis,
Manum tuam
porrige mortuis,
Qui in poenis
languent continuis.

80. Ad te, pia,
suspirant mortui
Cupientes
de poenis erui
Et adesse
tuo conspectui
Et gaudiis
aeternis perfrui.

81. Clavis David,
quae caelum aperis,
O Maria,
succure miseris,
Qui tormentis
torquentur asperis,
Educ eos
de domo carceris.

82. Lex iustorum,
norma credentium,
Vera salus
in te sperantium,
Pro defunctis
sit tibi studium
Semper tuum
orare filium.

83. Benedicta,
per tua merita
Te rogamus,
mortuos suscita
Et dimittens
eorum debita
Ad requiem
sis eis semita.

84. In tremendo
Dei iudicio,
Quando fiet
stricta discussio,
Tunc etiam
supplica filio,
Ut sit nobis
cum sanctis portio.

85. Dies illa,
dies terribilis,
Dies malis
intolerabilis,
Sed tu, mater,
sis deprecabilis,
Fac, sit nobis
iudex placabilis.

86. Illa die
tantus servabitur
Rigor, quod vix
iustus salvabitur,
Nemo reus
iustificabitur,
Sed singulis
ius suum dabitur.

87. Nos timemus
diem iudicii,
Quia male
de nobis conscii,
Sed tu, mater
summi consilii,
Para nobis
locum refugii.

88. Tunc iratus
iudex adveniet,
Singulorum
causas discutiet
Personamque
nullam accipiet,
De singulis
iuste definiet.

89. Horrendum est
illud iudicium,
In quo nullum
erit refugium,
Sed quilibet
poenam et praemium
Recipiet,
hoc non est dubium.

90. Iustus iudex
dando sententiam
Non faciet
iustis iniuriam
Nec iniustis
faciet gratiam,
Sed tenebit
strictam iustitiam.

91. Et ideo
nunc coram iudice
Pro miseris
te ipsam obice,
Cum filio,
beata, perfice,
Ut nobiscum
agat pacifice.

92. Nunc igitur,
mater, adcelera,
Pietatis
ostende viscera,
Nato pectus
offer et ubera,
Et eidem
pro nobis impera.

93. Summi regis
mater et filia,
Cui nullus
par est in gloria,
Tua, mater,
dulcis clementia
Sit tunc et nunc
nobis propitia.

94. Pia mater,
quae cunctos respicis,
Cunctos iuvas
et nullum despicis,
Erue nos
de manu iudicis
Et iunge nos
choris angelicis.

95. Stirps electa,
deiectos erige,
Deviantes
ad viam redige,
Bonos auge
et malos corrige
Ac sic tecum
nos omnes collige.

96. Lux caelestis,
nostra spes unica,
Pietate
tua magnifica,
Dei nutrix,
reos iustifica
Et eos tunc
tecum glorifica.

97. Iesu mater,
summae clementiae,
Summae laudis
et excellentiae,
Sta pro nobis
in caelis hodie,
Ut nos tecum
fruamur requie.

98. Haec itaque
benigne poscimus
Atque ad hoc
suspirat animus,
Ut deleas
mala, quae fecimus,
Et des bona
quae semper cupimus.

99. Tua, virgo,
iucunda facies,
Tua cunctis
miranda species,
Beatorum
est magna requies,
Qua nos tecum,
si placet, saties.

100. Nunc, regina
summi regiminis,
Mediatrix
Dei et hominis,
Quae placare
Deum non desinis,
Esto finis
huius dictaminis.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. $^{14}/_{15}$. A. — Orat. ms. Tegurinum anni 1466. Clm. Monacen. 19991. B. — Orat. ms. Caelestinorum saec. 15. Cod. Parisin. 18571. C. — Das Gedicht findet sich des weitern in folgenden Quellen: Sehr erweitert in Orat. ms. Augustanum anni 1469. Clm. Monacen. 3702. (Die Zusätze verraten sich teilweise schon durch das Metrum.) D. —

Auf die Hälfte der Strophen reduziert in Cod. Raigraden. $\frac{D}{K}$ I ℵ 3. saec. 15. E. — Orat. ms. Cluniacense saec. 15. Cod. Parisin. Nouv. acq. 333. F. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20123. G. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19636. saec. 15. H. — Cod. Parisin. 3639. saec. $^{15}/_{16}$. I. — Horar. ms. Gallicum saec. 15. Cod. Londinen. Burn. 336. K. — Orat. ms. Thosanum saec. 15. Cod. Bruxellen. 4948. L. — Horar. ms. S. Petri de Luxemburgo saec. 15. Cod. Avenionen. 207. M. — Orat. ms. Friburgense saec. 15. Cod. Sangallen. 482. N. — Orat. ms. Altaripense (Hauterive) saec. 15. Cod. Friburgen. L 65. O. — Orat. ms. Eberspergense saec. 15. Clm. Monacen. 6053. P. — Orat. ms. Carth. Erfordien. saec. 15. (Privatbesitz) Q.

Das Ganze, noch erweitert um 21 Str., findet sich auch in Corners Magnum Promptuarium 1645. p. 203 ff., woselbst als Quelle der Hortulus devotionis Hugonis Carthusiensis angegeben wird; 83 Strophen auf vier Lieder verteilt finden sich in dem Offic. B. M. V. sec. usum Romanae Curiae, imp. in Castro Lauro 1503. Die Abweichungen all dieser Quellen unter sich sind so bedeutend, namentlich was Zahl und Stellung der Strophen angeht, dafs eine Wiedergabe derselben in diesen Anmerkungen nicht möglich ist. Im folgenden sind nur die Lesarten von ABCQ verzeichnet.

3, 2 sanctarum virginum Q. — 4, 8 tuta divinitus Q. — 5, 8 fecit similem Q. — 7, 1 Ex quo Deum CQ. — 7, 2 digna es parere CQ. — 7, 7 Quanto Q. — 8, 1 Quia tamen BC; Quia tu Q. — 8, 2 virgo es virginum Q. — 8, 3 Summa laudis Q. — 9, 6 terram et cetera CQ. — Str. 9, 10, 11 fehlen B; statt dessen die Strophe:

Benedicta et venerabilis,
Pia, prudens, decora, nobilis,
Universis imcomparabilis,
Tibi nunquam fuit consimilis.

10, 3 congaudet Q. — 11, 1 sq. und 3 sq. umgestellt CQ. — 12, 4 quam sine Q. — 12, 6 regnat A. — Str. 14, 15, 16 fehlen Q. — 17, 2 morum fehlt Q. — 17, 5 Vera Q. — 17, 7 sq. Tibi congaudent omnes feminae A. — 18, 2 domina praesides A. — 18, 8 reprimens occides A; potenter obsides Q. — 19, 5 Os fehlt Q. — 20, 7 sq. stehen nach 20, 2. Q. — 21, 1 virens fehlt Q. — 21, 7 Et porta Q. — 22, 1 Tu pulchrum Q. — 22, 5 Tu porta Q. — 22, 7 Tu ferens reis Q. — 22, 8 semper fehlt Q. — 23, 4 fulmen fragrantiae A. — 23, 8 caelestes deliciae Q. — 24, 6 vigor et Q. — 25, 2 et stillans A. — 25, 5 sq. Para nobis locum aethereum Q. — 25, 7 sq. Et emunda cor meum felleum Q. — 26, 1 Benedicta tu Q. — 26, 5 sq. und 7 sq. umgestellt A. — 26, 7 sq. Et dotasti donis caelestibus A. — 27, 4 caelestis luminis Q. — 27, 7 Tu es pietas Q. — 28, 5 spectat A. — 28, 6 conventus civium A. — 29, 1 sq. Mater vera et virgo nomine A. — 30, 6 in fehlt Q. — 31, 1 es fehlt Q. — 31, 5 in caelis Q. — 32, 4 tenebras illustrans A. — 32, 5 Cui mundus Q. — 32, 6 supplicans Q. — 32, 7 pie A. — 33, 3 sq. Christianum defende populum A. — 33, 5 sq. Via vitae morum spectaculum A. — 33, 7 sq. Duc nos ad vitae habitaculum A. — 34, 3 Lumen lucens A. — 34, 6 sis consolatio Q. — 34, 7 Et tentatis Q. — 35, 3 Omnipotens apud Q. — 35, 5 sq. Nostra vitae purgans animum A. — 35, 7 Nos dirige A. — 36, 3 Interemis A. — 36, 5 sq. Captivos respice pauperes Q. — 36, 7 sq. Et fac nos ad bonum celeres Q. — 37, 5 tuis fehlt A. — 38, 2 ostende A. — 38, 7 sq. Ut ducamur ad eum hospitem Q. — Str. 39 fehlt Q. — 39, 7 sq. Sis lassis pium adiutorium A. — 41, 4 delectabile A. — 41, 8 sit impetrabile Q. — 42, 2 et domus A. — 43, 6 sanctis suffragiis Q. — 44, 6 et veros humiles Q. — 44, 7 Et fehlt A. — 44, 8 atque A. — 46, 5 Nos rebelles A. — 47, 1 Virga rosa Q. — 48, 3 sq. In aevum gaudens nobis condoles A. — 48, 5 sq. Pias preces pro nobis immoles Q. — 48, 7 sq. Ut fiamus semper incolumes Q. — 50, 3 Nos molestant BQ. — 50, 5 Et ideo A. — 51, 5 sic fehlt AB. —

51, 8 virgo, confidimus Q. — 52, 4 pungunt A. — 52, 6 ab eius luviis Q. — 53, 1 In hoc mundo B; Et in mundo C. — 53, 3 et fehlt A. — 53, 4 et fehlt Q. — 54, 2 amor modicus A. — 55, 1 Et in mundo A; Sed in mundo C. — 55, 5 Et ergo Q. — Str. 57 fehlt Q; steht hinter Str. 60 BC. — 58, 3 Sic amara BC. — 58, 4 caduca labili BC. — 58, 2 sq. fehlen Q. — Nach 58, 8 Ut tecum stemus in loco nobili Q. — 59, 1 Hostis, qui nos B; Et quia nos C; Et quae nos Q. — 59, 3 eadem C; Ab eis Q. — 59, 4 nos mater Q. — 59, 7 Atque vitam A. — 60, 5 Labor, nefas Q. — 60, 6 nefas et A; timor miseria Q. — 61, 3 Nunc timemus Q. — 61, 5 Sed fehlt Q. — 61, 8 nos ab eo deprimi Q. — 62, 5 Interdum et A. — 63, 8 fac nos socios Q. — 64, 7 dimittunt A; permittentes Q. — 65, 6 compatiens Q. — 66, 3 Quae percussit Goliam Q. — 66, 6 oramus Q. — 66, 8 et pete provide Q. — Str. 68 fehlt Q. — Str. 70 fehlt Q. — 71, 6 habemus conscientiam Q. — 72, 3 Et pro nobis Q. — 72, 5 Et in morte Q. 72, 7 sq. Cuius timor nos multum terruit Q. — 73, 1 sq. Via mortis terram ingredimur BQ. — 73, 3 Et postea Q. — 74, 3 sq. = 74, 5 sq. Q. — 74, 5 sq. = 74, 7 sq. Q. — 74, 8 speramus Q; dann: Quod intremus caelum alacriter Q. — 75, 1 Et revera BC. — Str. 75 fehlt Q. — 76, 1 O tu David Q. — 76, 4 omnium pulcherrima Q. — 77, 1 sq. plena fehlt A; roris plena Q. — 77, 3 Caelos rigans Q. — 77, 8 laete suscipe Q. — 79, 2 qui tanta abluis Q. — 79, 3 lavans A; Nullum sitientem Q. — 79, 4 et neminem A; te respuis Q. — 79, 6 extende mortuis CQ. — 79, 7 sub poenis Q. — 80, 5 sq. und 7 sq. umgestellt Q. — 81, 3 Nunc beata Q. — 81, 7 Educ nos Q. — 82, 7 sq. Semper orare tuum A; Assidue deprecare filium Q. — 83, 4 visita Q. — 84, 4 astricta ratio Q. — 85, 3 Dies mala A. — 85, 6 semper amabilis Q. — 85, 7 Fac, ut sit A. — 87, 1 sq. Illa die mater iudicii Q. — 87, 5 sq. Da nobis sic iam conteri Q. — 87, 7 sq. Ut tunc fiamus liberi Q. — 88, 2 veniet Q. — 88, 5 Personarumque A; Nullam personarum Q. — 88, 7 Sed singulos Q. — 89, 3 Quando nemini A. — Str. 89, 90, 91 fehlen Q. — 91, 3 Pro peccatis C. — 92, 1 Tunc igitur A; O mater Q. — 92, 2 nunc accelera Q. — 92, 7 sq. Et eundem pro nobis supplica A. — Str. 93 und 94 stehen vor Str. 89 BC. — 94, 3 Cunctos amans A. — 94, 4 et neminem A. — 95, 1 fehlt Q. — 95, 2 elisos erige C. — 95, 4 dirige C. — Nach 95, 6 Imperfecta nostra perfice Q. — 95, 7 sq. Et sic omnes nos tecum Q. — Str. 96 fehlt Q. — 97, 1 sq. summae mater B. — 97, 7 Ut tunc plena Q. — 97, 8 regie A. — 98, 1 Haec utraque A. — 99, 3 cuncta A. — 99, 6 beata requies Q. — 99, 7 sq. Nos tuo nato in caelis saties Q.

Vor dem Liede: Sequitur soliloquium sancti Augustini, editum ab ipso ad laudem et gloriam beatae Mariae virginis, genetricis Dei, in salutem animarum A; dann folgt ebenda als Prologus:

Ante thronum trinitatis,
Miserorum miserata,
Sis pro nobis advocata.

Virgo solis amicta pallio,
Cui luna pedibus sternitur,
Duodeno stellarum radio
Caput ornans corona praeditur,
Super cuncta praelata cernitur,
Quae in caelis regina conspicitur.

Cerne virtutum se matrem carne solutum [sic].

In BFP: „Incipit iubilus aureus. Hanc sequentem orationem tam eleganter et pulchre rigmatam condidit Ioseph ab Arimathia, nobilis decurio, ad honorem gloriosissimae virginis Mariae, de qua, ut pie creditur, revelatum fuit beato Augustino, quod quicunque eam devote et contrito corde singulis diebus dixerit, quidquid a Deo iuste petierit, impetrabit.“ Der Unsinn ist doch nicht in Tegernsee gewachsen. R bemerkt nämlich: „Hanc salutiferam orationem tam eleganter et pulchre rhythmatam condidit Ioseph ab Ari-

mathia in honore beatissimae virginis Mariae, de qua, ut pie creditur, nuntiatum [fuit] beato Augustino, quod quicunque eam devote singulis diebus dixerit, quidquid a Deo iuste petierit, impetrabit, nec aliquod illa die ei nocebit."

Auch L versichert: „Oratio Ioseph de Aromathia" [sic]. Dagegen hält O zu A in der Angabe: „Oratio sancti Augustini." E hinwieder: Sequitur oratio beati Bernhardi ad honorem beatae Mariae virginis. In I geht der ersten Strophe die folgende voran:

An nos sponsum solum laudabimus
Et te matrem eius silebimus?
Non id decet, sed te cantabimus
Dei matrem, quanto valebimus.

In D findet sich der Schluſs folgendermaſsen gestaltet:

Nunc, regina summi regiminis,
Mediatrix Dei et hominis,
Quae precare Deum non desinis,
Esto memor tui miseri scriptoris,
O Maria.

O mater piissima ordinis Carmeli,
O aqua dulcissima de fonte Elisaei,
Ad quam qui confugiunt, omnes sint redempti,
O Maria.

„Istam orationem beatae virginis gloriosae scripsit fr. Petrus Netere de Argentina, ordinis beatae Mariae de monte Carmeli, provinciae Alemanniae inferioris, filius conventus Argentinensis, quondam studens Tolosae."

Zum weiteren Vergleiche möge hier noch die Fassung des Liedes in E folgen:

1. Salve, mater misericordiae,
Mater spei et mater veniae,
Mater Dei et mater gratiae,
Mater, inquam, totius gloriae.

2. Salve, salus humani generis,
Salve, virgo dignior ceteris,
Quae virgines omnes transgrederis,
Et altius sedes in superis.

3. Salve, sancta sanctarum omnium,
Laus, honor et decus fidelium,
Aula Christi, domus palatium,
Deitatis reclinatorium.

4. Te creavit pater ingenitus,
Obumbravit te unigenitus,
Fecundavit te sanctus spiritus,
Tu es sancta tota divinitus.

5. Te creavit Deus mirabilem,
Te respexit ancillam humilem,
Te quaesivit sponsam amabilem,
Tibi nunquam fecit consimilem.

6. Te beatam laudare cupiunt
Omnes sancti, sed non sufficiunt,
Quia tot laudes tibi conveniunt,
Quod laudantes omnes deficiunt.

7. Ex quo Deum digna es parere,
Nemo potest digne exprimere
Laudes tuas nec satis dicere,
Quantum gaudes divino munere.

8. Pia mater, respice filios,
Inter hostes pugnantes impios,
Irruentes repelle gladios,
Angelorum fac esse socios.

9. Ecce, mater, hostes tartarei
Prodeuntes ab ore putei
Viam claudunt regni siderei,
Nec permittunt nos sursum provehi.

10. Virgo dulcis et summe sapiens,
Pietatis fons indeficiens,
Servis tuis esto compatiens,
Quos impugnat hostis percutiens.

11. Tu fuisti funda cum lapide,
Quae Goliam percussit valide,
Et nunc, mater, orando obtine,
Hostem fuga et pacem provide.

12. Preces tuae nobis subveniant,
Pia mater, et sic custodiant
Hora mortis, ut hostes fugiant
Et nos caeli cives suscipiant.

13. Nos timentes hostis insidias,
Hora mortis magis quam alias,
Supplicamus, ut nunc subvenias
Et nos ope tua custodias.

14. Mentes nostras peccatis deditas
Multum terret hostis acerbitas,
Et nunc, mater, quae caelos habitas,
Fac, ut detur nobis securitas.

15. Sed nobis ponas sic vivere,
Multum tamen facit nos tremere
Mors, quam nullus potest effugere,
Sed tuum nobis est consulere.

16. Nos timentes horam novissimam,
Horam mortis et diem ultimam,
Quia laesam habemus animam,
Sed da nobis
tunc spem firmissimam.

17. Illo die tantus servabitur
Rigor, quod vix iustus salvabitur,
Nemo reus,qui non condemnabitur,
Et cuique ius suum dabitur.

18. Auctor vitae nos mori noluit
Et pro nobis mortem sustinuit
Et in morte pavit et timuit,
Cuius timor nos multum terruit.

19. Beata es, virgo puerpera,
Nam qui sedet in patris dextera,
Caelum, terram(que)
regens et cetera,
Intra tua se clausit viscera.

20. Imperatrix, cuius imperio
Tota gaudet caelestis contio,
Tanta laus est tibi in filio,
Quod humana non capit ratio.

21. Benedicta es, venerabilis,
Pia, prudens et tota nobilis,
Universis incomparabilis,
Tibi nunquam fuit consimilis.

22. O quam pulchra puella parvula,
Quam suavis, quam sine macula,
Sed quam potens regnas in saecula,
Tua satis probant miracula.

23. Tu es, virgo, ceteris purior,
Virginibus es gradu dignior,
Super omnes aspectu pulchrior
Et in sanctis post Deum sanctior.

24. Pia mater, per tuam gratiam
Revertitur exsul in patriam,
Peccatores merentur veniam
Atque sancti possident gloriam.

25. Nomen tuum daemon reticeat,
Tua virtus vero subveniat,
Tuus odor sanctos inebriat,
Fructus vero beatos faciat.

26. Fons hortorum, aquarum puteus,
Via lucis, splendor aethereus,
Dei sedes et thronus aureus,
Te conventus laudat aethereus.

27. Cella fragrans morum dulcedine,
Omni carens amaritudine,
Veri solis amicta lumine,
Tibi omnes congaudent feminae.

28. O quam felix,
quae mundo prae sides,
Mundum regis et caelos possides
Et cum Deo regina resides,
Hostes nostros malignos occides.

29. Tu es clavis superna reserans
Atque [!] solis ardorem temperans,
Ros fornacis ignem refrigeraus,
Medicina salutem operans.

30. Tu fuisti vellus in area,
Arca lucis, turris eburnea,
Tu sis nobis salutis galea,
Granum purum excussa palea.

31. Tu es virens oliva fertilis,
Tu columba simplex et humilis,
Tu columna fidei stabilis,
Porta Sion inexpugnabilis.

32. Tu, beata, fuisti lilium
Inter spinas et flos convallium,
Tu es portus portans suffragium,
Tu es reis semper remedium.

33. Rubus ardens, palma iustitiae,
Murra, nardus
summae fragrantiae,
Hortus virens, flos pudicitiae,
Te circumdant caeli delicitae.

34. Ut affirmat fidelis populus,
Tu es ergo caecorum oculus,
Pes claudorum, virga et baculus,
Omnium sanctorum es titulus.

35. Fons signatus, distillans oleum
Pietatis et rorem melleum,
Para nobis salutis gaudium
Et emunda cor nostrum felleum.

36. Benedicta (tu) in mulieribus,
Quae de tuis castis visceribus,
Plena semper donis caelestibus,
Peperisti pacem hominibus.

37. Tu civitas superni numinis,
Tu claritas caelestis luminis,
Tu dignitas nostrae compaginis,
Tu pietas summae dulcedinis.

38. Per te mundus accepit puerum,
Per te sordes lavantur scelerum,
In te sperat conventus pauperum,
Dona tua non habent numerum.

39. Mater digna virginis nomine,
Insignita Dei imagine,
Decorata similitudine,
Te collaudant sanctorum animae.

40. Tu es terra dans fructum optimum,
Petra fundens potum largissimum,
Fons redundans
in flumen maximum,
Vas reservans manna dulcissimum.

41. Sol es, virgo, eclipsin nesciens,
Sol peccati nubes demoliens,
Sol de caelis terram respiciens,
Sol de caelis in terra oriens.

42. Lux serena, aurora rutilans,
Peccatorum tenebras ventilans,
Ad te mundus exsultat iubilans,
Esto, pia, super nos vigilans.

43. Mons sublimis, salutis speculum,
Via vitae, morum spectaculum,
In caelis habitas in saeculum,
Christianum defende populum.

44. Gemma splendens splendore nimio,
Lumen lucens caelesti radio,
Desolatis sis consolatio
Et temptatis firma protectio.

45. Tribus Iuda genus dulcissimum,
Omnipotentis es altissimum,
Nostrum in te perurgens animum,
Nos perurge in finem ultimum.

46. Sanctitatis totius femina,
Mundi princeps et caeli domina,
Servis tuis relaxa crimina
Et eorum mentes illumina.

47. Ex te, virgo, natus est filius,
Puer Iesus, quo nihil dulcius,
Quem rogamus omnes attentius,
Ut sit nobis per te propitius.

48. Vas, excelsi opus mirabile,
Stella caeli, signum spectabile,
Per te nobis fiat possibile,
Quod rogamus, et impetrabile.

49. Advocata nostra propitia,
Tua prece semper assidua,
Quod in nobis sordet, evacua
Et sis nobis ad caelum obvia.

50. In hoc mundo vix bonum facimus
Et a malis nunquam quiescimus,
Et sic vitam et tempus perdimus,
De te tamen semper confidimus.

Digneris praestare quod petimus.

137. Ad beatam Mariam V.

Salve, mater salvatoris,
Audi preces familiae,
Tu, quae spes es peccatoris
Et fons misericordiae.
In hac valle, quam laboris
Et luctus et inediae
Infirmitasque doloris
Circumstant et miseriae,
Esto nobis ros dulcoris
Et virtus tolerantiae
Contra aestus incentoris,
Ne nos eius versutiae
Laedant intra sive foris,
Ut per te nos rex gloriae
Iungat angelorum choris
Caelestiumque curiae.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1,1 Vale, mater.

138. De beata Maria V.

1 a. Salve, parens singularis,
Sola carens laude paris,
Quia parem nulli paris
Hominem cum numine;

1 b. Virgo, lactas Dei prolem,
Stella, claudis sola solem
Et moliris carnis molem,
Vim electri lumine.

2 a. Tu fulgorem
electri temperas,
Inaccessum
lumen dum generas,

2 b. Lucis ergo
mater et filia,
Lux es mundo
facta primaria.

3 a. Nostrae noctis
nubila respice

3 b. Et da vitae
lumen angelicae.

4 a. Nubes levis, iustum pluc
gratiamque rora,

4 b. Pacem vitam et gloriam
saeculis implora.

Orat. ms. Maioris Carthusiae saec. 14/15. Cod. Gratianopolitan. 181.

139. De beata Maria V.

1. Salve, plena caritate,
Singulari pietate,
Speciali dignitate,
Tuam laudem perficit
Tuus Iesus, rex caelorum,
Qui in cella pigmentorum
Te malorum granatorum
Plene musto reficit.

2. Virgo mater, gratulare,
Tuum Iesum osculare
Et in eius delectare
Beatis amplexibus;
Dignum enim est et iustum,
Dei plenum habens gustum,
Ut amoris bibas mustum
Prae cunctis amantibus.

3. Angelica hierarchia
Iugi laudat harmonia
Te beatam, cuius tria
Probant privilegia,
Quod tu, virgo mater Dei,
Summae thronum requiei,
Curam matris habens, ei
Conregnas in gloria.

4. Quae es thronus tuae prolis,
A terreni fisco molis
Nos solutos infer polis
Materna potentia,
Ubi bona videamus
Sempiterna, quae speramus,
In pace Dei vivamus
Inter Sion brachia.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 4,7 Et in pace. — Vielleicht Sequenz.

140. De beata Maria V.

Salve, regina, mater divina deicolarum,
Es matutina stella marina, lux animarum.
Palma tis freta, sertis impleta illas coronat,
Quaeque plus laeta aetheris meta cantica sonat.
5. Nostra spes dulcis, lassis hiulcis cimus te foris,
Mortis ut sulcis trahas, quae fulcis nos iunctos loris.
Iterum salve, iterum valvae nunc paradisi
Sese dehiscant, nunc resipiscant in te confisi.
Heus, eia, ergo te sine vergo ad ima terrae,
10. Ima maeroris, da vi amoris culpas auferre.
Hac taetra valle, flebili calle respice cunctos,
Oculos verte, ad nos converte corde compunctos.
Fons gratiarum largifluarum, nympha superna,
Illa nos rora, nostra peiora, claudis inferna.

Te, advocata hominum, fata felicitarunt,
Quando beata membra tis grata Christum portarunt.
Exsules mundo labis immundo confove dextra,
Divites fundo caeli iucundo victa palaestra.
Ostende natum ab alto datum, Messiam missum,
Quem princeps vatum agnum beatum prodidit ipsum,
Hic vita, via, vera sophia, quo sublimamur,
Per te nos, pia virgo Maria, illo beamur.

Orat. ms. saec. 14/15. Cod. Vatican. Ottobon. 13. — 3. Palma tua. — 12. te ad nos; compuncto. — 16. tua grata. — 17. destra. — 20. prodiit.

141. De beata Maria V.

Salve, regina, miseri cordis medicina,
Vitaque dulcedo, spes nostra per omnia, credo;
Exsilium gentes ad te clamant patientes,
Evae qui geniti sunt ad suspiria, niti
Coguntur flendo, lacrimarum valle gemendo.
Eia, Deo grata, mediatrix nostra vocata,
Ad nos converte [mater] tua lumina, per te
Cernere da Christum post finem, poscimus, istum,
Qui tuus est fructus benedictus; pellere luctus
Clemens posce, pia, dulcissima virgo Maria.
Me rege viventem nec, virgo, sinas morientem,
Offer, mater Dei, me perpetuae requiei,
Tu mea facinora dele per te, virgo Maria.

Orat. ms. Lunaelacense saec. 15. Cod. Vindobonen. 4087. A. — Cod. S. Iosephi Oenipontani A 35. anni 1450. B. — 1 mundi cordis B. — 2 Atque dulcedo A; dulcedo, miserorum spes, tibi me do B. — 3 clamant parturientes A. — 4 Eia qui genti [lies: gnati] sunt ad suspiria nati A. — 6 Eia per gratiam A. — 7 fehlt B. — 8 finem protinus istum B. — 11 sqq. fehlen B. — „Nota, quod Bonifacius papa octavus, composuit sequentia metra super Salve regina et concessit omnibus ea devote dicentibus quadraginta dies indulgentiarum.“ A.

142. De beata Maria V.

Salve, regina, miseri cordis medicina,
Vitaque dulcedo, spes certa per omnia nobis,
Exsilium gentes ad te clamant patientes,
Eia, nos miseri sumus, en, patria spoliati,
Ex hac nos ad te lacrimarum flemus abysso.
Eia, per gratiam mediatrix nostra vocata
Ad nos convertas [mater] tua lumina, per te
Cernere da Christum post finem, poscimus, [istum],
Qui tuus est fructus benedictus, (de)pellere luctus

10. Clemens posce, pia, o dulcissima virgo Maria.
Me rege viventem nec, virgo, sinas morientem,
Offer, mater Dei, me perpetuae requici,
Tu mea facinora avertas prece, virgo Maria.

Cod. S. Floriani XI 196. saec. 16. — Bearbeitung des vorigen.

143. Oratio ad beatam Mariam V.

1. Salve, regina omnium,
Virgo mater, post filium,
Salve, caelestis ianua
Errantibus tu patula.

2. Salve, tu Dei genetrix,
Invocantum te adiutrix,
Tuo processit utero
Tamquam sponsus de thalamo,

3. Qui nos venit redimere,
Mundum dignatus visere.
Et quia moles criminum
Me nimis fecit miserum,

4. Ad te solam confugio,
Tuum solamen flagito,
Pande mihi dulcissimum
Pietatis sacrarium.

5. Pateant aures tuae piae
Votis meae angustiae,
Appella pro me filium,
Filium Deique tuum,

6. Ut mihi sit propitius,
Qui te quaero prae omnibus.
Sed, tu quod non vis, diligo,
Castitatem, heu, fugito.

7. Periurus, mendax, invidus,
Illicitorum cupidus,
Ira fremens et odio
Et semper studens otio,

8. Quid dicam ante iudicem
Caelis, terris terribilem,
Qui statuet iudicium
Et iudicabit saeculum?

9. Sed tu, o Dei genetrix,
Virgo es ineffabilis,
Te spem meam constituo,
Me tibi servum offero.

10. Fide tua me suscipe,
Nato tuo restitue,
Mea peccatrix anima
Ne sit in fine perdita.

11. Praesta mihi subsidium,
Dum hoc relinquo saeculum,
Et cum recedit spiritus,
Castis adesto precibus.

12. Nam te orante, domina,
Sanctorum surgunt milia,
Si tu sola silueris,
Vox nulla erit ceteris.

13. Noli silere, domina,
Esto mihi propitia,
Non enim vult me perdere,
Qui me redemit sanguine.

14. Me cunctis locis protege,
Labentem semper erige,
Manum sacratam porrige,
In viam pacis dirige.

15. Vales enim prae omnibus,
Quos praecellis virtutibus,
Tu angelorum domina,
Tu prophetarum gloria,

16. Apostolorum, martyrum,
Confessorum ac virginum
Nec non sanctorum omnium,
Solve meam miseriam.

17. Tu mihi da clementiam,
Ut vocem Christi audiam,
Per quam vitam possideam
Et te laudare valeam.

Orat. ms. Montis S. Georgii anni 1464. Cod. Guelfenbyteran. 1514.. Helmstadien. 1391. A. — Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. B. — 1, 2 post saeculum, A. — 1, 4 Peccatoribus patula B. — 2, 1 tu fehlt A. — 2, 2 Virgo florens et fertilis B. — 3, 1 Quid nos B. — 3, 2 dignatus est A. — 3, 3 quia me moles A. — 3, 3 facit B. — 4, 2 postulo. — 4, 3 piissimum B. — 4, 4 Tuae pietatis A. — 5, 3 sq. Interpella pro me Dominum A. — 5, 4 Unicum tuum filium A. — 6, 1 Ut mihi sit remissius B. — 6, 2 Quia te A; Quod te B. — 6, 3 vis non diligo B. — 9, 4 Virginitatem confugio B. — 7, 1 Taliter sum immundus A. — 8, 3 Cum statuet B. — 9, 1 o fehlt A; Dei fehlt B. — 9, 2 es fehlt A; Omnium imperatrix B. — 9, 4 Me famulum tibi A. — 10, 3 infelix anima B. — 11, 2 Cum hoc A. — 11, 3 und 4 fehlen A. — 12, 4 erit aliis B. — 13, 3 Non vult enim B. — Str. 14 in B:

Me cunctis locis protege,
In viam pacis dirige,
Manum sacratam porrige
Nec non labantem erige.

16, 2 Et confessorum omnium B. — 16, 3 sq. fehlen A. — 17, 1 Et impende clementiam B. — 17, 2 Christi vocem B. — 17, 4 fehlt B; dafür schliefsen sich in B noch folgende Zeilen an:

Audi, Christe piissime,
Patris matrisque unice,
Audi matrem piissimam,
Quam sic fecisti inclitam.

Adiuro te, rex omnium,
Cum iudicabis saeculum,
Ne me cum infelicibus
Gehennis tradas ignibus.

Vale, redemptor omnium,
Generale dominium,
Vale, beata trinitas
Et triplicata unitas,
Vale per omne saeculum
Et dele massam scelerum.

144. De beata Maria V.

1. Salve, salve, dominatrix,
O caelestis imperatrix,
O maestorum consolatrix,
Esto nostri miseratrix.

2. Orta mundo maris stella,
Verbi Dei sacra cella,
Hostis pelle saeva bella
Nos tuendo a procella.

3. Speciosa margarita,
Peccatorum spes et vita,
Sola tu es redimita
Et prae cunctis exquisita.

4. Gloriosa matutina
Stella tu formosa,
Peccatorum medicina
Mire fructuosa,
Mundi princeps et regina,
Gaude, gloriosa.

5. Speciosa, admiranda,
Redolens ut rosa,
Virgo semper veneranda,
Mater generosa,
Tu a nobis invocanda
Gemma luminosa,
Super omnes praedicanda,
Tota speciosa.

6. Decora lux non casura
Splendens ut aurora,
Carne pulchra, mente pura,
Tu pro nobis ora,
Ut in mortis nos futura
Gaudeamus hora;
Vale, nostra spes secura,
Tu valde decora,
Advocata tutissima.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

145. De beata Maria V.

1. Salve, salve, o formosa,
Virgo nimis speciosa,
Sancta Dei genetrix,
Tu es virga benedicta,
A propheta iam praedicta,
De radice nobili,

2. Hoc est de Iesse radice;
Ergo salve, o amice
Iesse Dei inclite,
Qui dedisti virgam talem,
Nunquam vidit mundus qualem
Nec visurus similem.

3. De qua virga flos ascendit,
Cuius odor non offendit,
Sed valde laetificat,
Dulcis ergo eius odor,
Dulcis sapor, pulcher color,
Nil in mundo pulchrius.

4. Ergo salve, o Maria,
Virgo clemens et benigna,
Singularis domina,
Ave, mater benedicta,
Cunctis floribus amicta
Cunctisque virtutibus.

5. Valde facta es suavis,
Quasi magna plena navis
Omnibus deliciis;
Omni plena es thesauro,
Plena gemmis, dives auro
Ac caelesti gratia.

6. Tu es nata velut rosa
Inter spinas sine spina
Et ut pulchrum lilium;
Christi dextris es locata,
Ut sis nostra advocata
Nunc et in perpetuum.

7. Tu es nostrum refugium
Atque Christi palatium
Et aula pudicitiae;
Tu in fine vitae meae
Dignare me visitare,
Indignum tuum servulum.

8. Ut sic terrorem Satanae
Per te queam evadere
Redeundo ad patriam,
In qua semper permanere
Atque tecum congaudere
Sine fine valeam.

Offic. BMV. imp. in Castro Lauro 1503.

146. Ad beatam Mariam V.

Salve, sancta mater Dei,
Da effectum meae spei,
O maestorum consolatrix,
O lapsorum sublevatrix,
5. Confer mihi auxilium
Tuum placando filium.
Ora regem, iube nato,
Ut me mundet a peccato,
A peccato actuali,
10. Quem mundavit originali

Suo pretioso cruore,
Te attestante cum dolore,
Cum aspiceres poenam nati,
Clavis, lancea perforati,
Et illius sanguinem fundi,
Quem genuisti Dominum mundi.
Memento ergo, virgo mitis,
Cur hoc ambo passi sitis,
Hic in carne, tu in mente,
Cum pateretur te praesente.
Causa mei crucem ascendit,
Ut salvator in cruce pependit,
Causa mei tu doluisti,
Cum aspiceres mortem Christi.
Quia subiit causa mei
Poenam crucis filius Dei,
Sic et ego causa fui
Suae mortis et doloris tui.
Noli ergo, mater spei,
Haec oblivisci odio mei,
Sed pro reo, domina, ora,
Filius audiet te sine mora,
Quidquid petieris, dabit tibi,
Quam elegit matrem sibi,
Cuius de utero voluit nasci,
Cuius ab uberibus voluit pasci.
O regina angelorum,
Laus iustorum,
spes miserorum,
Per quam reis donatur venia,
Per quam iustis redduntur praemia,
Et commendo animam meam,
Ut reconcilies filio tuo eam,
Ut in vitam aeternam perducat illam.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni. 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 6. Tuum dilectum placando. — 7. iube dilecto nato. — Nach Vers 43, mit dem das Gedicht zu schliefsen scheint, folgt noch:

O Maria, plasma nati,
Quae vidisti natum pati,
Quis te dolor tenuit,
Non est humanitati
Scire datum, ulli vati,
Nullus homo potuit.
Prae dolore perforetur
Mens mea et crucietur,
Quae dolorem meruit,
Ne in fine condemnetur,
Sed per poenas emendetur,
Quia carni paruit.

O dulcis Iesu, reo
Infer iubar cordi meo,
Qui cruore me roseo
Lotum redemisti Deo.

Virtus patri, laus genito,
Sancto decus paraclito,
Sit una tribus gloria
Per saeculorum saecula.

147. De beata Maria V.

Salve, sancta parens, ...
Kyria labe carens, cepisti mente fideli
Angelica laude theos anthropos in penetrali
Ventris mortali redimens hominem cruce fraude.
O laudabilis ac venerabilis arca sophiae,

Mater amabilis atque placabilis orthographiae.
Stella maris, speculum iubaris, sine vae gravidaris,
Sicque paris genetrixque daris virgoque vocaris.
Ut placeat, faxis, quoque cleri diceris axis,
Pervicibus laxis tis est nata diasmaxis.
O Deus aeterne, prece materna miserere
Nostrum, sic cerne, caelica facias nos videre.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19824 saec. 15.

148. De beata Maria V.

1. Salve, sancta parens,
Omni labe carens,
Salve, virga decens,
Plus quam rosa recens.

2. Salve, mater regis,
Cum quo cuncta regis,
Salve, mater lucis,
Ad quam lapsos ducis.

3. Salve, eius mater,
Qui est tuus pater,
Salve, quae fuisti,
Virgo, mater Christi.

4. Salve, mater alma
Virginumque palma,
Salve, quae tuorum
Es spes famulorum.

5. Salve, digna laude,
Mater sine fraude,
Salve, quae vocaris
Huius stella maris.

6. Salve, quae securos
Facis transituros,
Salve, per quam sursum
Quisque vertit cursum.

7. Salve, dux et via,
Dei mater pia,
Salve, gubernatrix
Mundi et salvatrix.

8. Salve, per quam sanum
Est genus humanum,
Salve, per quam mundus
Est omnis iucundus.

9. Salve, angelorum
Domina cunctorum,
Salve, super cunctos
Choros Christo iunctos.

10. Salve, iuxta natum
Tenens principatum,
Salve, quae precatu
Nos mundas reatu.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

149. De beata Maria V.

Salve, sancta parens, pia virgo, superbenedicta,
Omni labe carens, quae lumine solis amicta,
Lunae sub plantis calcans iubar irradiantis,
Sertum de stellis prae virginibusque puellis,
Regia matrona, geris, alma puerpera Christi.
Hic, elegisti, tua quod veneretur icona,
Per tua condigna miracula, virgo benigna.
Me tibi consigna Satanae de fraude maligna,

Tu matrona bona, tu glorificata beata,
Tu speciosa rosa, tu mater amoris, honoris.
O fons dulcoris, caeli regina superna,
Me prece materna tuearis in omnibus horis.
Mater humillima, spes, miseratio certa reorum,
Mystica cella, benigna puella, suavis, amoena,
Lumine plena, decora, serena, maris quoque stella.
Virgo sacrata, per astra levata, Deo sociata,
Sis miserata mei, pia, grata Davidica nata.
Diva propago, dulcis imago, floriger hortus,
In maris undis valde profundis ancora, portus.
Fons bonitatis semper inundans, vas pietatis,
Prorsus abundans, cum deitatis pace iucundans.
Auxiliatrix, induperatrix, alleviatrix,
Sis medicamen, da relevamen, pelle gravamen.
Amen, implores, ores, ut gaudia caeli
Heli det, dia, diadema mihique, Maria.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 14 cella semper benigna puella.

150. De beata Maria V.

Salve, scala poli, sanctae iunctissima proli,
Digne digna coli, miserum me spernere noli.
O mundi domina, fer opem, precor, atque propina,
Ut mihi divina per te pareat medicina.
O pia virgo, soles vitiorum pellere moles,
Quem recreare voles, recreabit eum tua proles.
Fons es dulcoris et fax totius amoris,
Virginei floris es gemma, thesaurus pudoris.
Tu salvatoris speculum, tu culmen honoris,
In superis oris es summa stella nitoris.
Te sequor, esto via misero mihi, sancta Maria,
Ut sic te media pateat placatio dia.
Omnibus adiutis te praeside teque secutis
Es via virtutis, via vitae, porta salutis.
Virgo Deo plena, virgo pia, virgo serena,
Es veniae vena, dulcore salutis amoena.
Dum mala commisi, Dominum peccator amisi,
Redde, quod amisi, pia virgo, decor paradisi.
Peccavi temere, precanti, virgo, medere
Ac animae miserae miserere, precor, miserere.
Tu thronus es Christi, dignissima namque fuisti
Esse parens isti, quem virgo manens peperisti.
Ergo, Dei cella, serpentis deprime bella,

Pande tuis, stella, solem, materque puella.
25. Alma parens Christi, quae virgo manens peperisti,
Deprecor, exaudi, mea mens quae postulat, audi.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343. anni 1351. — 17. male. — Die Hs. hat die zweifellos irrige Aufschrift: „de beata Maria sequentia."

151. De beata Maria V.

1. Salve, stella marina,
Maria mater lilio,
Nata lucens vicina
Polo mundi filio.
2. Nam Christus punctus stabilis
Est firmamenti spherae,
Hoc est incommutabilis
El et aeternus vere.
3. Quam ambit septistellium
Splendentium sanctorum,
Universitas omnium
Hoc est uranicorum.
4. Ursa maior videlicet,
Cursus denis pluralis,
Quod milibus hic explicet
Infinitum non talis.
5. Haec est, quam conversamine
Unusquisque sectatur
Pro suo mensuramine,
Quo Deo limitatur.
6. Quam et nos per hoc manibus
Velificantes mare
Magnum latumque crebrius
Debemus inspectare,
7. Ne subiugemur fluctibus
Undarum turbulentis,
Devorandi reptilibus
Maris non quiescentis.
8. Quin potius ut lumine
Praeclaro meritorum
Simulque coruscamine
Claro suffragiorum
9. Ac exemplaris semitis
Nos introducat sui,
Quo portus pace perpetis
Possimus iuge frui.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375; zweimal: fol. 105. A; fol. 110. B. — 1, 1 Vale, stella A. — 4, 2 demis AB. — 4, 3 El milibus B. — 7, 4 non quotatentis AB.

152. Oratio ad beatam Mariam V.

Salve, stella maris, quae sola Maria vocaris,
Virgo regalis, amica Dei specialis,
Ianua salutis, nostrae tutela salutis,
Porta pia caeli, prompte succurre fideli.
5. Tu spes lapsorum, tu confugium miserorum,
Ad te suspiro, tua dona, beata, requiro.
Tu me salvifica, Christi specialis amica,
Cum prece devota famulantum suscipe vota.
O veneranda satis, mater summae pietatis,
10. O radix Iesse, fac me, quaeso, precor, esse
Ante tuum natum, sanctissima, funde precatum,
Ut me damnatum revoces delendo reatum.

Flos reginarum, paradisus deliciarum,
Sanctior es sanctis, genetrix electa tonantis,
Rivus aquae vivae, dulcedo virentis olivae,
Intemerata rosa, super omne, quod est, speciosa.
Stella solaris, pereo, nisi me tuearis,
Novi, quod de te veteres scripsere prophetae,
Et scio completa, quae dixit quisque propheta.
In regno Christi laetaris, quae genuisti,
Hunc petendo fidem servus precatur et idem,
Suscipe de caelis, per te rogat iste fidelis,
Ut mihi iam laeso prosit tua gratia, quaeso.
Mundi salvatrix, esto pro me mediatrix,
Filia Ierusalem, fac ante Deum venialem.
Nam veniam spero tuaque suffragia quaero,
Culpamque ploro, tu parce, flebilis oro.
Confidens rogo te, faciat Deus omnia per te,
Hunc interpella, mater simul atque puella,
Virgo tuam prolem, sidus complectere solem
Et per eum solem peccati dilue molem,
Molem peccati pergrandis, inveterati,
Quod quamvis fero, per te deponere quaero.
Spem sumo divinam, medicum simul et medicinam,
Meque reconcilia, sanctissima virgo Maria,
Ut benedicatur largitio, cui famulatur
Pontus, terra, polus, regnans per omnia solus.
O florens rosa, mater Domini speciosa,
O virgo mitis, o fecundissima vitis,
Clarior aurora, pro nobis omnibus ora,
Ora tu, pia, pro me, rosa, virgo Maria.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Sriptt. Eccl. 375. — 2. Virgo regularis. — 27. Culpam quam ploro.

153. De beata Maria V.

1. Salve, templum
totius decoris,
Diadema
regalis honoris,
Fons virtutum
splendorque pudoris,
Pulchra Dei filia.
Hunc decorem
Christus concupivit,
Cum a patre
luminum exivit
Carnem nostram
secumque univit
In te, plena gratia.

2. O intacta
virgo puerpera,
Ad te clamat
mens mea misera,
Quae confluxit
per multa scelera
Semper ab infantia.
Pia mater,
de me recogita,
In peccatis
mortuum visita
Precibusque
foetentem suscita
De tanta miseria.

3. Salve, sanctum
vellus Gedeonis
Atque thronus
veri Salomonis,
Cui nullus
fuit par in thronis
Arte vel materia.
Ebur candens
tuae castitatis,
Aurum fulgens
tuae caritatis
Sexque gradus
omnis sanctitatis
Praesignant mysteria.

4. O Maria,
mater salvatoris,
Audi fletus
huius peccatoris
Et super me
oculos dulcoris
Dirige propitia.
Sic respice,
ut peccatis mundum,
Virtutibus
reddas me fecundum,
In laudibus
tuis fac iucundum,
Virgo, David filia.

5. Salve, florens
hortus austro flante,
Porta clausa
post partum et ante,
Mater virgo
sola disponente
Divina potentia.
In te virtus
est patientiae
Rosa simul
et temperantiae
Cum viola
misericordiae
Suavi fraglantia.

6. Frange potens
hostium conatus
Atque rege
mentis meae status
Et averte
pravos cogitatus,
Cuncta simul noxia.
Dulcedinem
funde caritatis,
Medicinam
dona castitatis,
Discipulum
fac humilitatis
Me tua clementia.

7. Salve, virga
de radice Iesse,
De qua fecit
Deus florem esse,
Qui mortuos
revocat ad esse
Propria fraglantia.
Tu frutex es
vitae salvificus,
Cuius flos est
[tam] aromaticus,
Fructus tuus
valde mellificus
Dans aeterna gaudia.

8. O regina
regni Davidici,
Fac odoris
floris dominici,
Quo merentur
angeli refici,
Nos gustare dulcia,
Ut discamus
mundum despicere
Et post eius
odorem currere
Teque duce
caelos ascendere
Per aeterna saecula.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 1, 12 sq. Carnemque nostram secum univit. — 4, 11 me fehlt. — 7, 11 fehlt eine Silbe. — 8, 10 sq. Et post decorem eius currere. — Str. 2, 4, 6 als besonderes Lied in Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. anni 1477.

154. De beata Maria V.

1. Salve, thronus Salomonis,
Virgo, vellus Gedeonis,
Virgo, mater gratiae;
Salve, cuius nubem nescit
Neque partu dediescit
Dies pudicitiae.

2. Increatum res creata,
Virgo Deum, patrem nata,
Fontem fudit rivulus,
Sic naturae cancellato
Primo iure designato
Vase prodit figulus.

3. Usu partus destituto
Fructum flore non soluto
Parit Iesse virgula,
Fructu flos non deflorescit,
Et aeternae non marcescit
Veris rosa primula.

4. Salve, servis spes aeternae,
Libertatis lux supernae,
Lucis ostiaria;
Salve, per quam servitutis
Iugo fracto sunt salutis
Restituta gaudia.

5. Per te nubes denubescat,
Vitae nubes exarescat,
Primae sortis lacrima,
Ut ad mensam trinitatis
Post fermentum vetustatis
Comedamus azima.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — Vielleicht Sequenz.

155. De beata Maria V.

1. Salve, virgo benedicta,
Quae fugasti maledicta,
Salve, mater altissimi,
Agni sponsa mitissimi.

2. Tu serpentem evicisti,
Cuius caput contrivisti,
Cum nati per infantiam
Hostis frangis potentiam.

3. Tu caelorum imperatrix,
Tu terrarum reparatrix,
Ad quam suspirant homines,
Quam nequam tremunt daemones.

4. Tu fenestra, porta, vellus,
Aula, domus, templum, tellus,
Virginitatis lilium
Et rosa per martyrium.

5. Hortus clausus, fons hortorum,
Sordes lavans peccatorum,
Inquinatos purificans
Et mortuos vivificans.

6. Dominatrix angelorum,
Spes post Deum saeculorum,
Regis reclinatorium
Et deitatis solium.

7. Stella fulgens orientis,
Umbras fugans occidentis,
Aurora solis praevia
Et dies noctis nescia.

8. Parens nostri tu parentis
Et genetrix nos gignentis,
Pia matris fiducia,
Patri nos reconcilia.

9. Ora, mater, Deum natum,
Nostrum solvat ut reatum
Et post concessam veniam
Det gratiam et gloriam.

Orat. ms. Maioris Carthusiae saec. 14/15. Cod. Gratianopolitan. 181.

156. De beata Maria V.

I.

1. Salve, virgo fecundata,
Omni dono praedotata,
Christi mater illibata,
[Virgo] venerabilis;
Salve, decus castitatis,
Forma mirae sanctitatis,
Fons perfectae pietatis,
O res admirabilis.

2. Salve, stella matutina,
Dulcis vitae medicina,
Vernans rosa sine spina,
Virga Iesse florida;
Salve, mundi consolatrix,
Angelorum imperatrix,
Tu labentum sublevatrix,
Corda [sana] morbida.

3. Salve, parens expers paris,
Iesum Christum mundo paris,
Clemens virgo, singularis
Protectrix humilium;
O Maria, caeli porta,
Te precamur, nos supporta,
Per quam mundo lux est orta,
Vera salus omnium.

4. O prae cunctis gratiosa,
Magis quam sol luminosa,
Mater eius generosa,
Qui creavit omnia;
Tu caelorum vera clavis,
Huius mundi tuta navis,
Vere mitis ac suavis,
Aufer nunc peccamina.

II.

1. Gaude, sancta, lux diei,
Memor esto semper rei,
Benedicta mater Dei,
O superna domina;
Gaude, sancta, fons amoris,
Fons salutis, fons dulcoris,
Alma mater redemptoris,
Terge cuncta crimina.

2. Gaude, sancta, tu decora,
Plus splendescens quam aurora,
Iuva nos in mortis hora,
Caeli luminarium,
Et a nobis, lumen clarum,
Fuga noctem tenebrarum,
Tolle sordes offensarum
Post praesens exsilium.

3. Gaude, sancta, tota munda,
Virgo manens ac fecunda,
Prorsus nos immundos munda
Caecos et illumina;
Gemma clara mulierum,
Quae lactasti regem regum,
Pie totum fove clerum
Caritate gemina.

III.

1. Vale, verbi Dei cella,
Orbis fulgor, maris stella,
Serva tuos a procella
Mundi huius noxia;
Mundum pingis miro flore,
Florem paris miro more,
Virgo manens cum pudore
Novi floris gratia.

2. Mater regis et regina
. . . . . .
De malorum nos sentina
Perduc ad caelestia;
Dele culpas, o Maria,
Deum placa prece pia,
Per te nobis detur via
Ad aeterna gaudia.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

157. De beata Maria V.

1. Salve, virgo gloriosa,
Ave, mundi domina,
Vale, mater generosa,
Gaude, plena gratia.

2. Peccatores et beati
Te collaudant adunati,
Tu, quam clamant tribulati.

3. Virgo sancta, lucens via.
Te adorant sol et luna,
Tu, quam clamant omnes una.

4. Piam aurem huc inclina,
Esto mihi medicina,
Tu, quae servas a ruina.

5. Tu reformes in amorem,
Quem offendi creatorem,
Tu, quae audis peccatorem.

6. Deprecare vultum Dei
Pro salute huius rei,
Tu, quae mater sistis ei.

7. Per virtutem sanctae crucis
Te clamantes ad te ducis,
Tu, quae sistis via lucis.

8. Virtuosa, tota clara,
Aufer cordis nunc amara,
Tu, quae Deo es tam cara.

9. Propter tuam bonitatem
Sana mentis pravitatem
Vale, donans sanitatem.

10. Ad te clamo, nimis pia,
Tu caelestis hierarchia,
Vale, virgo, o Maria.

11. Tu regina honorata
Dulcis, clemens et beata,
Tu, quae cunctis donas grata.

12. Paradisi vera clavis,
Felix porta, tuta navis,
Tu, quae nunquam dedignaris.

13. Defensatrix a ruina,
Liberare nos festina,
Tu, quae caeli es regina.

14. Mater casta et decora,
Roga pro me sine mora,
Tu, quae iuvas omni hora.

15. Virtuosa o puella,
Pia, dulcis plus quam mella,
Vale, clara maris stella.

16. Dominatrix angelorum,
Martyrum atque sanctorum,
Tu, quae porta es caelorum.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 3, 1 Da virgo. — 9, 3 folgt noch Virgo praestans sanctitatem. — 12, 2 Da paradisi. — 16, 2 et sanctorum. — Am Schlusse: „Quicunque salutationem istam saltem semel in die ad nominis tui laudem dixeritque devote, si in tribulatione, consoletur, si in temptatione, liberetur, si in maerore, laetetur.“

158. Oratio ad beatam Mariam V.

1. Salve, virgo mater Christi,
Pro me natum supplica,
Quem lactasti, quem fovisti
Sibi praebens ubera,
Morientem quem vidisti
Pro nostra miseria,
Peccatori mihi tristi,
Ut donet remedia.

2. O Maria languidorum
Dulcis consolatio,
Tu adiutrix miserorum,
Mihi sis protectio,
Miseratrix miserorum,
Ad te miser fugio,
Tolle pondus peccatorum,
Quod indignus profero.

3. Imperatrix reginarum
Dulcis et mitissima,
Flos et gemma puellarum,
Mihi sis propitia
In hac valle lacrimarum
. . . . . .
Crimen feci et non parum,
Miserere, domina.

4. Ego miser vixi male
Peccans super numerum
Et pro culpis infernale
Merui supplicium,
Nunquam tamen feci tale
Neque tantum vitium,
Quin mi posses aeternale
Largire remedium.

5. Sed non vis, quod moriatur
Peccator pro crimine,
Immo vis, ut convertatur
Et vivat perpetue,
Ergo per te largiatur
Munus indulgentiae
Spatiumque concedatur
Verae paenitentiae.

6. Vale, mater, tu impende,
Quod sit necessarium,
Hora mortis metuendae
Fer mihi auxilium,
A gehennae me defende
Malignorum daemonum,
Me duc tecum et ostende
Mihi tuum filium.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 4, 7 Quin ni. — Str. 6 beginnt mit neuer Initiale als Stück für sich, gehört aber augenscheinlich zum Vorhergehenden. Am Schlusse folgt dann noch:

O virgo dulcissima,
Me ducas ad gaudia
(Et) hoc praestante filio,
Cuius dulcis visio
Vita est et gloria
Per aeterna saecula.
Amen dico prece pia,
Exaudi, virgo Maria.

Acrostichon von Str. 2 an: O Jesu; vielleicht ist Str. 1 Zuthat oder an den Schlufs zu setzen.

159. De beata Maria V.

1. Sempiterni regis mater,
casta spes fidelium,
Salus mundi, porta caeli,
angelorum gaudium,
Audi vota miserorum
tibi supplicantium,
Ut quos vexat incessanter
cogitandi vitium,
In conflictu mentis tuum
sentiant subsidium,
Ne consensus pravae carnis
trahat ad supplicium.

2. Gloriosa, quam beatam
dicunt regum filiae,
Stella maris, radix Iesse,
aurora iustitiae,
Placa nobis solem verum,
spes misericordiae,
Ut eductis, quos redemit,
de lacu miseriae,
Et quos lingua fecit reos,
solvat munus gratiae,
Praestet locum tua prece
in sanctorum requie.

3. Felix mater, cuius Deum
portaverunt viscera,
Cedrus alta, exaltata,
lucens inter sidera,
Consolare, quos accusant
tenebrarum opera,

Per te sanet peccatorum
Christus nostra vulnera,
Ut percepta, quam precamur,
pietatis dextera
Nos inducat, ubi regnat
cum patre, in aethera.

Cod. Londinen. Reg. 7 A VI. saec. $^{14}/_{15}$.

160. De beata Maria V.

Si fieri posset, quod arenae, pulvis et undae,
Undarum guttae, rosa, gemmae, lilia, flammae,
Aethera, caelicolae, nix, grando, sexus uterque,
Ventorum, pluviae, volucrum, pecorum genus omne,
Silvarum rami, frondes, avium quoque pennae,
Ros, gramen, stellae, pisces, angues et aristae
Et lapides, montes, convalles, terra, dracones,
Lingua cuncta forent, minime depromere possent,
Quae sis vel quanta, virgo, regina Maria,
Quae tua sit pietas, nec littera nec dabit aetas.

Clm. Monacen. (ol. Caesareen.) 7943. saec. 13. A. — Cod. Londinen. Reg. 7 A VI. saec. $^{14}/_{15}$. B. — Cod. Mellicen. 716. saec. 15. C. — Cod. Palat. Vindobonen. 4781. saec. 15. D. — Cod. Palat. Vindobonen. 4031. saec. 15. E. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Bruxellen. 4588—91. F.

1. unda E. — 4. Ventorum pennae C, rixae D. — 5. Silvarum rami C. — Aufschrift: Petrus Manducator de virgine Maria A; Petrus Comestor CE; Doctor, qui composuit historiam Scholasticam, hos versus fecit de domina nostra, sancta Maria D.

161. De beata Maria V.

1. Si haberem linguarum milia,
Si pollerem omni scientia,
Si florerem omni facundia,
Qua rhetorum vernant eloquia,
Qua redolet legum peritia,
Qua refulgent artium studia,
Qua doctorum vigent ingenia,
Qua redundant cuncta mortalia,
Non canerem digne praeconia,
Quae te decent, o virgo regia.

2. Si quaelibet verbo carentia
Ditarentur loquendi gratia
Teque simul laudarent omnia,
Caelum, aer, tellus et maria,
Pisces, aves et animalia

Et homines et quaevis alia,
Quae sub caelo sunt exsistentia,
Ipsa tamen laudis materia
Tot et tanta laudum insignia
Superares insigni gratia.

3. Ergo cum sim pulvis, limus,
Faex putredo, lutum, fimus,
Umbra, fumus et nil fere,
Nonne debeo tacere?
Reginae vero omnium
Cuncti debent praeconium,
Matrem Dei praedicare
Debet caelum, terra, mare;
Ergo, licet egò vermis
Ad hoc opus sim inermis,

4. Te laudare tamen esurio;
Sed me fraenat mea pollutio,
Mihi calcar tua dilectio,
Mihi fraenum mea confusio,
Mihi calcar tua clementia,
Mihi fraenum mea miseria.

5. Sed me cogis, cum sis illa
Dei mater et ancilla,
Sola prae cunctis tranquilla,
Quae lumen aeternitatis
Merito humilitatis
Cum flore virginitatis
Partu novitatis mirae
Meruisti parturire
Et nato servos unire.

6. Summa summe placens Deo,
Sola placens cordi meo
Prae cunctis excepto Deo,
Tu sola summe post Deum
Meus amor, decus meum,
Mea lux, meum iuvamen,
Mea spes, meum solamen.

7. Ergo parce diligenti,
Te laudare sitienti,
Tu, quae parcis peccatori
Nonne parces laudatori?
Non sum dignus nominare,
Quam praesumo commendare,
Sed quis posset non laudare,
Quam multum gaudet amare.

8. Summe pia, summe rogo,
Ut de caritatis rogo,
De pelago bonitatis
Intuitu pietatis
Mihi vel unam scintillam
Porrigas vel unam stillam.

9. Mater Dei, plena Deo,
Fac, ut Deus ori meo
Te dignetur praedicare,
Se dignetur honorare,
Nam laus matris est nati gloria
Decus nati matris laetitia.

Orat. ms. Caelestinorum. saec. 15. Cod. Parisin. 18571. — In Cod. Parisin. (Arsen.) 903. saec. 12. als Prolog zu einer grofsen Legendensammlung. Cfr. Mussafia, Studien zu den Mittelalt. Marienlegenden. Sitzungsber. d. kais. Akad. der Wissensch. Bd. 115. (Wien 1888). p. 69. Ob das Lied ursprünglich zu der Legendensammlung gehört, mufs dahingestellt bleiben. Rhythmik und Diktion beider erregen den Verdacht des Gegenteils.

162. De beata Maria V.

1. Splendens fulgur
a sole nascitur,
Haec dum virgo
parturit Dominum,
Tunc a luce
verus sol oritur,
Claudens in se
primum principium.

2. Ecce mirum,
factor progreditur
De factura
dans reis praemium,
Et figulus
de vase legitur,
Sic nobis fit
dignum exennium.

3. Nam regina
potens virtutibus,
Sancta nata,
malorum omnium
Et sedatrix,
ulus daemonibus,
At iubilus
verus debilium.

4. In supremis
fulget sedilibus,
Iuxta natum
tenet imperium,
Circumdata
rosis et floribus,
Et possidet
summum palatium.

5. Adest sacro
[virgo] collegio
Angelorum
melos canentium
Et cum summo
dulcique gaudio
Matrem dicunt
regis [laetantium].

6. Corpus eius
ex privilegio
Cum anima
loco gaudentium
Gratulatur
laeto tripudio,
Caelestium
Deum laudantium.

7. Seviaci
multa miracula
Perpetrantur
in eius laudibus,
Evitantur
daemonum iacula
Clamantibus
devotis mentibus.

8. Ubi gaudent
per cuncta saecula,
Nos perducat
fulta virtutibus,
Ut ibidem
diversa fercula
Perfruamur
cum caeli civibus.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14 343. anni 1351. — 2, 1 Iesse mirum. — 6, 8 Deum laetantium.

163. De beata Maria V.

Stella Maria maris, paradisi flos specialis,
Vitae norma viae, genetrix electa sophiae,
Aeterni solis iubar exemplumque pudoris,
Gemmis cunctorum nos exorna meritorum,
Per radios morum nos illustrando tuorum.
Saucia corda liga defunctaque fac prece viva,
Quo tandem cuncti sacro baptismate functi
Per te salventur Christoque polo socientur.

Cod. Virunen. perg. XXXVIII saec. 12.

164. De beata Maria V.

1. Stella maris, decus matrum,
Lux lunaris, honor patrum,
Splendens templum sanctitatis,
Tu exemplum castitatis.

2. Casta parens, virgo feta,
Viro carens, prole laeta,
Mater Christi, mundi lumen,
Quae fudisti verum numen,
Verum solem concepisti,
Deum prolem peperisti.

3. Qui creavit
Te, fetavit
Sua sapientia,
Obumbravit,
Qui creavit
Sua te potentia.

4. Aura suavi sui roris
Et velo blandi teporis
Texit te divinitas,
Castae mentis ne candorem
Denigraret per ardorem
Carnalis cupiditas.

5. Lucem enim paritura
Iuste sic eras futura,
Quae luci competeres,
Quae splendore mentis clara,
Decore virtutum cara
Patris semen caperes.

6. Semen patris concepisti,
Quando verbum suscepisti
Vivens sine tempore,
Mente Deum concepisti,
Incarnatum quem fudisti
Ex intacto corpore.

7. O miranda, quam aeternus
Pater, caeli rex supernus,
Fetavit, virginitas!
O stupendam genetricem,
O vitae reparatricem,
Qua nata divinitas!

8. Mundum lapsum relevavit
Et naturam reformavit
Assumpto in homine,
Quam de summis devolutam
Et peccatis involutam
Suo salvat nomine.

9. Quam iucunde quiescebas,
Casto ventre dum ferebas
Caeli, terrae dominum,
Nil doloris sentiebas,
Virgo mater, cum gignebas
Salvatorem hominum.

10. Blando sinu hunc fovere,
Dulce caput demulcere,
O quales deliciae,
Tali nato lac praebere,
Hunc amplecti, hunc tenere,
O quantae divitiae!

11. Tu prae cunctis splendens rosa,
Mater vitae speciosa,
Inter spinas lilium,
Inter omnes matres una,
Pulchra fulges quasi luna,
Solem gignens filium.

12. Hoc, quod patres, quod prophetae
Prophetarunt totum de te
Tuoque de filio;
Te sperabant, te spectabant,
Nascituram suspirabant
Captivis auxilio.

13. Plene lumen in te luxit,
Totum flumen in te fluxit
Prophetarum omnium,
Tu in sole posuisti,
Tu in lucem protulisti
Danielis somnium.

14. Rubus, quem non laesit ignis,
Te monstravit miris signis
Genetricem virginem,
In qua splendor deitatis
Absque damno castitatis
Se vestivit hominem.

15. Virga tui typum gessit
Succo carens, quae expressit
Florem admirabilem,
Virgo, virga tu fuisti,
Viro carens quae fudisti
Prolem tam amabilem.

16. Ros illapsus, lene vellus,
Dum maneret sicca tellus,
Specialem gratiam
Caelo missam praesignavit,
Quae secrete fecundavit
Castam pudicitiam.

17. Tuus venter clausa porta,
Venter, de qua salus orta,
Nulli viro patuit;
Solus ille pertransivit,
Cuius iter nemo scivit,
Dum sic nasci statuit.

18. In te, virgo, summa legis,
Tu caelestis aula regis,
Dulce secretarium,
Tuum pectus divinorum
Splendens arca thesaurorum,
Virtutum sacrarium.

19. Summus pater collocavit
In te, quas plus adamavit,
Secretas divitias,
Huius domus in secreto
Pulchro manens et quieto,
Quas habes delicias.

20. Tuque lectus Salomonis,
Circumsaeptus viris bonis
Sexaginta fortibus;
Hi custodes huius lecti
Ad talem curam delecti
Sunt divinis sortibus.

21. Teque circumstant armati
Et ad bella praeparati,
Resistentes hostibus,
Quoadusque calceatus
Rex procedat regis natus
Observatis postibus.

22. Ergo, regina caelorum,
Mater regis angelorum,
Opem fer egentibus,
Laxa vincla peccatorum,
Nos absolve vitiorum
Morbis opprimentibus.

23. Nil neganti, mater, nato
Pro aegrotis supplicato,
Det salutem miseris,
Pro quibus te matrem legit
Et vitam mortalem egit
Hic in istis inferis.

24. Dona vitae spiritalis
Nobis conferens carnalis
Vitae levet talia,
Dans caelestis nobis panem
Mentem aegram ac inanem
Liberet inedia.

25. Iter huius vitae planet,
Fessos iuvet, aegros sanet,
Deducat per aspera,
Hostes premat obsistentes,
Necet mordaces serpentes,
Cuncta donet prospera.

Clm. Monacen. (ol. Alrispacen.) 2600. saec. $^{12}/_{13}$.

165. De beata Maria V.

Stella maris, summo rutilans in cardine caeli,
Praemonstrat cunctis omne salutis iter.
Exsulibus patria, portus et litora nautis,
Qua luce Scilla latens nilve Charybdis obest.
Hanc stellam nostram si lunae comparo, fallor,
Comparo si soli, nec satis illud erit.
Stellarum stella est, lunae lux, gloria solis,
Fons lucis, mundi splendor, honoris honor.
Tota decens, tota pulcherrima, tota refulget,
In qua nil maculae, nil nisi labe carens.
Immortale decus, speculum virtutis, honestas
Morum, iustitiae norma, decoris apex.
Eclipsim nullam patitur, semperque serena
Luce micat facies, nubila nulla tegunt.
In qua virtutum fons est et splendor honesti,
Gratia plena Dei perpetuumque decus.
In qua post Christum mundi spes, lumen, asylum,
Vita, salus, virtus, gloria, laus et honor.
Cui caelum properat, undat mare, terra virescit,
Cui genus humanum laudibus invigilat.
Illa laborantes scylleo gurgite salvat,
Cuius virtute turbinis aura perit.
Illa fugat vitia, famulos virtutibus ornat,
Haec paradisiacas sola reformat opes.
Qua sine quid mundus, quid mundi gloria praestet?
Plangere, tristari, flere, dolere, mori.

Orat. ms. Maioris Carthusiae saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Gratianopolitan 181.

166. De beata Maria V.

1. Stupent leges, tacent iura,
Quod factorem creatura,
Virgo Deum genuit,
Iesse virga sine rore,
Inconsulto sine more
Florem, fructum protulit.

2. Haec est virgo speciosa,
Est haec virgo generosa,
Sceptrum regis luminis,
Haec est fructus vitae latrix,
Paradisi reparatrix,
Templum patris numinis.

3. Haec est Sara, quae subrisit,
Quando Deus hoc promisit:
En, habebis filium;
Haec est laus prophetica
Et Engaddi vinea,
Caeli luminarium.

4. Haec Rebeccae et Rachelis,
Thamar, Iudith et Iaelis
Decus est et gloria;
Haec est florens vitae portus,
Botrus, favus, clausus hortus
Cellaque vinaria.

5. Haec est Hesther iram regis
Placans, Raab viros legis
Salvans in funiculo;
Haec est aura, sol, aurora,
Luna, stella quam decora,
Rutilans diluculo.

6. Haec, quam vidit Ioseph, spica,
Novum Segor Loth et sica
Et serpentis pertica,
Haec in templo est columna,
Arca Noe et columba,
Scala Iacob mystica.

7. Haec est nubes manna pluens,
Petra large semper fluens,
Manna vermes pariens,
Haec est pera, petra David,
Quae Goliam vi prostravit
Philistaeos opprimens.

8. Ruth est ista Moabitis
Et Susanna, quae, ut scitis,
Lavit in pomerio;
Haec flos campi, flatus roris,
Nostri tollens vim maeroris
Suo privilegio.

9. Haec est nardus, flos, unguentum,
Cinnamomum, mel, pigmentum,
Mater regis gloriae;
Haec est rubus visionis,
Haec maxilla est Samsonis
Rorem fundens gratiae.

10. Gedeonis haec est vellus,
Quod, dum sicca manet tellus,
Maduit in area;
Haec est tympanistria,
Arbor aromatica
Nostra mundans scelera.

11. Haec est thronus Salomonis,
Cui nullus par in thronis
Nec erit in saecula,
Haec dat fructum ligni vitae,
Haec est botrus, uva vite,
Mater et virguncula.

12. Gladius haec flammeus,
Currus est et igneus
Pugioque Phinees;
Haec est illa Thecuites,
Arte Ioab solvens lites,
Regno reddens exsules.

13. Haec magorum murra clara,
Haec Tobiae nupta Sara,
Quam angelus curaverat;
Haec est Anna Samuelis,
Quem ter facta vox de caelis
Heli teste advocat.

14. Haec est Sumanitis regis,
De qua in scripturis legis,
Ministravit Davidi;
Haec est proles, haec est mater,
Hic est natus et hic pater,
Fide crede simplici.

15. Haec in Galaad resina
Atque sanans in piscina,
Quae dicitur probatica,
Hic trans vitrum lumen tendit,
Haec est scala, qua descendit
Ad nos Dei gratia.

16. Haec Abigail, quae regi
David placens, quando gregi
Nabal stultus adfuit;
Haec est Aaron virgula,
Mater et virguncula,
Quae lacte patrem aluit.

17. Haec de Saba est matrona,
Salomoni tot dans dona,
Quae post nunquam visa sunt;
Haec est, virum quae nescivit,
Virgo patrem parturivit,
O quam mira ista sunt.

18. Haec est Sina mons sublimis,
Haec est summa nectens imis,
Axa, Caleph filia;
Haec caelorum est regina,
De qua canit vox divina:
Ave, plena gratia.

19. Haec est parens, quae doloris
Prolem transfert et maeroris
Benoni et Beniamin;
Haec est virgo, quam vallavit
Christus Deus et locavit
Longe supra Cherubim.

20. Haec complevit hoc promissum
Et delevit iam commissum
Adae nostri seminis,
Per hanc victor est devictus,
Et seductor est seductus,
Auctor ille sceleris.

21. Ista nobis propalavit,
Quod tam longe prophetavit
Amos, Ionas et Ioel;
Ora clausit prophetarum,
Dona dedit gratiarum,
Ecce, hic Emmanuel.

22. Sile, sile, Moyses,
Ieremia, puer es,
Nescis loqui plane;
Ezechiel, quid agis?
Immundo pane vesceris,
Nam prophetas vane.

23. Isaias nobilis,
Pollutus es labiis,
Non potes prophetare;
Daniel, tu sileas,
Somniator factus es,
Nescis vigilare.

24. Osee fornicarius,
Non prophetabis amplius,
Dux praesto est in foribus.
Sicomoros bellicas
Amos nihil prophetas,
Ecce, venit Dominus.

25. Ut quid plura dicerem,
Tempus quidem vincerem,
Si vellem meditare,
Quod de matre sentio,
Claudo sub compendio,
Sed nolo terminare.

26. Ergo, mater, proles cuius
Mundi vincla solvit huius,
Pro me roga filium,
Nomen meum tus et robur,
Tu saphyrus, iaspis, ebur,
Sponsique triclinium.

Cod. Londinen. Reg. 7 A VI. saec. $^{14}/_{15}$. — 6, 2 Sengor; et fehlt. — 15, 1 Galaad est regina; cfr. Ierem. 8, 22. — Nach 26, 4 heifst der Dichter Robertus.

167. De beata Maria V.

1. Summi regis
mater et filia,
Tuo vincens
candore lilia,
Infinita
plaudens laetitia,
Te caelestis
honorat curia.

2. Decorata
caelesti solio,
Tu quae regnas
una cum filio,
Ante cuius
conspectum venio,
Tuo fidens
in patrocinio.

3. Te scripturae
loquuntur veterum,
Per te venit
formator siderum,
Per te mundus
excepit puerum,
Iugum legis
qui solvit asperum.

4. Per te, mundi
totius domina,
Peccatorum
solvantur crimina,
Et per tua
nobis munimina
Babylonis
siccantur flumina.

5. Tribus Iudae
propago nobilis,
Universo
mundo laudabilis,
Porta Sion
inexpugnabilis,
Peccatorum
prece flexibilis.

6. In te sperant
etiam miseri,
Qui pro culpis
merentur conteri,
Et erepti
de fauce inferi
Natum tuum
sequuntur liberi.

7. Fons hortorum,
aquarum puteus,
Via lucis,
splendor sidereus,
Te conventus
laudat aethereus,
Et formidat
princeps tartareus.

8. Dei templum,
regalis civitas,
Quam fundavit
ipsa divinitas,
De hac terra
orta est veritas,
Ut nos poenas
vitemus debitas.

9. Portam clausam
vidit Ezechiel,
Per quam solus
transit Emanuel,
Haec te signat,
salvatrix Israel,
Quam intactam
salutat Gabriel.

10. Quam caelestis
salutat vernula,
Prophetarum
canunt oracula,
Ipsam nostra
mirantur saecula,
Et est nobis
vivendi regula.

11. Stella maris,
sic enim diceris,
Ad te clamo,
ne me reliqueris,
Ad hoc enim
electa crederis,
Ut salutem
reportes miseris.

12. Per te summum
Dei consilium
Visitavit
nostrum exsilium,
Benedicta,
quae tale gaudium
Protulisti
votis fidelium.

13. Adam enim
humano generi
Protulisti
novum pro veteri,
Cuius per te
conformes fieri
Deprecantur
senes et pueri.

14. Per te, maris
stella clarissima,
Renovatur
peccatrix anima,
Per te Deus
revisit infima,
Et est drachma
reperta decima.

15. Contrivisti
caput vipereum,
Quod observat
tuum calcaneum,
Contra cuius
morsum funereum
Contemplamur
serpentem aeneum.

16. Tu velamen
legis in litera
Removisti,
virgo puerpera,
Ex te venit
lux salutifera
Per quam patet
legalis litera.

17. In te finit
figurae caecitas,
Et iam patet
scripturae veritas,
Per te nostra
scandit humilitas
Paradisi
sedes prohibitas.

18. Ergo, caeli
terraeque domina,
Quam sanctorum
collaudant agmina,
Benedicta
plus omni femina,
Meam, quaeso,
mentem illumina.

19. Esto mihi
in adiutorium
Tuum illum
orando filium,
Qui per ligni
vitalis pretium
Captivavit
hostem Aegyptium.

20. Tu propago
regalis germinis
Et humanae
decus originis,
In qua lumen
aeterni luminis
Verum corpus
vestivit hominis.

21. Et processit
admirabiliter
Verus Deus
et homo pariter,
In quem, virgo,
credo fideliter,
Ipsum pro me
precare iugiter.

22. Botrus Cypri,
rosa de Iericho,
Nardo compar
et malo punico,
Praesignata
cantu prophetico,
Me defende,
qui tibi supplico.

23. Me adligant
peccata grandia,
Et sum per me
indignus venia,
Tuo tamen,
quae potes omnia,
Interventu
me reconcilia.

24. In te omnes
abundant gratiae,
In te mihi
spes est laetitiae,
Cum sis mater
misericordiae,
Non fraudabor
a dono veniae.

25. Cum electos
omnes considero,
Ex his tibi
nullum aequipero,
Sol de cuius
processit utero,
Sana vulnus,
quod in me tolero.

26. Quae fovisti
corpus dominicum,
Excludendo
ritum Iudaicum
Ego talem
cum quaero medicum,
Consolamen
quaero non modicum.

27. Felix mater,
regina saeculi,
Spes salutis
fidelis populi,
Ad te mei
levantur oculi,
Tui preces
admitte famuli.

28. Educ vinctum
de mortis carcere,
Quem fatigat
hostis a latere,
Ipsum, virgo
beata, contere
Et me tuo
conserva munere.

29. Illud mihi
confer auxilium,
Quod molimen
evertat impium,
Ne ad meum
hostis excidium
Sibi ullum
reportet gaudium.

30. Ipse, cuius
omnipotentia
Te providit
ad caeli gaudia,
Infinita
sua clementia
Per te mihi
det vitae praemia.

Cod. Vatican. 133. add. saec. 15. A. — Cod. Londinen. Reg. 7 A VI. saec. $^{14}/_{15}$. B. — Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. C. — 1, 1 Vale mater regis C. — 1, 5 Instructa B. — 1, 5 sq. und 1, 7 sq. umgestellt C. — 1, 7 sq. honorat caelestis B. — 1, 8 adorat C. — 2, 1 Decoras B; Decoratam A. — 2, 3 Tuo regnans B, Tuo regnas C. — 2, 5 Ante tuum C. — 2, 7 Tuo fehlt B. — 3, 3 Te formator BC. — 3, 4 elegit siderum BC. — 3, 6 suscepit B, accepit C. — 3, 8 persolvit asperum A. — 4, 5 Ac per C; per fehlt B. — 5, 3 sq. und 5, 4 sq. umgestellt B. — 6, 2 et miseri A. — 6, 6 fauce tartari C. — 7, 2 via morum C. — 7, 5 sq. und 7, 7 sq. umgestellt C. — 7, 5 sq. Tibi plaudit chorus aethereus C. — 7, 7 Ut formidat A; Te formidat C. — 8, 5 Terra, de qua C. — 8, 7 Qua nos C. — 8, 8 vitemus (de)meritas C. — 10, 7 Et es B. — 11, 5 Ad hoc cunctis B. — 11, 7 Ut te lucem C. — 13, 5 Cuius fehlt B; Cui C. — 14, 3 Renovatrix C. — 14, 6 revexit C. — 15, 6 morsum vipereum A. — 16, 2 in legis B. — 16, 7 patent B. — 16, 8 lex atque litera B. — 17, 4 figurae veritas C. — 17, 5 sq. scandit nostra B; Reseravit tua virginitas C. — 18, 5 Benedicta enim C. — 18, 7 Nostras quaeso B. —

18, 8 mentes B. — 19, 1 Esto nobis BC. — 19, 5 lignum C. — 20, 5 Tuo munere C. — 21, 1 Ex te processit B; Et prodivit C. — 21, 2 mirabilis B. — 21, 3 Deus verus C. — 21, 4 homo veraciter BC. — 21, 5 Cuius ortum BC. — 21, 7 Ipso A. — 23, 1 Mea licet BC. — 23, 3 Et omni sim B; Et indignus C. — 23, 4 sim omni venia C. — 23, 6 qui potes BC. — 25, 5 De cuius sol C. — 26, 5 Ergo talem A. — 26, 8 non spero modicum C. — 27, 8 servuli BC. — Str. 29 und 30 fehlen C. — 29, 5 ob meum B. — 29, 7 Nullum sibi B. — 29, 8 oportet B. — 30, 4 ad nostra gaudia B. — 30, 8 vitae gaudia B. — Cfr. Milch. I, 92.

168. De beata Maria V.

1. Super cunctas et prae cunctis
Iam puellis Christo iunctis
Te extollo, te honoro,
Seraphino super choro
Quae potenter dominaris,
Universis principaris,
Maria perfectissima.

2. Imperatrix reginarum,
Arcis Sion sceptrum clarum
Summa tenens potestate,
In qua cuncti civitate
Te reginam venerantur,
Inclinantur, incurvantur
Tua ad imperia.

3. Principissa tu praeclara,
Christo sponso valde cara,
Quem iucunde oscularis,
Laetabunde amplexaris,
Cuius gustu satiaris,
Nec a quoquam superaris
Per cuncta caeli agmina.

4. Singularis es et una,
Cui nulla est secunda,
Intra thalami secreta
Cubans cum dilecto laeta,
Cuius frueris amplexu,
Eius gaudens in aspectu,
Sponsa divinissima.

5. Nostrum decus et lucerna,
Te appello tuus verna,
Cuius thoro virginali
Semper glisco famulari
Cum caterva puellarum,
Tuarum pedissequarum,
Te praesenta filio.

6. Pro me illum depreceris,
Quae repulsam non vereris,
Ante thronum maiestatis,
Ut ignoscat mis peccatis
Meque salvet, qui creavit
Et cruore suo lavit,
Suo aptans solio.

Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. b VII 10. saec. 15. B. — 2, 4 In quacunque civitate B. — 3, 5 Eius gustu B. — 5, 7 Lies: Me praesenta? — 6, 7 Me suo optans B.

169. Oratio ad beatam Mariam V.

1. Te devote colimus
Matrem salvatoris
Et corde deposcimus
Natam redemptoris,
Terge, quod delinquimus,
Tu crimen erroris,
Nam ad te recurrimus,
Speculum honoris.

2. Stella maris diceris,
Rosa sine spina,
Fer solamen miseris,
Tu caeli regina,
Cunctis nobis egenis
Gaudia propina,
Eruens ab inferis
Et turpi ruina.

3. Auctrix omnis gratiae,
Virgo benedicta
Et flos pudicitiae,
Mater es intacta,
Aurora laetitiae
In scripturis dicta,
Speculum iustitiae,
Sole es amicta.

4. Ave, candens lilium,
Flos miri odoris,
Nobile triclinium,
Mater salvatoris,
Nostrum sis consilium
Tu in cunctis horis,
Placa nobis filium,
Gemmula splendoris.

5. Lapsorum refugium,
Virgo, nuncuparis,
Ergo fer remedium
Cunctis tuis caris
Et post hoc exsilium
Et procellas maris
Confer nobis praemium,
Ubi tu moraris.

6. Tu flos campi radians,
Moysis fiscella,
Virga Aaron nuces dans,
Claritatis stella,
Nostrum cor corroborans,
Maria, Dei cella,
Coram nato tuo stans
Pro nobis interpella.

7. Aurora lucidior,
Virgo praeelecta,
Cunctis stellis clarior,
Deitate tecta,
Sideris excelsior,
Quam Deo dilecta,
Sole, luna pulchrior,
Tu virgo perfecta

8. Tu es strips Davidica,
Vellus Gedeonis
Et navis dominica,
Fons salvationis,
Mater Dei unica,
Tuis sacris donis
Nobis confer caelica
Contemplationis.

9. Tu via labentium,
Salus peccatorum
Et te confitentium
Corona iustorum,
Tu corda maerentium
Laeta fac tuorum
Tibi servientium,
Mater salvandorum.

10. Tu castrorum acies,
Tu praeordinata,
Tua clara facies
Nobis cunctis grata,
Sis aeterna requies
Nobis, advocata,
Tibi preces milies
Fundimus, beata.

11. Theotocos diceris,
Templum sancti spiritus,
Mitis es et sinceris,
Electa divinitus,
Porta clausa crederis,
Illustrata caelitus,
Flos humani generis,
Nostros audi gemitus.

12. Tu . . . . . .
Candor puritatis
Murtus temperantiae,
Vas nobilitatis,
Corona laetitiae,
Auctrix veritatis,
Mater omnis gratiae,
. . . . . .

13. Ave, caeli plantula,
Florem protulisti,
Ave, Iesse virgula,
Mater Iesu Christi,
Ave, Dei famula,
Nos a dolo tristi
Et peccati vincula
Solve, mater Christi.

14. Tu es mundi imperatrix,
Virgo ter beata,
Miserorum consolatrix,
Parens illibata,
Tu caecorum vera ductrix,
Es candore purpurata,
Clericorum summa nutrix
In vestitu deaurata.

15. Laetare, sanctissima
Genetrix Maria,
Corpore castissima,
Virgo, parens pia,
Nos, virgo purissima,
Solve a miseria,
Tua lex clarissima
Nos locet in patria.

16. Cum sis aeternaliter,
Ubi tu congaudes,
Nostras dele iugiter
Peccatorum fraudes,
Ut ovantes dulciter
Personemus laudes,
. . . . . .
. . . . . .

17. Ego miser famulus,
Virgo, te imploro,
[Obsecro] humiliter,
In dictis honoro,
Corde, voce firmiter
Precibus imploro,
Iungas me feliciter
In caelesti choro.

18. Ubi lux angelica
Refulget splendore,
Tuta quies [caelica]
Fragrat suo more,
Ubi laus dominica
Decantatur ore,
Mater Dei unica,
Fac hoc cum decore.

19. Me miserum respice,
Virgo, mater pia,
Nec precantem despice,
O sancta Maria,
Sed benigna perfice,
Ut caelestis via
Perducat pacifice
Ad aeternalia.

20. Te laudando, pulcherrima,
[Haec] tibi compilavi,
Virgo sacratissima,
Dictis sublimavi
Te, excellentissima,
Pluries exoravi,
Nam sorde gravissima
Me nunc oneravi.

21. Premor gravi sarcina,
Mole peccatorum,
Ergo, mater intima,
Me munda meorum,
Ne ducar ad infima
Loca mergendorum,
Succurre, gratissima
Spes desperatorum.

22. Pelle a me plurimas
Cogitationes,
Daemonis taeterrimas
Tu illusiones,
Da mihi mundissimas
Vitae passiones
Et post hoc gravissimas
Contemplationes.

23. Nam ego cotidie
Virgo, te, turbavi,
Dum opus superbiae
Sponte perpetravi
Et scelus invidiae
Miser cogitavi,
Ob hoc, mater gratiae,
Te multum expavi.

24. O virgo puerpera,
Mei miserere,
Fac nova ac vetera
Peccata deflere,
Quae mens mea misera
Consuevit docere,
Virgo salutifera,
Digneris delere.

25. Ego quinque sensibus
Contra te peccavi
Et in cunctis mensibus
Scelus cumulavi
Et pro his excessibus
Te matrem oravi,
Ne me tradas hostibus,
Quos semper vitavi.

26. Primo tamen fateor
Me visu peccasse,
Ob hoc tamen videor
Graviter errasse,
Mater virgo Christi,
Miserere mei
. . . . . .
. . . . . .

27. Mea nunc precamina
Digneris audire,
Angelorum domina,
Sed cum dies irae
Venerit, ne, Maria,
Permittas me perire,
Cum sanctis in gloria
Tunc me introire.

Laus sit, Christe, tamen,
Ne patiar gravamen,
Propter tuum solamen,
Virgo, dicam. Amen.

Cod. Vindobonen. 4314. saec. 15. — 5, 5 Ut post hoc. — 10, 5 Sis nobis aeterna quies. — 10, 6 Misericordiae advocata. — 11, 5 Porta clausa Gabrielis; müſste wenigstens Ezechielis heiſsen. — 11, 7 Tu flos. — 11, 8 Matris audi. — 12, 2 Tucandor. — 12, 3 Virtus temperantiae. — 12, 4 Tu vas. — 13, 5 Dei formula. — 13, 8 Sic solve. — 15, 5 virgo clarissima. — 17, 4 Inhonoro dictis. — 25, 4 scelus haesitavi. — 27, 5 ne fehlt. — 27, 6 Nec permittas. — 27, 8 me fehlt.

170. De beata Maria V.

Triumphe triumphatorum,
Corona coronatorum,
Gloria gloriosorum
Post Dominum dominorum,

Fac nos auro puriores,
Fac nos gemmis cariores,
Fac nos stellis clariores,
Fac nos paradisi flores.

Cod. Trecen. (ol. Claravallen) 1612. saec 15.

171. De beata Maria V.

1. Vale dicant virgini
Omnes servi Domini,
Natus est ex virgine
Sine viri semine
Pater, creator omnium.
Qui creavit omnia,
Caelum, terram, maria,
Carnem nostram induit,
Suorum cum voluit
Misereri fidelium.

2. Collaudemus virginem,
Quae Deum et hominem
Incorrupta genuit,
Qui peccata diluit
Et dat aeterna gaudia,
Qui reatus diluat
Nobis atque tribuat
Post carnis interitum
Ad superna transitum,
Ubi fruamur gloria.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

172. De beata Maria V.

1. Vale, fulgens solis cella,
Caeli splendor, maris stella,
Vale, lux egregia,
Vale, virgo, mater Dei,
Felix causa nostrae spei,
Vale, proles regia.

2. Tibi iuges demus laudes,
Quae cum Deo digne gaudes
In perenni gloria,
Ex te quidem fuit ortus,
O salutis spes et portus,
Rex, qui regit omnia.

3. Nobis ergo caeli per te
Mansiones sunt apertae
Regnaque perennia,
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

4. Vale, nobis porta lucis,
Quos ad vitae spem reducis
Per bonorum studia,
Ut tuarum ope precum
Adipisci vera tecum
Mereamur gaudia.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1, 1 solis stella.

173. De beata Maria V.

1. Vale, gaude, sol splendoris,
Virgo splendens intus, foris
Ad decus ecclesiae,
Te rogamus nostro more,
Ut illustres nos splendore
Tuae dulcis gratiae.

2. Tu flammantis sol ardoris,
Fundens scintillas amoris
In caelis mirifice,
Coronaris sublimata,
Cumulata, debriata
Vini meri calice.

3. Tu es luna noctis huius,
Pulchra, crescens, plena, cuius
Lux eclipsis nescia,
Quae clarescens sole vere
Cuncta facis resplendere
Caeli luminaria.

4. Tu caeleste firmamentum,
Quod stellarum ornamentum
Reddit gloriosius,
Quo purgatur et firmatur
Et ad summa dilatatur
Nostrae mentis radius.

5. Tu es scala cupressina,
Sursum levans ad divina
Tuis iustos gradibus,
Ad te trahis peccatores
Per te factos ascensores
Et non suis viribus.

6. Tu, superna porta lucis,
Nos ad mensam introducis
Regis in caelestibus,
Sancta clavis secretorum,
Cellam pandens unguentorum
Tuis amatoribus.

7. Miserere, virgo, tuis,
Quibus verum manna pluis
In deserto saeculi,
Ut terram promissionis
Saginati eius bonis
Nostri cernant oculi.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 3, 4 vero sole. — 5, 5 te fehlt. — Der Anfang wahrscheinlich verändert, das Lied dem Tone nach möglicherweise Sequenz.

174. De beata Maria V.

1 a. Vale, regina caelorum,
Ave, decus angelorum,
Salve, gaudium sanctorum,
Vale, solis regia;

1 b. Vale, virgo, fons hortorum,
Servans virginale thorum,
Ave, scala peccatorum,
Via caeli regia.

2 a. Vale summa spes post Deum,
Qui sic deliquit in eum,
Quae Theophilum tam reum
Reformasti gloriae;

2 b. Vale, virgo, novum mirum,
Quae claudentem caeli gyrum
Mulier circumdas virum
Aeternae memoriae.

3 a. Vale, mater Iesu Christi,
Ave, quia tu fuisti
Sola digna, suscepisti
Ave Gabrielis ore;

3 b. Vale, quia credidisti,
Ave, quia concepisti,
Gaude, quia peperisti,
Salve, mater novo more.

4 a. Vale, mater expers maris,
Ave, virtutum doctrina,
Porta caeli, portus maris,
Porta, via, medicina,
Potum vitae salutaris
Sitientibus propina.

4 b. Vale, de qua flos virtutis,
Procreatrix tu divina,
Confer opem destitutis
Et in hora vespertina
Sis nobis porta salutis,
Liberans a morte trina.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1 a, 4 solis regina. — 4 a, 5 und 6 umgestellt.

175. Oratio ad beatam Mariam V.

1. Vale, salve, virgo pia,
Me solare, sponsa dia,
Nam sum maestus, ut scelestus
Dignus plaga Domini;
Magnam tamen spem concepi,
O Maria, cum percepi,
Quod sis data advocata
Reo nimis homini.

2. Maerens nimis est cor meum,
O Maria, quia Deum
Tunc offendi, cum descendi
Carnis in flagitium;
Mundus eram et pudicus,
O Maria, sed iniquus
Me foedavit, cum minavit
Veneris in vitium.

3. Martem Venus, heu, prostravit,
O Maria, proles David,
Et tunc mundum tunc immundum
Sibi fecit spurium;
Mihi decor virginalis,
O Maria, flos vernalis,
Quondam fuit, sed heu ruit
Luxus per contagium.

4. Modo plenus sum doloris,
O Maria, flos amoris,
Semper flebo et lugebo
Carens gaudimonio;
Me quis potest consolari,
O Maria, cum privari
Me nunc cerno sempiterno
Virginum praeconio?

5. Mea sordet margarita,
O Maria, proh, contrita,
Och, quod egi, quod confregi
Castitatis violam!
Meus squalet nunc saphirus,
O Maria, pellens virus,
Heu, quod feci, quod abieci
Nobilem aureolam.

6. Ad te corde gemebundo,
O Maria, preces fundo,
Quia gravi, quam paravi,
Premor ego sarcina;
Ach, perturbat dolor ingens,
O Maria, me constringens
Spoliatum et nudatum
Virginali tunica.

7. Angelorum in decoro,
O Maria, quondam thoro
Consors fui, sed hinc rui
Propter immunditiam;
Angit nimis cor anhelum,
O Maria, culpae telum
Ob peccata perpetrata
Per incontinentiam.

8. Me vestivit nitens byssus,
O Maria, sed conscissus,
Resolutus et pollutus
Sum per immunditiam;
Morum florem paradisi,
O Maria, nunc amisi,
Och, quid dicam, quod pudicam
Perdidi munditiam.

9. O Maria gratiosa,
Super omnes speciosa,
Impetra nobis veniam;
O Maria gratiosa,
Dulcis, mitis et formosa,
Applica nobis gratiam;
O Maria gloriosa,
In caelis deliciosa,
Praesta nobis gloriam.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1, 3 Ut nam sum maestus.

176. Oratio ad beatam Mariam V.

1. Vale, virgo, angelorum
Atque mundi domina,
Restauratrix infirmorum,
Sana mea vitia.

2. Me molestum, me lugentem,
Pia mater, respice,
Sana in te confidentem,
Mater indulgentiae.

3. Peccatorem paenitentem
Ne damnes pro crimine,
In te figo meam mentem,
Noli me relinquere.

4. Nunquam sinas me perire
Sine adiutorio,
Me digneris exaudire,
Quando te vocavero.

5. Et me tibi fac servire,
Hic quamdiu vixero,
Vitam meamque finire
In tuo servitio.

6. Me digneris expurgare
A faece peccaminum,
Credo, quod me condemnare
Non vis propter vitium.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

177. De beata Maria V.

1. Vale, virgo florens rosa,
Semper recens et formosa,
Super omnes speciosa
Et multum amabilis;
Tu es enim gratiosa,
Tu es mater gloriosa,
Stirpe David generosa,
Semper venerabilis.

2. Salve, domina angelorum,
Venustate fluens morum,
Tu es flos cuuctorum florum,
Tu es candens lilium;
Tu es mater supernorum,
Sola spes inferiorum
Es virtute meritorum,
Tu es mater omnium.

3. Deum, quem tu genuisti,
Casta mente concepisti,
Hunc portare tu fuisti
Digna et non alia.
Tu es vere mater Christi,
Per hunc mundum redemisti,
Prophetias implevisti,
Ave, plena gratia.

4. Regina caeli es vocata,
Ab aeterno ordinata
Et a summo confirmata,
Tu es nostrum gaudium;
Tu es nostra advocata,
Sancta et immaculata,
In utero sanctificata,
Tu es lumen luminum.

5. Qui te honorant, honorabis,
Qui te exspectant, exspectabis
Et a malo conservabis
Voluntate libera;
Qui te amant, hos amabis
Et a poena liberabis
Et regnum aeternum dabis
Potestate tradita.

6. Iesu Christe, ob honorēm
Tuae matris et amorem
Da nobis contritionem,
Nobis peccatoribus,
Post cordis compunctionem
Et oris confessionem
Da nobis absolutionem
De peccatis omnibus.

7. Te precamur, o Maria,
Duc nos tua prece pia,
Qui erramus in hac via,
Ad aeterna gaudia;
Amen dicant omnia,
Caeli, terra, maria
Nunc et per infinita
Saeculorum saecula.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

178. De beata Maria V.

1. Vale, virgo, fragrans rosa,
Rosa visu speciosa,
Rosa sine pretio,
Rosa mirae novitatis,
Quae nos tuae pietatis
Perfundis rosario.

2. Vere dulcis liquor iste,
De quo bibunt agonistae
Currentes in stadio,
Quo refecti roborantur,
Dum devote venerantur
Te laudis officio.

3. Tu rosarum rosa
Vere dicta rosa,
Rosa nupta lilio,
Liliosa rosa Christi,
De spineto processisti
Iudaeae rosario.

4. Tu peccati spina carens,
Semper vernans, nunquam arens,
Agni rubens sanguine,
Nos peccati spina pungit,
Sed te replet et perungit
Suo Deus numine.

5. Tu abundans cunctis bonis,
Sola prior es in donis,
Maior in imperio,
Quae nobis das affluenter
Et custodis nos potenter
A mundi contagio.

6. Flos electe, flos insignis,
Quem praeclaris ornat signis
Summi floris bonitas,
Fac odore tuo pasci,
Quos in Christo vult renasci
Tui cordis caritas.

7. Quae per tuum florem flores,
Dulces mitte nobis flores
Specialis gratiae,
Ut in caelis floreamus
Per te florem, quam laudamus,
Mater regis gloriae.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 3, 3 nupta filio. — 3, 4 Filiosa rosa. — 4, 6 Deus munere. — 7, 1 bis 3 Quae per te florem floris flores dulces mittis nobis florens speciali gratia. — Möglicherweise Sequenz.

179. De beata Maria V.

1. Vale, virgo gloriosa,
Virga frondens et frondosa,
Vitae salutifera,
Res miranda, caeli rore
Castitatis salvo flore
Virgo fit puerpera.

2. Nutu patris divinitus
Irrigavit paraclitus
Clausi hortus lilium,
Quo perfusa virginitas
Parit casta, fecunditas
Vera, salutis radium.

3. Iesse ex origine
Atque Sion germine
Stella Iacob oritur,
Ex Maria virgine
Et spirante flamine
Verbum Dei nascitur.

4. Rubum ignis inflammavit,
Virga florem germinavit,
Vellus rore maduit,
Virgo Deum paritura,
Creatorem creatura,
Rore caeli claruit.

5. Veluti solis radius
Subtile et integrius
Specular ingreditur,
Sic matrem Dei filius,
Immo multo subtilius
Intrat et egreditur.

6. O Maria, templum Dei,
Scala caeli, salus rei,
Mundi spes et gloria,
Pro indignis dignum digna
Natum ora, o benigna,
Virgo, Sion filia.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Script Eccl. 375. — 1, 2 Virga und et fehlen. — 3, 4 virgine fehlt. — 3, 5 E fehlt. — Vielleicht Sequenz.

180. Ad beatam Mariam V.

1. Vale, virgo, post genitum,
Exaudi preces supplicum,
Ecquid poscenti Dominus
Tibi negabit filius?

2. Si tantum velis, domina,
Nostra delentur crimina,
Quapropter te praecipue
Oramus, servos respice.

3. Te orante, sanctissima,
Orant sanctorum agmina,
Si te adversam praevident,
Caelestes cives conticent.

4. Per te, virgo castissima,
Nobis donetur venia
Tuisque sanctis precibus
Concilietur Dominus.

5. Exaudi, virgo virginum,
Pro nobis ora filium,
Futura mala prohibe
Et miseris compatere.

6. O virgo, mater Domini,
Attende vocem populi,
Ut pro cleri criminibus
Ignoscens parcat Dominus.

7. Virgo gloriosissima,
Vota comple feminea
Nosque post vitam fragilem
Ad veram perduc requiem.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Script Eccl. 375. — 1, 3 Et quid. — 4, 4 Reconcilietur. — 6, 3 Et pro cleri. — 7, 1 O virgo gloriosa.

181. De beata Maria V.

1. Vale, virgo regia,
Dei plena gratia.

2. Vale, Iesse virgula,
Florida per saecula.

3. Vale, stirps Davidica
Et mater deifica.

4. Vale, virgo virginum,
Quae portasti Dominum.

5. Vale, mater Domini,
Grata sancto flamini.

6. Vale, caeli domina,
Nostra delens crimina.

7. Vale, quae post filium
Es salus fidelium.

8. Vale, expers criminis,
Mater veri luminis.

9. Vale, in quam caelitus
Venit sanctus spiritus.

10. Vale, quae caelestia
Regis et terrestria.

11. Vale, per quam Dominus
Nostrum delet facinus.

12. Vale, vita saeculi
Et spes vera populi.

13. Vale, sole clarior
Atque luna pulchrior.

14. Vale, plus quam lilium
Candida convallium.

15. Vale, semper floribus
Redolens prae omnibus.

16. Vale, virgo inclita,
Iuxta crucem posita.

17. Vale, virgo habilis,
Mater ineffabilis.

18. Vale, super aethera
Pia gestans viscera.

19. Vale, super omnia
Omni digna gloria.

20. Vale, quae peccantium
Misereris omnium.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

182. De beata Maria V.

1. Veni, dulcis gratia,
Intra meam mentem,
Me exhaustum satia,
Demonstra te praesentem.

2. Mea lustra intima,
Fac me gustare Deum,
Veni, amantissima,
Amplectere cor meum.

3. Ubi tanto tempore,
Dilecta, me liquisti
Et de meo pectore
Te quare subtraxisti?

4. Scio, quod offenderis
Et digne offendaris,
Multa in me reperis,
Pro quibus effugaris.

5. Quando praesens aderas,
Te quare contristavi?
Quando procul aberas,
Te quare non vocavi?

6. Et quid est, quod suavius
Me posset oblectare,
Aut quis amor amplius
Me posset inflammare,

7. Quam tu, o melliflua,
Qua nihil tam iucundum,
Pro cuius amicitia
Totum non curo mundum?

8. Tui desiderium
In corde dum subcrescit,
Procul pellit taedium,
Cor gelidum liquescit.

9. Ubi tua suavitas
In mente se locarit,
Ibi vera caritas
Sincere Deum parit.

10. O rosa in martyrio
Crucifixi filii,
O lilium (in) virgineo
Thoro puerperii.

11. Ora pro cuncto populo
Et pro nostris peccatis,
Succurre tuo famulo
Hora necessitatis,

12. Ut terror me non terreat
Terrentis inimici,
Sed tua tunc dispareat
Praesentia felici.

Orat. ms. Carthus. Hildesheimen. saec. 15. Cod. Iosephini Hildesheimen. 3 (6).

183. De beata Maria V.

1. Virga Iesse gignit florem,
Apis mellis dat dulcorem,
Caelum stillat nobis rorem,
Stella Iacob fert splendorem.

2. Haec est Esther imperatrix,
Sara risus generatrix,
Tecuites advocatrix,
Iudith hostis triumphatrix.

3. Paradisus voluptatis
Est Maria praestans gratis
Lignum immortalitatis
Ac fontem iucunditatis.

4. Paradisum hunc queramus,
Cibum vitae glutiamus,
Aquas dulces hauriamus,
Ut feliciter vivamus.

Orat. ms. seec. 15. Cod. Sangallen. 48.

184. De beata Maria V.

Virgo, Dei genetrix, rosa, lilia, fons paradisus,
Vitis, oliva, rubus, tellus, via, virgula, truncus,
Hortus, castellum, thalamus, domus, alvear, arca,
Vas, mortariolum, fornax conflans scriniumque,
Orarium, templum, clibanus, cisterna, fenestra,
Urbs et fiscella, thronus, ancora, ianua, petra.
Ancillans, dominans, regnans est femina fortis,
Phoebo vestita, vellus, turturque columba,
Nubes, aurora, crystallus stellaque viva,
Sol, speculum, mons, desertum, patrona, magistra,
Sponsa, volans aquila, bona fructibus arbor onusta.
Cum peperit virgo Christum, qui pascit inanem,
Terra, solum vel humus, virgo est, glis, arida tellus.
Credit et assentit, optat, mox concipit alma
Virgo virum plenum, quem colit ipsa Deum.
Stella maris, regina poli, miseratio mundi,
Vim patitur caelum, quo tentit navita velum,
Ex quo iustitiae solem tulit aula Mariae,
Perque maris stellam scimus vitare procellam.
Protulit et florem, folium fructusque saporem,
Virgaque sicca nucem, virgo parit innuba lucem.
Tu fons signatus, tu clausula clausaque porta,
Tu Domini templum, tu sedes flaminis almi,
Tu rosa de spina, tu nobilis indole bina
Virginis et matris, genetrix et filia patris.
Exstas stella Iacob et matutina Maria,

Stella maris, contra Sisaram perfulgida pugnans,
Esto fide rutilans almae de semine stellae,
Cursu non errans, non cauda tracta draconis,
Praevia stella magis, sacer et dux atque sacerdos;
Mater virgo pia, nobis succurre, Maria.

Cod. Londinen. Reg. 7 A VI. saec. 14/15. — 17. nauta. — 26. Exstat.

185. De beata Maria V.

Virgo beatissima,
Piarum piissima,
Dulcis et dulcissima,
Magnarum permaxima,
Mater amantissima,
Dominarum domina,
Dele nostra crimina,
Ut tuorum nomina
Sint in vitae pagina.
Attende suspiria
Ad te suspirantia,
Comple desideria
Te desiderantia
Innumerabilia;
Tuis odibilia
Vitiorum retia
Dirumpe propitia,
Ut caeli palatia
Ingressi te praevia
Calcata superbia
Et eius familia,
Absorpta miseria
Et omni penuria
Cum summa victoria
In caelesti curia
Regnemus in gloria.

Cod. Trecen. (ol. Claravallen.) 1612. saec. 15.

186. Planctus BMV.

1. Virgo dulcis o Maria,
Tu plorabas voce pia
Coram cruce filium.

2. Rumpebatur cor Mariae
Deplorantis valde pie:
O fili dulcissime,
Cum te cerno morientem,
Ego perdo cor et mentem
Et tota deficio.

3. O columba sine felle,
Vasque dulci plenum melle,
O fili piissime,
Tu me vides desolatam,
Semivivam anxiatam
Et mihi non loqueris?

4. O Gabriel, illud Ave,
Dulce nimis et suave,
Nunc dat mihi gemitum,
Nunc vertuntur in maerorem
Et in luctum et dolorem
Nuntiata gaudia.

5. Mihi namque est ablatus
Et in cruce conclavatus,
Qui me replet gratia.
O crux alta, de te queror,
Mihi nequis esse peior,
O crux crudelissima,

6. Meum natum tu cepisti,
Ipsum in te suspendisti,
O crux ferocissima.
Ergo saltem nunc te placa,
Quam exoro voce rauca,
Reddas mihi filium,

7. Et si non vis te placare
Neque natum mihi dare,
Tu me secum recipe;
Nam consolor, si me capis,
Si me spernis, me relinquis
In dolore nimio.

8. Vosque rogo, o devoti,
Hic plorare, mei noti,
Tam dirum supplicium,
Ut post suos commensales
Vos faciat et sodales
Supernorum civium.

Offic. B. M. V. imp. in Castro Lauro 1503. — 8, 2 nati.

187. De beata Maria V.

1. Virgo mater, cuius pater
Te gignete paritur,
Sic prolatus et lactatus
Pastor verbum noscitur.

2. Cista Christi tribuisti
Nubem, in qua latuit,
Quos creavit, poenis lavit,
Quas ultra sustinuit.

3. Nam pro suis atque tuis
Exstitit obtemperans,
At post crucem Sion ducem
Resurrexit properans.

4. Id mox pandit, tandem scandit
Misitque paraclitum,
Fide rata, spe probata
Caeli dans introitum.

5. Apparebit ac sedebit
Palam iustus arbiter,
Ne damnemur, sed salvemur,
Terge culpas iugiter.

6. Ope praesto semper esto,
Large ros clementiae,
Necte preces, fuga faeces
Cladis et angustiae.

7. Vas donorum optimorum,
Plenum privilegiis,
Lar virtutum, pontem tutum
Strue mergi consciis.

8. Te, Maria, certa via
Vitae, quae non deficit,
Ut te laudem, tuam laudem
Nemo loqui sufficit.

9. Quae scribuntur et dicuntur,
Longe supergrederis,
Licet claris ostendaris
Inclita plus ceteris.

10. Te post Ave fans „haud pave“
Gabriel magnificat,
Cosmus festis demptis maestis
Melos tibi replicat.

11. Eva luctum, sed tu fructum
Fudisti laetitiae,
Firma gaude, plane plaude,
Felix imbre gratiae.

12. Te, nec labant, praesignaban
Multi dudum indices,
Et ambarum paginarum
Crebri monstrant apices.

13. Tu praecellis lunae, stellis
Gemmis, aromatibus,
Auro puro, forti muro,
Favis, ostro, floribus.

14. Grande lumen et acumen
Phoebi fert effulsio,
Sed splendoris amplioris
Praemines fastigio.

15. O regalis, almis alis
Praebe tegmen credulis,
Imperatrix, restauratrix
Manens ampla saeculis.

16. Mundi sator, dominator,
Quem portasti filium,
Singulare sine pare
Tibi sculpsit solium.

17. Sunt beati coronati
Diversis honoribus,
Ut trans colles mons praepolles
Digne quidem omnibus.

18. Tu ditaris et dotaris
Infinita gloria,
Tibi cedit et oboedit
Tota poli curia.

19. Tu maiorum ac minorum
Principatum possides
Et cum prole, vero sole,
Sola cunctis praesides.

20. Tui morum sat sanctorum
Aptos inter cumulos
Manifestas, ornas, gestas
Piae matris titulos.

21. Hanc cernentes et stupentes
De tam dulci copia
Sentiamus, quae rogamus,
Ipsius auxilia.

22. Maris astrum, Dei castrum,
Pelle turbas turbinum
Inque bono cursus cono
Faustum pone terminum.

23. Clausa sera mire mera
Miserere miseris,
Defendendo nec linquendo
Serva nos ab inferis.

24. Ora natum, ut reatum
Peccatorum deleat
Et post mortem nos ad sortem
Paradisi provehat.

Cod. Trecen. (ol. Claraevallen.) 999. saec. 12. add. saec. $^{12}/_{13}$. — „Devota laudatio sanctae Dei genetricis et perpetuae virginis Mariae cum oratione de eadem.“

188. Oratio ad beatam Mariam V.

Virgo mater pietatis,
Mihi da benignitatis
Patientiaeque donum
Fac et, ut fraternum bonum
Semper quaeram sicut meum;
Mihi tribue per Deum
Condolendo malis flere,
Bonis fraternis gaudere,
Mentem, linguam, vitam rege,
Ut in omni Christi grege
Nullus unquam contristetur
Per me nec scandalizetur,
Sed et speculator cordis
Intus, extra nulla sordis
Offendatur pravitate,
Sed perfecta caritate
Me diligere fac eum,
Ut meipsum quoque meum
Doce proximum amare
Meque sic perseverare.
Me devote pura mente
Doce semper et attente
Psallere sic et orare,
Ut mens voci concordare
Apud illum discernatur,
Qui secreta speculatur.
Mensurate fac ut edam
Nec per potum fac excedam,
Sed me, precor, abstinere
Sceleraque doce flere,
Ut lamentis tuum natum
Mihi sentiam placatum
Meque, mater lucis clarae,
Duodenos observare
Gradus fac humilitatis,
Ut perfectae caritatis
Lege regar, quae timorem
Foras mittit per amorem,
Ac indutias ministra,
Fac et illas non sinistra
Perdam operatione,
Sed ut satisfactione
Rectumque per Dei cultum
Tempus expleam indultum
Meque bestiis amaris
Nunquam tradi patiaris,
Sed in hora meae mortis
Sis adiutrix mihi fortis,

Pelle facies horrendas
Teque mihi tunc ostendas.
In illa finali pugna
Pro me, precor, ita pugna,
Ut confusi atque victi
Ruant hostes maledicti
Ignea tunc ad tormenta,
Quae pro ipsis sunt inventa,
Ut quod mihi paraverunt,
Multis annis quaesierunt,
Ipsos illud infernale
Malumque perpetuale
Circumstringat loco mei,
Sed aeternae requiei
Me coniunge, virgo, choris,
Vas virtutum, fons honoris.
Pater praestet hoc et natus,
Sacer utriusque flatus,
Trinus unus, qui cunctorum
Dominatur saeculorum.

Orat. ms. Scotorum Vindobonen. 54 h 8. anni 1410.

189. De beata Maria V.

Virgo salutata Gabrielis voce beata,
Caelitus adfata, maris inclita stella vocata,
Per tibi collata bona nuntia sis mihi grata.
Ecclesiae florem produxisti sine spina,
Mentibus ardorem fidei dans es medicina.
Virgineum fructum de te laudo generatum,
Excutias luctum, quo sentio me gravidatum.
Partus labe carens, divino munere clarens,
Purgata mente me salvat te faciente.
Tu salvatoris, gladio transfixa doloris,
Carne sub humana precantis vulnera sana.
Christo surgente nova gaudia te capiente,
Sis Dominum, pura virgo, pro me petitura.

Cod. Palat. Vindobonen. 4444. saec. 15.

190. De beata Maria V.

1. Virtutibus laudabilis,
Moribus commendabilis,
Specie peramabilis,

2. Puritate legibilis,
Carne desiderabilis,
Genere venerabilis,

3. Potentia terribilis,
Actibus profamabilis,
Miraculis mirabilis,

4. Maria, caro nobilis,
Esse carni sic utilis
Velis, quod per te labilis

5. Spiritus infinibilis
Tandem reddatur humilis
Ac Deo acceptabilis.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. 14/15.

191. De beata Maria V.

Virtutum cella, virgo Maria, vale.
Ore salutata tu Gabrielis, ave.
Christum concipiens pneumatis arte, vale.
Tu decus Elisabeth lausque Iohannis, ave.
Magnificas facientem tibi magna, ave.
Postquam prodisti, gaudens, donec peperisti.
Pellens omne grave, virgo suavis, ave.
Virgo Deum generans, inclita mater, ave.
Eiusdem nutrix dulcis et alma, vale.
Corde gerens verba gestaque partus, ave.
Laudat quam Simeon Annaque, pura, vale.
Nati considerans signa potentis, ave.
Post ortum Christi mortem crucis usque vidisti.
Egi quidquid male, laeta remitte, vale.
Quam redimit nati mors pia nosque, vale.
Gaudens quod victor carne revixit, ave.
Scandentem cernens astra serena, vale.
Quam cum discipulis pneuma replevit, ave.
In throno residens glorificata, vale.
Post mortem Christi, donec caeleste subisti
Regnum, laeta fave tu mihi, mater, ave.
Stella maris, mater virgo, nos protegas a vae.
Quam Deus ipse pater sic decoravit, ave.

Cod. Londinen. Reg. 7 A VI. saec. $^{14}/_{15}$.

192. De beata Maria V.

1. Ymago, imitago
Mundissima altissimi,
Genetrix omnipotentis,

2a. Natura dolens miratur
Atque ratio,
Quod sic privilegio
Suo derogatur;
Illis fortuna
Condolens una
Lamentatur,
Licet his effectuum
Vis supponatur,
Novum opus nunc creatur
Praeter ius suum.

2b. Ordo stupet naturalis,
Nam a rivulo
Fons manat, a flosculo
[Radix] et causalis
Res a causato,
Sic commutato
Ordine finali
Res tenet principium
Sic variatum,
Idem est causans, causatum,
Sequens praevium.

3 a. Activum verbum passivum
Iam efficitur,
Ab alio nascitur,
Quod est primitivum,
Est compositum
Simplex, finitum
Fit infinitum,
Sic contra grammaticum
Non respectivum
Confertur, non defectivum
Fit eclipticum.

3 b. Nunc logicus admirari
Cogitur, quia
Simul sunt contraria
Scita sociari,
Partus pudori
Et ita mori
Hic locus: Haec mari
Mulier concubuit,
Si partu laeta
Fiat, nam eadem feta
Et virgo fuit.

4 a. Hic mussat Quintilianus,
Marcus Tullius,
Symmachus, Sidonius,
Iustinianus,
Cum virginitas
Et maternitas
Sint simul, et varius
Index adulterii
Partus fiat his,
Qui signo carent signati,
Fiunt dubii.

4 b. In his haesitans stupescit
Arithmeticus,
Nam numerus cubicus
In se decrescit,
Suae radici
Ut possit dici
Conformis, hic nescit,
Quomodo, quae numero
Caret, natura
Numeratur et sic plura
Possit fieri.

5 a. Musicae proportioni
Cum sint subdita
Omnia composita,
Musicus componi
Deum homini,
Nubem lumini
Miratur, sic toni
Melos cum diapente
Fit par sonorum,
Tota lege musicorum
Hoc prohibente.

5 b. Tetragonus continetur
Infra trigonum,
Trigonus infra conum,
Iam maior habetur
Punctum linea,
Equo tinea,
Centrumque censetur
Excedere circulum,
Minor pigmaeo
Fit gigas, alvus fit Deo
Receptaculum.

6 a. Astronomus visu, mente
In hoc haesitat,
Quod sol latitat
Sub stella, manente
Sòlis splendore,
Stella plus more
Pristino lucente.
Hoc ab illo vilius
Non fit lucendo,
Sed se mutuo augendo
Lucent purius.

6 b. Haec est virgo singularis,
Parens unica,
Arctos nautica,
Portus salutaris,
Vena veniae,
Portus gloriae,
Quam dos puellaris
Decoris non deserit,
Immo puella
Manens et virgo tenella
Deum peperit.

7 a. Virgo virginum.
Expers criminum,
Decus hominum,
Caeli domina,
Salus gentium,
Spes fidelium,
Lumen cordium
Nos illumina.

7 b. Nosque filio
Tuo tam pio,
Tam propitio
Reconcilia,
Et ad gaudia
Nos perennia
Duc propitia,
Duc prece pia,

8. Virgo Maria.

Cod. Matriten. Bb. 150. saec. 14. (Daraus in Boletin de la real academia de la historia VI, 392 ff.) Diese (nicht liturgische) Sequenz ist die vorletzte in einer Reihe von 23 Meditationen, von denen nur die beiden letzten poetische Form haben. — Verfasser dieser Meditationes secundum numerum et ordinem Alphabeti ist Gil von Zamora (Iohannes Aegidius). Vgl. Anal. XVI, 62. — 26, 2 Cogitur quod; Silbenzahl und Reim fordern quia. — 4 a, 4 Et Iustinianus. — 6 a, 3 Quoniam sol. — Aufschrift: „Incipit XXII meditatio et oratio virginis incipiens ab hac litera Y.“

Inhalts-Übersicht.

	Seite
Ab aeterno praeparata	25
Ad aeterni numinis	9
Angelorum supernorum	15
Ante thorum tam decorum	15
Ave Dei porta spei	17
Assis nobis virgo pia	14
Audi clemens et benigna	19
Audi virgo virginum	20
Aula vernat virginalis	20
Ave caeli domina	21
Ave caelorum ianua	21
Ave Christi mater ave	23
Ave Dei genetrix	23
Ave dic ad virginem	24
Ave dulcis ave pia	25
Ave laetitia Ioachim	26
Ave legis plenitudo	44
Ave lucis tu aurora	44
Ave lumen gratiae	27
Ave magni patris agni	29
Ave maris stella clara	33
Ave maris stella Verbi Dei	34
Ave mater et virgo virginum	36
Ave mater gloriosa	36
Ave mater sine labe	37
Ave verbi mater pia	37
Ave mundi spes Maria	38
Ave plena gratia	39
Ave porta poli noli te	41
Ave puteus aquarum	45
Ave regina caelorum	43
Ave rosa tu caelestis	47
Ave sancta sanctis sanctior	49
Ave sancta sanctissima	44
Ave signis figurata	50
Ave sponsa Dei patris	52
Ave stella maris	35
Ave stella matutina	47
Ave stella o Maria	53
Ave summi regis nupta	54
Ave templum Iesu Christi	45
Ave vera humilitas	44
Ave vera salus nostra	46
Ave vera salus nostra	46
Ave virgo columbina	43
Ave virga ferens fructum	54
Ave virgo gloriosa Mater	55
Ave virgo gloriosa Paradisi	56
Ave virgo mater Christi	59
Ave virgo singularis Gemma	59
Ave virgo singularis Mundi	61
Ave virgo stella maris	62
Ave virgo verbi mater	63
Ave virgo virginum	64
Ave virgo virtutis speculum	65
Beata Dei genetrix	65
Benedicta regina virginum	66
Bonitatis totius femina	66
Clemens et dulcissima	75
Cor ad instar philomenae	76
Cum iubemur et tenemur	76
Cur peccator desperem veniam	78
De spineto nata rosa	79
Digna laudum carmina	80
Dulci voto laeta fide	80
Felix mater ave qua mundus	86
Flos florum fons hortorum	87
Gaude casta mater Dei	87
Gaude felix Maria	87
Gaude gemma virginum	88
Gaude maris stella Iesse	89
Gaude mater salvatoris	90
Gaude mater vitae portus	91
Gaude mitis gaude pia	91

	Seite
Gaude plaude clara rosa. . . .	92
Gaude rosa speciosa	100
Gaude salus nobis data	58
Gaude salve misso rore	100
Gaude salve templum Dei . . .	101
Gaude sanctae trinitatis	101
Gaude sancta lux diei.	203
Gaude trina hierarchia	102
Gaude virgo et respice	102
Gaude virgo mater Christi. . .	103
Gaude virgo o Maria	104
Gaude virgo pia gaude	106
Gaude virgo ut stirps Davidica	107
Genus sacrum et proles regia .	108
Gloriosa mater Dei	109
Imperatrix angelorum	111
Imperatrix gloriosa	112
Impudenter circuivi	112
In camino crepitans	113
In hac die gratiae	117
In te per te de te ex te. . . .	117
Iubilose resonando	118
Laude humani generis.	120
Laudes beatae virginis	120
Laudes sacrae virginis	122
Magistra religionis	123
Maria sole clarior	125
Maria te recolere	126
Maria te suppliciter	132
Maria virgo pia	132
Maria virgo virginum	133
Mater Dei Maria nomine . . .	136
Mater Dei gloriosa	138
Mater Domini Maria	139
Mater gaude Fons mei gaudii .	140
Mente gaudens ersultabo . . .	141
Mole pressus huius miseriae . .	142
Non iam discordant mater . . .	145
O domina dominarum	46
O enixa praeter morem	145
O insignis sponsa Dei.	146
O Maria expers paris	146
O Maria mater Christi	146
O Maria Mater Dei	147
O Maria miserorum	148
O Maria quae es pia	149
O Maria spes reorum	149
O Maria sponsa Christi	151
O Maria stella maris Medicina .	153
O Maria stella maris Porta . .	154
O Maria virgo pia Maris . . .	156

	Seite
O Maria virgo pia Mater . . .	157
O Maria virgo pia Plena . . .	155
O Maria virgo pia Stella . . .	157
O mater virgo virginum	158
O mundi prodigium	160
O pia virginitas	161
O praeclara maris stella. . . .	46
O quam pulchra polo	161
O regina reginarum	162
O regina virginum	163
O rosa virginei decoris	164
O templum Christi	164
O triclinium nobile	164
O veneranda Dei mater	165
O virgo splendor gloriae. . . .	166
Pater ymon a quo mundus . .	167
Pulchra Maria serena Maria . .	168
Pulchra totaque amica	168
Quid vigoris quid amoris . . .	170
Rex Christe clementissime. . .	173
Salve cella castitatis	174
Salve Dei mater pia	57
Salve festum cordis mei. . . .	175
Salve gaude mater regis . . .	175
Salve era mater festi	175
Salve mater illibata.	176
Salve mater misericordiae . . .	176
Salve mater salvatoris.	190
Salve parens singularis	190
Salve plena caritate.	191
Salve regina mater	191
Salve regina miseri cordis . . .	192
Salve regina miseri cordis . . .	192
Salve regina omnium	193
Salve salve dominatrix	194
Salve salve o formosa.	195
Salve sancta mater Dei	195
Salve sancta parens Kyria. . .	196
Salve sancta parens Omni . . .	197
Salve sancta parens pia	197
Salve scala poli sanctae. . . .	198
Salve stella marina	199
Salve stella maris quae sola. .	199
Salve templum totius decoris .	200
Salve thronus Salomonis. . . .	202
Salve virgo benedicta	202
Salve virgo fecundata	203
Salve virgo gloriosa.	204
Salve virgo mater Christi . . .	204
Sempiterni regis mater	205
Si fieri posset quod arenae . .	206

	Seite
Si haberem linguarum milia . .	206
Splendens fulgur a sede nascitur	208
Stella Maria maris paradisi . .	209
Stella maris ave	35
Stella maris decus matrum . .	209
Stelle maris summo rutilans . .	211
Stupent leges stupent iura . . .	212
Summi regis mater et filia. . .	213
Super cunctas et prae cunctis .	217
Te devote colimus	217
Triumphe triumphatorum . . .	220
Vale dicant virgini	220
Vale fulgens solis cella	221
Vale gaude sol splendoris . . .	221
Vale regina caelorum	222
Vale salve virgo pia	222
Vale verbi Dei cella	203
Vale virgo angelorum	223
Vale virgo florens rosa	224
Vale virgo fragras rosa	225
Vale virgo gloriosa	225
Vale virgo post genitum . . .	226
Vale virgo regia	226
Veni dulcis gratia	227
Virga Iesse gignit florem . . .	228
Virgo Dei genetrix rosa	228
Virgo beatissima	229
Virgo dulcis o Maria	229
Virgo mater cuius pater	230
Virgo mater pietatis	231
Virgo salutata Gabrielis	232
Virtutibus laudabilis	232
Virtutum cella virgo	233
Ymago, imitago	233

Pierer'sche Hofbuchdruckerei Stephan Geibel & Co. in Altenburg.

Cl. Blume und G. M. Dreves,

ANALECTA HYMNICA MEDII AEVI.

I. Theil: **Cantiones Bohemicae.** Leiche, Lieder und Rufe des 13., 14. und 15. Jahrhunderts nach Handschriften aus Prag, Jistelnicz, Wittingau, Hohenfurt und Tegernsee. 1886. 13 Bogen. Gr. 8. Preis M. 6,—.

II. Theil: **Hymnarius Moissiacensis.** Das Hymnar der Abtei Moissac im 10. Jahrhundert. Nach einer Handschrift der Rossiana. Im Anhange: a) Carmina scholarium campensium. b) Cantiones Vissegradenses. 1888. 11 Bogen. Gr. 8. Preis M. 5,—.

III. Theil: **Conradus Gemnicensis.** Konrad's von Haimburg und seiner Nachahmer, Albert's von Prag und Ulrich's von Wessobrunn Reimgebete und Leselieder. 1888. 12½ Bogen. Gr. 8. Preis M. 6,—.

IV. Theil: **Hymni Inediti.** Liturgische Hymnen des Mittelalters aus handschriftlichen Breviarien, Antiphonalien und Processionalien. 1889. 17 Bogen. Gr. 8. Preis M. 8,—.

V. Theil: **Historiae Rhythmicae.** Liturgische Reimofficien des Mittelalters. Erste Folge. Aus Handschriften und Wiegendrucken. 1889. 17⅜ Bogen. Gr. 8. Preis M. 8,—.

VI. Theil: **Udalricus Wessofontanus.** Ulrich Stöcklin's von Rottach, Abtes zu Wessobrunn, 1438—1443 Reimgebete und Leselieder mit Ausschluss der Psalterien. 1889. 12¾ Bogen. Gr. 8. Preis M. 6,—.

VII. Theil: **Prosarium Lemovicense.** Die Prosen der Abtei St. Martial zu Limoges aus Troparien des 10., 11. und 12. Jahrhunderts. 1890. 17¼ Bogen. Gr. 8. Preis M. 8,—.

VIII./IX. Theil: **Sequentiae Ineditae.** Liturgische Prosen des Mittelalters aus Handschriften und Wiegendrucken. Erste und zweite Folge. 1890. 14½ und 18½ Bogen. Gr. 8. Preis M. 7,50 und M. 8,—.

X. Theil: **Sequentiae Ineditae.** Liturgische Prosen des Mittelalters. Dritte Folge. 1891. 21 Bogen. Gr. 8. Preis M. 10,—.

XII. Theil: **Hymni Inediti.** Liturgische Hymnen des Mittelalters. Zweite und dritte Folge. 1891 und 1892. à 17 Bogen. Gr. 8. Preis à M. 8,—.

XIII. Theil: **Historiae Rhythmicae.** Liturgische Reimofficien des Mittelalters. Zweite Folge. 1892. 17 Bogen. Gr. 8. Preis M. 8,—.

XIV. Theil: **Hymnarius Severinianus.** Das Hymnar der Abtei St. Severin in Neapel. —. **Orricus Scacabarotius.** Origo Scaccabarozzi's Liber Officiorum. 1893. 17 Bogen. Gr. 8. Preis M. 8,—.

XV. Theil: **Pia Dictamina.** Reimgebete und Leselieder des Mittelalters. Erste Folge. 1893. 17 Bogen. Gr. 8. Preis M. 8,—.

XVI. Theil: **Hymnodia Hiberica.** Spanische Hymnen des Mittelalters aus liturgischen Handschriften und Druckwerken Römischen Ordos. 18 Bogen. Gr. 8. Preis M. 9,—.

XVII. Theil: **Hymnodia Hiberica.** Liturgische Reimofficien aus spanischen Brevieren. 1894. 15 Bogen. Gr. 8. Preis M. 7,50.

XIII. Theil: **Historiae Rhythmicae.** Liturgische Reimofficien des Mittelalters. Dritte Folge. 1894. 17 Bogen. Gr. 8. Preis M. 8,—.

XIX. Theil: **Hymni Inediti.** Liturgische Hymnen des Mittelalters aus Handschriften und Wiegendrucken. Vierte Folge. 1894. 17½ Bogen. Gr. 8. M. 9,—.

XX. Theil: **Cantiones et Muteti.** Lieder und Motetten des Mittelalters. Erste Folge. 1895. 16½ Bogen. Gr. 8. Preis M. 8,—.

XXI. Theil: **Cantiones et Muteti.** Lieder und Motetten des Mittelalters. Zweite Folge. 1895. 14⅛ Bogen. Gr. 8. Preis M. 7,—.

XII. Theil: **Hymni Inediti.** Liturgische Hymnen des Mittelalters aus Handschriften und Wiegendrucken. Fünfte Folge. 1895. 18¾ Bogen. Gr. 8. M. 9,—.

III. Theil: **Hymni Inediti.** Liturgische Hymnen des Mittelalters aus Handschriften und Wiegendrucken. Sechste Folge. 1896. 19⅛ Bogen. Gr. 8. M. 9,50.

IV. Theil: **Historiae Rhythmicae.** Liturgische Reimofficien des Mittelalters. Vierte Folge. 1896. 18 Bogen. Gr. 8. Preis M. 9,—.

V. Theil: **Historiae Rhythmicae.** Liturgische Reimofficien des Mittelalters. Fünfte Folge. 1897. 19 Bogen. Gr. 8. Preis M. 9,—.

VI. Theil: **Historiae Rhythmicae.** Liturgische Reimofficien des Mittelalters. Sechste Folge. 1897. 18¼ Bogen. Gr. 8. Preis M. 9,—.

VII. Theil: **Hymnodia Gotica.** Die Mozarabischen Hymnen des alt-spanischen Ritus Aus handschriftlichen und gedruckten Quellen. 1897. 18½ Bogen. Gr. 8. Preis M. 9,—

VIII. Theil: **Historiae Rhythmicae.** Liturgische Reimofficien des Mittelalters. Siebente Folge. 1898. 21 Bogen. Preis M. 10.—.

IX. Theil: **Pia Dictamina.** Reimgebete und Leselieder des Mittelalters. Zweite Folge 1898. 15 Bogen. Gr. 8. Preis M. 7,50.

X. Theil: **Pia Dictamina.** Reimgebete und Leselieder des Mittelalters. Dritte Folge. 1898. 19½ Bogen. Gr. 8. Preis M. 9,50.

XI. Theil: **Pia Dictamina.** Reimgebete und Leselieder des Mittelalters. Vierte Folge. 1898. 13⅜ Bogen. Gr. 8. Preis M. 7,50.

Als **Ergänzung** erschien:

Hymnologische Beiträge. Herausgegeben von Blume und Dreves.

I. **Gottschalk,** Mönch von Limburg an der Hardt und Propst von Aachen, ein Prosator des XI. Jahrhunderts. 14 Bogen. Gr. 8. M. 7,—.

ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

Herausgegeben

von

Clemens Blume und **Guido M. Dreves.**

XXXIII.

PIA DICTAMINA.

Reimgebete und Leselieder

des

Mittelalters.

Sechste Folge.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1899.

PIA DICTAMINA.

Reimgebete und Leselieder

des

Mittelalters.

Sechste Folge.

Aus

Handschriften und Wiegendrucken

herausgegeben

von

Clemens Blume
S. J.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1899.

VORWORT.

Der vorliegende Band bringt die stattliche Series der Reimgebete und Leselieder, die mit dem 15. Bande eröffnet und im 29. bis 32. fortgesetzt wurde, zum Abschlufs. Dafs dieses nicht gleichbedeutend sein soll mit Abschlufs der Hymnen-Publikation überhaupt — Hymnen hier in des Wortes weiterer Bedeutung —, scheint an sich doch selbstverständlich. Da aber eine ähnliche Bemerkung im 23. Bande, welcher die Schlufslieferung der liturgischen Hymnen im engeren Verstande dieses Wortes bildete, von einigen mifsverstanden wurde, sei hiermit ausdrücklich bemerkt, dafs noch die ganze Series der Psalterien und ein bedeutender Teil der Sequenzen aussteht, abgesehen von Gruppen liturgischer und aufserliturgischer geistlicher Dichtungen, die bestimmten Autoren zuzuschreiben sind, und von einer Blütenlese rhythmischer oder metrischer Tropen. Daran werden sich Nachträge reihen und die Herausgabe schon anderweitig edierter Hymnen aus Originalquellen, ohne dafs hier das Programm betreffs letzterer näher bezeichnet werden soll.

Aufser den Pia Dictamina auf die Engel und Heiligen, welche in alphabetischer Reihenfolge aufgeführt sind, bietet dieser Band mehrere Diversa oder Moralia, von denen schon im 15. Bande einzelne Proben vorgelegt wurden. Wenn nicht bei allen, so doch bei einigen derselben kann der berechtige Zweifel entstehen, ob sie noch der religiösen Lyrik beizuzählen sind und somit einen Unterschlupf im Gehege der Hymnologie beanspruchen dürfen, oder ob sie ins Gebiet der weltlichen Lyrik, speciell der Satyre, verwiesen werden müssen. Dem asketischen Dichter, als welchen der Sänger von Reimgebeten und Leseliedern sich kennzeichnet, steht es ja frei, die ganze Skala der verschiedensten Affekte zu durchlaufen, und dabei kann es ihm nicht verwehrt

sein, bei Spott- und Rügeliedern gegen Welt und Laster auch im Stil und in der Sprache des weltlichen Lyrikers sich den satyrischen Launen seiner Muse zu überlassen. Letzterer hingegen wird des religiös-geistlichen Momentes bei seinen Satyren des öfteren nicht ganz entraten können oder wollen. Wer möchte da bei jedem Einzelfalle die Grenzscheide scharf ziehen?

Es genüge, diese Stücke wenigstens als auf der Grenzscheide stehend bezeichnet zu haben, ohne über ihren geistlichen oder rein weltlichen Charakter das lösende Wort sprechen zu wollen. Sie sind deshalb als Anhang beigefügt. Wenn der Verfasser des Repertorium hymnologicum „tout pièce satyrique“ aus dem Repertoire der Hymnendichtung ausgeschlossen wissen will, so ist das theoretisch unberechtigt und praktisch von ihm selbst keineswegs ausgeführt worden. Neben manchen satyrischen Liedern, die als geistliche mit Recht im genannten Repertorium verzeichnet sind, haben eben dort nicht wenige Aufnahme gefunden, die ganz entschieden als weltliche auszumerzen sind.

Wien, 13. März 1899.

Clemens Blume.

I.

DE SANCTIS.

1. De Omnibus Sanctis.

1. O beata trinitas,
Rectrix saeculorum,
Una et par deitas,
Unus rex caelorum,
Pater, nate, spiritus,
Precibus sanctorum,
Quaeso, me de funibus
Solve peccatorum.

2. Ave, maris stellula,
Rosa puritatis,
O Maria, cellula
Summae trinitatis,
Angelorum speculum,
Aula pietatis,
Ora, mater, filium
Nostris pro peccatis.

3. Salveto archangele
Michael beate,
Turmae tu uranicae
Princeps nominate,
Qui pugnando fortiter
Zabulum sprevisti,
Regnaturum iugiter
Fac me caelo sisti.

4. Angele, qui meus es
Custos, ave, bone,
Nunc et omni tempore
Salvum me dispone,
Pelle procul zabulum
Mortis in agone,
Intra caeli gaudium
Animam repone.

5. Salve, mater aurea,
Anna amorosa,
Stirpe regum genita,
Valde generosa,
Iuva nosmet tertia
In hac criminosa
Vita, Iesu avia,
Dulcis et formosa.

6. Salve, Adam, maxime
Protoplaste Dei,
Microcosme nobilis,
Memor esto mei,
Quem a Deo credimus
De limo formatum,
Natum fac me fieri
Dei adoptatum.

7. Salve, sancte Moyses,
Princeps prophetarum,
Doctor et dux inclite
Israelitarum,
Per quem nobis caelicam
Deus dedit legem,
Tuis placa meritis
Mihi caeli regem.

8. Salve, David, regie
Vates et psalmista
Ac divini pneumatis
Dulcis citharista,
In conspectu Domini
Meas rege vias,
Fac me pure canere
Deo psalmodias.

9. Salve, pater Ioachim,
Pater venerande,
Angelorum, Cherubim
Laude praedicande,
Patriarcha celebris
Semper salutande,
Cum dilecta coniuge
Portam caeli pande.

10. Salve, vir spectabilis
Ioseph, o Mariae
Sponse, tu amabilis
Tutor et Messiae,
Fac mihi placabilis
Sit Mariae natus,
Tibi tam affabilis
Prece rogitatus.

11. O praecursor Domini,
Iohannes Baptista,
Praecellentis meriti
Vates et legista,
Verbi vox, par angelis,
Potens agonista,
Confer pacem famulis
Proelia post ista.

12. Patriarchae veteres,
Omnes vos beati,
Et prophetae celebres
Pneumate adflati,
Quorum est ex semine
Deus homo natus,
Meos vestris meritis
Solvite reatus.

13. Petre beatissime,
Dux apostolorum,
Claviger aetheree,
Ianitor caelorum,
Veritatis regula,
Fidei et morum,
Prece tua vincula
Laxa péccatorum.

14. Salve, lux fidelium,
Vas electionis,
Paule, doctor gentium,
Flos dilectionis,
Sidus apostolicum,
Caeli micans donis,
Porrige suffragium
Tempore agonis.

15. Salve, maior Iacobe,
Salve, lux caelorum,
Christo iunctus sanguine,
Regi saeculorum,
Doctor et apostole
Dulcis Hispanorum,
Tuo fac nos munere
Compotes sanctorum.

16. Salve, princeps maxime
Evangelistarum,
Iohannes apostole,
Lux ecclesiarum,
Mihi, quaeso, obtine
Dona gratiarum,
Locum paenitentiae,
Veniam culparum.

17. Salve, vir dignissime,
Caelorum senator,
O Andrea maxime,
Crucis praedicator,
Tu, qui primus Domini
Eras imitator,
Sis in fine saeculi
Bonus mediator.

18. Salve, Thoma Didyme,
Sol Christianorum,
Indorum apostole
Et lux populorum,
Qui palpasti vulnera
Christi resurgentis,
Iram mei iudicis
Placa saevientis.

19. Salve, sancte Iacobe,
Mundi supplantator,
Iesu consanguinee
Vitaeque sectator,
O sancte apostole
Et patrone care,
Pro me, precor, sedule
Digneris orare.

20. O lampas ecclesiae
Fideique sator,
Philippe clarissime,
Orbis illustrator,
Precor te, apostole,
Mihi quem elegi,
Ut commendes iugiter
Me caelorum regi.

21. Salve, vir mitissime,
O Bartholomaee,
Nobilis apostole,
Vitae tutor meae,
Qui pro Christi nomine
Es excoriatus,
Fac, ut sit proprtius
Mihi Dei natus.

22. O Matthaee inclite,
Domini symmista,
Nobilis apostole
Et evangelista,
Quibus Deum hominem
Factum declarasti,
Fac, ut per te corpore
Menteque sint casti.

23. O Simon clarissime,
Precor, caelestine,
Nobilis apostole,
Christi consobrine,
Munus mihi impetra
Caritatis binae
Sanctaque carismata
Deitatis trinae.

24. Thaddaee dulcissime,
O amice Dei,
Cum germano Simone
Memor esto mei,
Me confirma tempore
Noctis et diei
Fidei munimine
Atque sanctae spei.

25. Salve, evangelicae
Doctor veritatis,
O Matthia, nuntie
Sanctae trinitatis,
Tu, qui in apostolum
Es electus sorte,
Fac, ut per te pateant
Mihi caeli portae.

26. Omnes vos apostoli
Nostri redemptoris
Sanctique discipuli
Iesu salvatoris,
Vos cum coetu omnium
Evangelistarum
Donum mihi poscite
Dei gratiarum.

27. Salve, Christi pugilum
Signifer beate,
Protomartyr Stephane,
Miles lapidate,
O levita candide,
Fulgens puritate,
Posce donum animae
Plenum caritate.

28. Christi martyr inclite,
Decus athletarum,
O Laurenti, maxime
Splendor levitarum,
Dispensator optime
Rerum divinarum,
Mea, quaeso, dirime
Vincula culparum.

29. O Vincenti, assecla
Dei qui fuisti,
Per virtutum opera
Mundo effulsisti,
Dum tormenta varia
Fortiter vicisti,
Mihi reo mitiga
Iram Iesu Christi.

30. Salve, vir clarissime,
O Sebastiane,
Martyr Dei strenue,
Miles christiane,
A peste morbifera
Sero atque mane,
Quaeso te, me libera
Stygioque cane.

31. Maxime pontificum,
Princeps confessorum,
O Erasme, speculum
Pastorque pastorum,
Martyr robustissime,
Victor tormentorum,
Sis tuorum sedule
Memor famulorum.

32. Salve, decem milium
Martyrum famose,
O Achati, signifer
Et dux gloriose,
Tuis cum sodalibus
Pro me, precor, ora
Et culparum omnium
Veniam implora.

33. Christi martyr inclite,
Decus athletarum,
O Georgi, maxime
Splendor tenebrarum,
Miles invictissime
Duxque Clusinorum,
Nostra, precor, dirime
Vincula malorum.

34. O Mauriti inclite,
Princeps beatorum
Legionis militum
Sacrae Thebaeorum,
Martyr o spectabilis,
Audi devotorum
Tuis nunc cum sociis
Preces famulorum.

35. Omnes sancti martyres
Mundique victores,
Iesu Christi milites
Atque pugnatores,
Qui vicistis genera
Saeva tormentorum,
Nostra, precor, vincula
Solvite nervorum.

36. Salve, par apostolis,
Lux episcoporum,
O Martine nobilis,
Medicina morum,
Suscitator humilis
Trium mortuorum,
Aufer pestem corporis,
Pondus vitiorum.

37. Nicolae, pontifex
Mirae sanctitatis,
Sis salutis opifex
Nostrae pravitatis,
Unctionem impetra
Tibi dedicatis
Et post mortem caelica
Regna cum beatis.

38. O Gregori maxime,
Pastor Romanorum
Gentis et apostole
Nobilis Anglorum,
Audi nos, o praesulum
Regula cunctorum,
Et disrumpe scelerum
Vincula nostrorum.

39. Salve, vir clarissime,
Lux catholicorum,
O Ambrosi inclite,
Splendor confessorum,
Magistrorum optime
Doctorque doctorum,
Pia vota suscipe
Tibi devotorum.

40. Salve, decus praesulum,
Sol theologorum,
Augustine, speculum
Luxque clericorum,
Exstirpator criminum,
Mucro perfidorum,
Ora pro me Dominum
Cum coetu doctorum.

41. Salve, lux ecclesiae,
Falx haereticorum,
Doctor, o Ieronyme,
Gloriose morum,
Divinorum maxime
Interpres librorum,
Pro me bona loquere
Domino deorum.

42. Salve, mundi speculum,
Pater Benedicte,
Monachorum omnium
Princeps o invicte,
Fac praecepta regulae
Me servare stricte,
Vivere in ordine
Vere et non ficte.

43. Salve, Maure, nobilis
Dux discipulorum
Benedicti, principis
Divi monachorum,
O lux nostri ordinis,
Stella confessorum,
Placa tuis meritis
Regem saeculorum.

44. Salve, martyr Placide,
Christi athletarum
Comes invictissime,
Lux coenabitarum,
Benedicti assecla,
Sidus mundi clarum,
Nos in ista adiuva
Valle lacrimarum.

45. Salve, Paule inclite,
Dux eremitarum
Et princeps clarissime
Anachoritarum,
Sine dolo socius
Israelitarum,
Ad me veni protinus
In fine horarum.

46. O Antoni maxime,
Salus monachorum,
Dux orientalium
Luxque populorum,
Gloriose daemonum
Victor malignorum,
Per te sim caeligerum
Consors gaudiorum.

47. Salve, Christi assecla,
Spretor mundanorum,
O Arseni, regula
Recta monachorum,
Patrum lux et lilium
Eremi cultorum,
Placa mihi Dominum,
Regem angelorum.

48. Iubila, melliflue
Doctor devotorum,
O Bernarde, maxime
Institutor morum,
O divina caelibum
Normula cunctorum,
Posce mihi scelerum
Veniam meorum.

49. Salve, o Dominice,
Dux praedicatorum
Et fundator ordinis,
Per doctrinam morum
Convertens ad Dominum
Turbas populorum,
Sis adiutor omnium
Ad te conversorum.

50. O Francisce, caelice
Dei contemplator,
Summus evangelicae
Vitae praedicator,
Stigmatum seraphice
Christi exemplator,
Noster contra zabulum
Sis auxiliator.

51. O beati Magi tres,
Vos virtutum flores
Primique ex gentibus
Christi confessores,
Quem laudastis munere
Trino tunc infantem,
Hunc orate nunc pro me
In caelo tonantem.

52. Salve, vir spectabilis,
Comes palatine,
Antistes ecclesiae
Tu Hildesianae,
Divo qui coenobium
Fundas Michaeli,
Gaudiis post obitum
Iungito nos caeli.

53. Omnes beatissimi
Christi confessores,
Eremitae, monachi
Cunctique doctores,
Qui tempsistis gaudia
Pro Christo terrena,
Nos, precamur, ducite
Caeli ad amoena.

54. Salve, sancta Agatha,
Dulcis et benigna,
Martyr Christi fulgida
Sponsaque praedigna,
Quae vicisti gravia
Pro Christo tormenta,
Ante Deum precibus
Pro me sis intenta.

55. Salve, rosa martyrum,
Agnes, virgo grata,
Per amoris annulum
Christo subarrhata,
Inclito martyrio
Fulges purpurata,
Ora pro me misero
Deleque peccata.

56. Salve, Apollonia,
Virgo peramoena,
Virginum lux splendida
In virtute plena,
Tuum ob martyrium,
O pudoris vena,
Barathri ac dentium
Salva nos a poena.

57. Sancta confer Barbara
Regni portionem,
Tua propter merita
Atque passionem,
Mei, tui famuli,
Tutum fac agonem
Corporis Dominici
Per susceptionem.

58. Sponsa Christi florida,
Salve, Dorothea,
Quae a Deo diceris
Nobis data dea,
Sanctis tuis meritis
Mens firmetur mea,
Morum semper copia
Crescat ut in ea.

59. Martyr invictissima,
Salve, Margareta,
Quae divino fueras
Numine repleta,
Dum draconem viceras,
Fortis o athleta,
Perduc me ad agmina
Beatorum laeta.

60. Salve, prudentissima
Virgo Katharina,
Regis Costi filia,
Martyr et regina,
Rogo, mihi impetra
Munera divina,
Cor refertum gloria
Atque disciplina.

61. Salve, sancta Ursula,
Mundum quae sprevisti,
Virgo constantissima,
Ob amorem Christi
Tuis cum sodalibus
Sanguinem fudisti,
Serva me ab hostibus
Et a morte tristi.

62. Cum patronis omnibus
Meis vos, beatae
Virgines castissimae,
Pro me supplicate,
Virginis me filio
Reconciliate,
Mortis in articulo
Ad me properate.

63. Salve, Iesu Domini
Nobilis amatrix,
Huius o Elisabeth
Saeculi calcatrix,
Sanctae elemosynae
Larga dispensatrix,
Precor te, sis animae
Meae dispensatrix.

64. O Maria vernula
Christi Magdalena,
Spei primiceria,
Caritate plena,
Norma paenitentiae,
Prece me serena
De peccatis erue
Et de Stygis poena.

65. Igitur vos pariter
Omnes, ad quos clamo
Quosque specialiter
Veneror et amo,
De culparum nexibus
Et de mortis hamo
Solvite me citius
Caritatis ramo.

66. Poscite prudentiam
Et cum caritate
Firmam patientiam
In adversitate,
Sanctam continentiam
Cum sobrietate
Et oboedientiam
Cum humilitate.

67. Mihi Dei gratiam,
Quaeso, impetrate,
Vestram per instantiam
Dominum placate,
In extrema horula
Simul me iuvate,
Cuncta adversantia
A me propulsate.

68. Omnes sancti angeli,
Patres et prophetae,
Nobis cum apostolis
Pacem obtinete,
Confessores, martyres,
Virgines, athletae,
Delictorum maculas
Precibus delete.

69. Omnes sancti simulque
Et vos sanctae Dei,
Pro me intercedite,
Mementote rei
Coram Christo iudice,
Obitusque mei
Post finem me iungite
Sanctae requiei.

70. Praesta, sancta Trinitas,
Mihi patronorum
Meorum per merita
Gaudia caelorum;
Tibi laus et gloria,
Deus angelorum,
Nunc atque per saecula
Cuncta saeculorum.

Cod. Guelfenbyteran. Helm. 1076. saec. 15. — Nach Str. 42 ist der Verfasser ein Benediktiner, nach Str. 52 wahrscheinlich aus der Abtei St. Michael in Hildesheim.

2. De Omnibus Sanctis.

1. O pater ingenite,
Omnium creator,
Atque unigenite,
Vitae reparator,
Sancteque paraclite,
Mitis consolator,
Deus unus credite,
Noster sis tutator.

2. O Iesu castissima
Genetrix, Maria,
Virgo prudentissima,
Clemens, dulcis, pia,
Fac, Christi carissima,
Nos finita via
Caeli suavissima
Frui melodia.

3. O vos archangelici
Spiritus beati
Simulque angelici
Chori Deo grati,
Estote causidici
Nostri, ut purgati
Valeamus adici
Summae claritati.

4. O vos venerabiles
Dei praeelecti,
Patriarchae nobiles,
Viri circumspecti,
Deo nos odibiles,
Vitiis infecti,
Fiamus amabiles
Per vos et dilecti.

5. O prophetae, flamine
Divino repleti,
Praefantes de virgine
Nasciturum laeti
Christum, cuius nomine
Hostes sunt deleti,
Vestro nos precamine
Iungite quieti.

6. O Baptista, clarius
Pollens vi amoris,
Qui fuisti praevius
Christi salvatoris,
Nobis hic inferius
In valle maeroris
Fac ut sit propitius
Deus cunctis horis.

7. O Petre apostolice,
Princeps ceterorum,
O Paule benevole,
Doctor populorum,
O veri christicolae,
Socii eorum,
Per vos simus accolae
In regno caelorum.

8. O vos evangelii
Sacrati scriptores,
Doctores egregii,
Fidei cultores,
In die iudicii
Nostri defensores
Sitis, ne nos impii
Crucient tortores.

9. O sacra collegia,
Pulchra, rubicunda
Martyrum, qui omnia
Spernentes immunda
Tradidistis propria
Poenis membra munda,
Nos ad caeli gaudia
Ducite iucunda.

10. O devoti famuli,
Sobrii, pudici
Confessores, saeculi
Huius inimici,
Vestri nunquam servuli
Stygis dentur pici,
Sed vestro consortio
Iungamur felici.

11. O puellae languidae
Christi caritate,
Castitate candidae,
Angelis aequatae,
Virgines praefulgidae
Vitae sanctitate,
Vivere intrepide
Nobis impetrate.

12. O Deus, qui praemium,
Virtus, laus et honos
Es sanctorum omnium
Te per dulces sonos
Semper collaudantium,
Nos effectos bonos
Trahe post exsilium
Ad caelestes thronos.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20001. A. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. B. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20124. C. — Orat. ms. Underdorfense saec. 15 Clm. Monacen. 7815. D.

3. De Omnibus Sanctis.

1. Caeli sacri principatus
Operentur, ut sit datus
Nobis fructus caelicus.

2. Patriarchae, viri iusti
Praestent, ut simus adusti,
Ut gustus sit fellicus.

3. Prophetae, qui hic scripserunt
Quod bonorum bona erunt,
Nos bonos efficiant.

4. Apostoli, Dei faces,
Donent, ut sicut veraces
Et nos pios faciant.

5. Martyres in bello fortes
Praestent, ut simus consortes
Ipsorum in praemio.

6. Confessores mansueti
Donent, ut simus quieti
Et in Dei gremio.

7. Virgines Deo placentes
Dent, ut simus resplendentes
In caeli palatio.

Cod. Univ. Patavin. (ol. S. Iustinae) 1328. saec. $^{14}/_{15}$. — 2, 3 Ut gustus felicus. Soll der Sinn sein: möge uns weltliche Lust vergällt werden?

4. De Omnibus Sanctis.

1. Salvete, principes omnes heroici
Caelestis patriae, preces suscipite,
Salutem poscite et mala pellite,
Ut serviamus Domino.

2. Mariam virginem, sanctorum kyriam,
Extollat laudibus virtus seraphica,
Per quam homuncio repperit gratiam,
Parentes quam amiserant.

3. O lux vivifica, accende intima
Amoris facula, ut laudum flosculos
Litemus angelis, quorum custodia
Cingat nos in periculis.

4. En, sancte spiritus, nos viros colimus,
Quos hora tertia musto repleveras,
Donis carismatum; per horum merita
Dele reatus criminum.

5. O Christi martyres, flores purpurei,
Testes idonei, vestra constantia
Det nos hilariter crucem salvificam
Baiulare post Dominum.

6. Gaudete, praesules, doctores incliti,
Nec non et ceteri, quos vitae sanctitas
Et morum claritas coniunxit Domino,
Quem vos placate precibus.

7. Turma virginea, sole micantior,
Per castimoniam fac nos contemnere
Florem cum germine, quem offert hortulus
Saecularis cupidinis.

8. Sanctorum omnium assint suffragia
Matri ecclesiae, ut possit vincere
Quaeque contraria et Deo vivere
Per caritatis opera.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20123.

5. De Omnibus Sanctis.

1. Omnipotens, miserere,
Maria, semper assiste,
Ne deseras, Benedicte,
Angeli, nos custodite.

2. Omnes sancti, succurrite
Nunc semper hic et ubique,
Ut nos crimen non iniquet,
Ne Deus aeterne damnet.

3. Sed in caritate sancta
Nunc nostra fiant omnia,
Ut victis culpis et hoste
Hanc vitam claudamus pie.

4. Quare tunc nobis dicere
Audiamus Christi voce:
Venite, vos benedicti,
Possidete regnum caeli.

5. Gloria aeterno Deo,
Mariae et Benedicto,
Angelis et sanctis cunctis,
Quies sit aeva defunctis.

Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. A. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20124. B.

6. De Omnibus Sanctis.

1. Omnes sancti, dirigite
Nunc cursum vitae nostrae,
Sicut nostis velle Deum
Ad salutem animarum.

2. Omnia interiora
Nostra et exteriora
Deum collaudent de cunctis,
Tam prosperis quam adversis.

3. Ut nunc omnibus mundanis
Nobisque ipsis relictis
Miti corde et humili
Sectemur filium Dei.

4. Observemusque mandata
Sua per sancta opera
Usque in finem non ficte,
In fide, spe et caritate.

5. Quare nunc luantur culpae
Digna satisfactione,
Ut contriti et confessi
Semper apti simus mori.

Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021 A. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20124. B.

7. De Omnibus Sanctis.

1. Salve, redemptor Domine,
Qui passus es pro homine,
Nostra peccata hodie
Dele pro tuo nomine.

2. Salve, regina virginum,
Quae genuisti Dominum,
Hunc pro salute hominum
Exora, mater omnium.

3. Salve cum sanctis angelis,
Michael venerabilis,
Iuvamen miserabilis
Plebs petit et instabilis.

4. Salve cum sanctis patribus
Omnibus atque vatibus,
Baptista Christi, suavibus
Caelorum ciba dapibus.

5. Salvete, terrae principes,
Venturi quoque iudices,
Regni Dei participes,
Nos satiate pauperes.

6. Salve, felix societas
Martyrum, vestrum dignitas
Nos protegat et pietas,
Ne maculet iniquitas.

7. Salve, cum confessoribus,
Augustine, et doctoribus,
Nos ab inferni foribus
Custodi et doloribus.

8. Salve, o turba virginum,
Quae flores sicut lilium,
Precare Dei filium,
Ut tollat molem criminum.

9. Salveto, caeli curia,
Salva nos ab iniuria
Eripe et a furia
Hostis, qui nutrit iurgia;

10. Et post hanc vitam labilem,
Brevem et lamentabilem,
Nos semper fac amabilem
Dei videre faciem.

Orat. ms. Augustinum saec. 15. Cod. Cremifanen. 413. — 1, 1 redemptor noster. — 2, 4 Ora mater. — 5, 4 satiatis. — 8, 1 o fehlt. — 9, 1 Salve tota caeli.

8. De Omnibus Sanctis.

Litania Metrica.

Nobis in munus se donet trinus et unus.
Gloria sanctorum, memor esto, Maria, tuorum.
Collocet in caelis nos sancta cohors Michaelis.
Christi baptista, nobis ad opem miseris sta.
Liberet a poena nos turba fratrum duodena.
Martyrii sanguis sanet, quos vulnerat anguis.
Nos confessorum prece dirige, Christe, tuorum.
Christe puellarum turmis nos iunge sacrarum.
Nostra iuvet vota sanctorum contio tota.

Orat. ms Carthus. Colon. saec. 15. Cod. Colonien. 28. — Diese litania metrica macht ganz den Eindruck, als bestehe sie aus 9 s. g. benedictiones ad lectt. noctt. Indes läfst sich die Sache nur vermuten, nicht nachweisen.

9. De sanctis Angelis.

1. Coram choris angelorum
Vox erumpat canticorum
In carmen laetitiae.
Voci vita sit unita,
Nova laude recensita
Caelestis militiae.

2. In suprema hierarchia
Dulci canunt harmonia
Christo caeli cardines,
Sub electi monarchia
Gaudent novem melodia
Angelorum ordines,
Cum canora symphonia
Celso promunt euphonia
Mellitas dulcedines.

3. Assistentes trini trino,
Canticantes caelestino
Digna dant praeconia
Una throni cum Seraphim
Ministrantes et Cherubim
Regis ad obsequia

Intendentes sapientes,
Iusta quoque decernentes,
Praesident in gloria.

4. In secunda hierarchia
Clamant „Vale, vitae via,
Qui das tuis praemia“
Potestates et virtutes,
Dominationes, duces
Patrantes magnalia;
Dominantes orbem ferunt,
Potestates bella gerunt,
Virtutes prodigia.

5. In extrema hierarchia
Radiante luce dia
Sunt, qui nos custodiunt,
Principatus principantes,
Archangeli revelantes,
Angeli subserviunt.

6. O quam mira theoria,
Quod sub trina hierarchia
Praeter trinos ordines
Caelum terris reseratur,
Ut mens nostra rapiatur
Supra caeli cardines.

7. Horum prece, pater patrum,
Deus homo, frater fratrum,
Pone nos in gloria,
Et tu, virgo, mater matrum,
Confer lucem tollens atrum
In caelesti curia.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343. anni 1351. — 2, 7 cum corona. — 3, 7 Incedentes. — 3, 8 Iuxta quodque.

10. De sanctis Angelis.

1. O virtutis infinitae
Artifex, aeternae vitae,
Tu conditor spirituum,
Ordinasti expolite
Novem choros trium rite
Ierarchicorum situum.

2. Unaquaeque ierarchia
Agmina sortitur tria
Distinctis cum nominibus,
Per hoc datur clara via,
Ut credaris mente pia
Unus trinus hominibus.

3. Ad hos facis sublevari,
Qui virtute pollent pari
Ex omnibus terrigenis,
Qui te debent contemplari
Et a quibus vis laudari
Iugiter cum caeligenis.

4. Fac nos pios, gratiosos,
Proximis obsequiosos,
Ut pares simus angelis.
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

5. Nos compassione mentis
Cum bonorum incrementis
Aequa virtutum statibus;
Da vim hostis saevientis
Resistendi temptamentis
Similans potestatibus.

6. Fac, ut mundo elucremur,
Principatuum aequemur
Sic sanctis stationibus;
Da, ut carni dominemur,
Qua subacta gloriemur
Cum dominationibus.

7. Per sinceram aequitatem
Ad thronorum paritatem
In cunctis nos rectifica;
Per noscendi claritatem
Ipsam puram veritatem
Nos Cherubim parifica.

8. Inflammati zelo toti
Pares simus impermoti
Sic ordini Seraphico;
His, o Deus, culpis loti
Conscribamur tamquam noti
In libro theographico.

9. Est beatum supergresse
Sanctis choris interesse
Spirituum et hominum,
Ubi vident tam expresse
Et collaudant indefesse
Semper te sanctum Dominum.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — Nach 4, 3 fehlt eine auf die Erzengel bezügliche Halbstrophe. — 8, 4 clypeis loti. — 9, 4 Ubi videtur.

11. De sanctis Angelis.

1. Seraphim, quae sunt amanda
Ardenter et honoranda,
Nos faciant diligere.

2. Cherubim, quae sunt scienda
Et quae sunt intellegenda,
Nos faciant percipere.

3. Throni, quae sunt iudicanda
Iuste sunt et discernenda,
Nos faciant advertere.

4. Dominationes pravis
Documentis pravae avis
Nos faciant resistere.

5. Potestates mundi vana,
Foeda, fluxa et profana
Nos faciant contemnere.

6. Principatus, corpus prave
Cupit semper quod suave,
Nos faciant perstringere.

7. Virtutes, quae sunt timenda,
Magna mira et stupenda
Nos faciant pavescere.

8. Archangeli, qui proelia
Vincunt et portant lilia,
Nos faciant hoc facere.

9. Angeli, bona qui portant
Cordi nostro et confortant,
Nos faciant recipere.

Cod. Univ. Patavin. (ol. S. Iustinae) 1328. saec. $^{14}/_{15}$. — 5, 1 vana mundi.

12. De sanctis Angelis.

1. O milites angelici,
Robusti custodes nostri,
A ruina praeservati
Et in dono confirmati,

2. Nobis semper assistite
Nunc in vita et in morte,
Ut abiciamus malum
Et perficiamus bonum,

3. Hostesque nostros crudeles,
Carnem, mundum et daemones
Vincamus semper fortiter,
Ne ruamus letaliter.

4. Corda nostra et corpora
Vestra servate tutela
In Deo semper tranquilla
Et proximis utilia.

5. Quare nulla nos prospera
Inflent nec frangant adversa,
Sed ad Deum et homines
Sancte simus conversantes.

Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. A. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20124. B.

13. Ad s. Angelum Custodem

ante sacrum oratio.

1. O beate angele,
   Comes generose,
   Comes individue,
   Dux solaciose,
   Ambulans in croceis,
   Dei commensalis,
   Affluens deliciis,
   Comes socialis.

2. Eia, vivum speculum
   Summae claritatis,
   Nobile signaculum
   Sanctae trinitatis,
   Veni ad delicias
   Omnium sanctorum,
   Ad regales epulas
   Regis angelorum.

3. Veni ad convivium
   Regis delicatum,
   Contrectemus inclitum
   Verbum increatum,
   Panem suavissimum
   Pariter ēdemus,
   Uvae meracissimum
   Sanguinem bibemus.

4. In hoc sacrificio
   Diligens observa,
   Ne qua cogitatio
   Turpis aut proterva
   Mentem meam obruat
   Mole peccatorum,
   Neque intus polluat
   Flamma vitiorum.

5. Quaero neglegentiam
   Nullam committamus,
   Summam diligentiam
   Hic adhibeamus,
   Imbecillem adiuva,
   Debilem sustenta,
   Ructuent praecordia
   Gratiae fluenta.

6. Esca suavissima
   Tecum satiatus
   Maneam in gratia
   Dono Dei gratus,
   Ut per hoc viaticum
   Transeam securus
   Ad caeleste bravium
   Tecum gavisurus.

7. Ubi pro victoria
   Mundi consolamen
   In aeterna gloria
   Detur nobis. Amen.

Orat. ms. S. Albani Treviren. saec. 15. Cod. Treviren. 199.

14. De s. Angelo Custode.

1. In virtute maiestatis
   Illa, virtus angelica,
   Sub cuius sum custodiis,
   Mea te clamat anima.

2. Omni tua dulcedine
   Semper praesens me refove,
   Sit tua vigilantia
   Mihi semper melliflua.

3. O tu mi princeps angele,
   Cuius sacrae potentiae
   Me commisit divinitas,
   Quam colit christianitas,

4. Inter coetus angelorum
   Te veneror ut proprium,
   Inter coetus fidelium
   Tu me custodi proprium.

5. Tu familiarissimus,
   Tu sis mihi continuus
   Et familiarissimum
   Fac me tibi continuum.

6. Horis, momentis omnibus
   Mihi fias assiduus,
   Per omne vitae spatium
   Me fac tibi assiduum.

7. Mentem meam tu protegas,
Corpus meum custodias,
Nihil adversi noceat,
Sed vis tua me foveat.

8. O quam mihi dulce esset,
Te videre, si liceret,
Si liceret osculari
Tui pedem vestigii.

9. Hic, precor, ut me diligas
Totumque te exhibeas,
Repellas adversarium,
Veritatis inimicum.

10. Per abrupta vitiorum
Si me ire perspexeris,
Pie reduc ad Dominum
Per catenam caritatis.

11. Non accuses infestanter,
Sed mulceas temperanter
Et de fonte maiestatis
Stillam funde pietatis.

12. Ut, quod meritis nequeo,
Tua sancta precatio
Obtineat apud Deum,
Qui corda novit omnium.

13. Hostis invidi callidas
Tu averte insidias,
Fraudes eius evacua,
Me tuum semper adiuva.

14. O mi custos dulcissime,
O mi custos carissime,
Serva sacras vigilias,
Ne expugnet impietas.

15. Et si permittit iudicis
Summe benigna pietas,
Notum diem meae mortis
Mihi, precor, ut facias.

16. Cum transibo de corpore,
Tu me potenter erue
Ex daemonum potestate
Et duc ad regem gloriae.

17. Ante cuius pium vultum
Me defenses excusatum,
Obtineas et veniam
Et praedulcem clementiam.

18. Quidquid hostis malitia
Accusarit, evacua,
Ne valeat pars sinistra,
Sed evincat pars dextera.

19. Ut gaudeam de gratia
Mihi per te exhibita,
Tu vero de custodia
Congaudeas ministrata.

20. In caelesti civitate,
In qua gaudes assidue,
Vultus Christi benignitas
Me foveat et claritas.

Orat. ms. Caelestin. saec. 15. Cod. Meten. 571.

15. De s. Angelo Custode.

1. Veni, creator spiritus,
Et mentem tange caelitus,
Ut sanctum meum angelum
Honorem, laudem, praedicem.

2. Salve, patrone nobilis,
Venuste et spectabilis,
Honoro te, mi domine,
Honore laudis duliae.

3. Sit tibi reverentia,
Laus, honor, excellentia,
Es enim meus legifer
Et contra hostes signifer.

4. Es sidus totum rutilum,
Excellens solis spiculum,
Es lilium pulcherrimum
Florescens ante Dominum.

5. Tua potestas regia
Extendit se ad maxima,
In terra regis homines,
In orco arces daemones.

6. Eia, regalis domine,
Te rogo, in me respice,
Manum iutricem porrige
Et vitam meam corrige.

7. Cor meum serenifica,
Scripturae sensum resera,
Ad bonum mentem excita
Et vitiosa computa.

8. Temptatum clemens adiuva,
Aufer a me erratica
Et totam vitam perfice
Ad regulam iustitiae.

9. Fac fructus paenitentiae
Dignos in vita agere,
Ne culpis exigentibus
Disiungar a caelestibus.

10. In hora mortis ultima
Assiste per auxilia,
Fac me victorem omnium
Malorum occurrentium,

11. Ut tecum tandem gloriam
Nanciscar post victoriam,
Et creatorem entium
Laudemus in perpetuum.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19636. saec. 15.

16. De s. Angelo Custode.

1. Ave, custos mihi datus,
Dum per Christum sum vocatus
Ad baptismi gratiam,
Dulcis angele, procura,
Ut ad gaudia ventura
Te duce perveniam.

2. Fove, protege, defende,
Arma, scutum apprehende,
Meos hostes contere,
In praesenti et futuro
Angelorum vallo, muro
Me digneris cingere.

Orat. ms. Augustinum saec. 15. Cod. Cremifanen. 413. — 1, 4 O dulcis angele mihi. — 2, 1 Refove. — 2, 2 et scutum.

17. De s. Angelo Custode.

Angele, qui meus es custos pietate superna,
Me tibi commissum serva, defende, guberna,
Terge meam mentem vitiis a labe veterna
Assiduusque comes mihi sis vitaeque lucerna.

Orat. ms. Italicum. saec. 15. ex. Cod. S. Ignatii Londinen. s. n.

18. De s. Angelo Custode.

1. Gratulare, ave, care,
Angele dulcissime,
Salve, curam profuturam
Meae agens animae.

2. Te deposco, quem cognosco
Me satis diligere,
Quod digneris nec lasseris
Pro me preces fundere.

3. Ut ab hoste et a peste
Me Christus eripiat
Et gaudere, te videre
Me in caelis faciat.

4. Et coronam tibi bonam
Pro mei custodia
Det Mariae natus piae
In superna gloria.

Cod. Londinen. Ar. 201 saec. 13.

19. De sanctis Apostolis.

1. O viri apostolici,
Legislatores incliti,
Vestris orationibus
Precate nobis veniam.
2. O vera mundi lumina,
Lustrate cordis intima,
Ut sciamus sagaciter
Vitare mundi prospera.
3. O saecli iusti iudices,
Sancte iusteque vivere
Ob pia vestra merita
Mereamur hilariter.
4. O lampades duodecim,
Fundamenta ecclesiae,
Firmate eam dogmate
Thesauris sapientiae;
5. Fortis in bello iugiter
Contra serpentis aciem
Sit circumspecta undique,
Ne foedetur peccamine.
6. Tenunc, redemptor, quaesumus,
Ut ipsorum consortio
Iungas precantes servulos
In sempiterna gloria.

Orat. ms. Tegurinum anni 1467. Clm. Monacen. 19991.

20. De sanctis Evangelistis.

Quo sine fine manes, perduc nos, sancte Iohannes,
Sis nobis, Marce, caelestis gradus in arce,
Ablue cuncta reae mala mentis, sancte Matthaee,
Quo lucet Lucas, nos, Christe mitissime, ducas.

Miss. ms. Altovadense saec. 12. Cod. Altovaden. CXII. add. saec. 13. — „Versus isti pretiosi sunt per manus Marcelli scriptoris.“

21. De s. quattuor Doctoribus.

O doctores spiritales
Quattuor vos principales,
Nominatim bene noti
Illucetis mundo toti.
5. Excellenter instar solis
Documentis absque dolis.
Sicut mundo nil prodesset,
Si lux solis non adesset
Sic omnes excaecaremur,
10. Si per vos non doceremur;
Vestra dicta, scripta, facta
Puris veris sunt compacta,
Sanctae vitae tenent formam,
Recti iuris praebent normam,
15. Et doctrinis firmitatem
Dant per puram veritatem.
O magistri scripturarum,
Summi correctores harum,
Vera dicto confirmando,
20. Falsa prorsus refutando,
Exponendo dubiosa,
Nunquam fallit vestra glosa.
O quantum nos honorare
Vos tenemur et amare,
25. Qui hausistis nobis mella
Ex scripturae dura cella,
Triturastis nobis grana,
Quibus corda fiunt sana,
Et quae nos ad vitam pascunt,
30. Ubi nulla veterascunt.
Defensores veritatis,
Vastatores pravitatis,
Mallei haereticorum,
Lucernae catholicorum.
35. Vos sal terrae et lux orbis,
Medici a cunctis morbis,
Domus Dei provisores,
Vigiles dispensatores,
Commonentes Christi gregem,
40. Ut divinam servent legem.

Papa sancte, o Gregori,
Plus virtutum instas mori,
Augustine disputator,
Profundorum es scrutator,
Ieronime, tu es verus
Interpres, translator merus.
Es sermonis, o Ambrosi,
Summe firmi, minus rosi.
Summae gemmae vos doctorum
Et coronae confessorum,
Praedicantum firmamenta
Per sermonum ornamenta,
Brevi fine ut concludam,
Veritatem fertis nudam.
Hinc patroni hic electi,
Deo plebique dilecti,
Vos amantem instruatis
Veram viam caritatis,
Per quam sperat vester verna
Bene duci ad superna,
Ubi plena est sophia
In fruitione dia,
Nam semel Deum vidisse
Iam est cuncta didicisse.
Ut vos queam invenire
Et vobiscum cuncta scire,
Illuc vestrum per iuvamen
Me perducat Deus. Amen.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. A. — Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. B. — 7 mundos A. — 9 nos omnes B. — 12 Lies: Puris verbis? — 13 normam A. — 14 formam A. — 19 dicta A. — 26 ff. fehlen B, weil ein Blatt der Hs. ausgerissen.

22. De s. quattuor Doctoribus.

1. Papa beatissime,
nobilis Gregori,
Fac me, pater inclite,
ita mundo mori,
Quod placere valeam
meo creatori,
Ne amittam gaudia
supernorum chori.
2. Tu excellentissime
doctor Augustine,
Fac, ut digne serviam
caelorum reginae,
Ne cadam in laqueos
fraudis Sataninae,
Sed in caelis gaudeam
tecum sine fine.
3. Praesul praeclarissime
doctorque Ambrosi,
Fac, ut me non maculent
actus criminosi,
Nec in me praevaleant
hostes tartarosi,
Mihique non noceant
daemones exosi.
4. O felix Ieronyme,
scripturae translator,
Per te pius conditor
meus sit amator,
Ut non apprehendat me
callidus temptator,
Sed tuis piis meritis
salvet me creator.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20132.

23. Memore des saintes privilegiés.

I.

1. Dionysi, radius Graeciae,
Fide regnum illustrans Franciae;
O Georgi, miles egregie,
Hostem vincens armis potentiae.

2. Christophore, tinctus in sanguine,
Christum ferens umeris flumine;
Blasi, praesul vivens purissime,
Plagas curans carnis et animae.

3. O Aegidi, cum feris habitans,
Regis crimen Karoli recitans,
Cum sociis, quod peto flagitans,
Sis, ne malis his sim periclitans.

II.

4. Katharina, tyrannum superans,
Doctos docens et rotas lacerans;
Margareta, te castis foederans
Et draconis latera reserans;

5. Martha, Christum domi reficiens
Et draconem victum eiciens;
O Barbara, idola fugiens
Tormentorum poenas despiciens;

6. O Christina, deos despiciens
Et de Christo victimam faciens:
Impetrate, quod sit compatiens
Deus mihi, vos peto totiens.

Orat. ms. Gallicum saec. 15. Cod. Vatican. 3767. A. — Orat. ms. Gallicum saec. 15. Cod. Parisin. 1347. B. — 1, 1 Dionysius A. — 1, 2 Regnum regnans A. — 2, 3 vincens A. — 3, 2 Crimen regis A. — 5, 1 domo A; deiciens B. — 5, 3 Ab idolis Barbara fugiens, Verbesserung B. — 6, 3 sim A. — Die ersten drei Strophen vgl. bei Mone III, 268. Aufschrift aus A; in B: „De quinque sanctis, quibus datum est summum privilegium.“

24. De sancto Aegidio.

1. Exstas, vir egregie,
Oriundus Graeciae
Partibus Athenis,
Genus ducis nobile
Theodoro patre nomine,
Pelagia matronis.

2. Iamque tunc dispositus
Aevo tener spiritus
Ad haec rudimenta,
Dum doctores laicos
Vincis et grammaticos
Gratiae per fluenta.

3. In templo pergis propere,
Nudum ditas opere
Veste sibi data,
Ubi aeger munere
Vestitur in corpore,
Passio fugata.

4. Sicque ab ecclesia
Dum hinc redis in via
Nuper a serpente
Gerens membra tunc laesa,
Sed oratione fusa
Sanas hunc repente.

5. Raptus a daemonio
Clamitat Aegidio:
Hac me, pater, quare
Exire daemonio
More iubes solito
Hinc nec remeare?

6. Cumque multa talia,
Haec et his similia
Graecis ostendisses,
U . . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

7. Sicque pergis naviter
Arelaten, pariter
Cum tuis consedes
Susceptusque hilariter,
Hospitae sed graviter
Natam vexat febris,

8. Cuius prece solita
Rogat te Theotrica,
Natae ut succurras,
A te sana reddita,
Matri quoque tradita,
Eremo te curvas.

9. Namque Veredemio,
Tibi par in praemio,
Diu adhaesisti.
Die quadam languido
Curam praestas subito,
Frequenter ut fecisti.

10. Intras tunc secretius
Eremum quantocius
Et gaudenter cernis
Tibi cervam divinitus,
Cuius lacte alitus
Es et terrae herbis.

11. Cum adis regem Carolum,
Quendam energumenum
Liberas in via,
Egressus dehinc filium
Principis iam mortuum
Suscitas ad vitam.

12. Lugensque rex facinus
Perpetrasse hactenus
Metuit fateri,
Egidio cum precibus
Commendavit artius,
Petens haec deleri.

13. Sed vir Dei caelitus
Agnovit regis facinus
In schedula allata.
Tuis quisque precatibus
Peccans non ulterius
Gaudet venia data.

14. Igitur te petimus,
Aegidi, cum fletibus
Per haec tua dona
A culpis, quas fecimus,
Liberari caelitus
Per acta tua bona.

15. Longum est et reliqua
Narrari et actita,
In mundo quae gessisti,
Ergo, caeli incola,
Laxa nostra peccamina,
Regi ut fecisti.

16. Tecum simus caelica
Recepturi praemia,
Christus ut promisit;
Vivens per haec saecula
Cum patre gubernacula
Tenet, ut praedixit

17. Semper et nunc iudicat
Saeclum, quod redemerat,
Substantia una.

Cod. Palat. Vindobonen. 3301. saec. 16. in. — 4, 2 Dum fehlt. — 8, 5 Matrique. — 10, 4 divinis. — 13, 3 in cedula. — 17, 2 quem redemerat. — Akrostich: Egidius Grecus scandit caelestia letus.

25. De sancta Agnete.

1. O si possem et si nossem,
Mira libens promerem,
Ad honorem et decorem
Resultando psallerem
Gloriosae, pretiosae
Agnetis Christi virginis,
Cuius festa, cuius gesta
Mirae sunt dulcedinis.

2. O miranda et laudanda
Summi regis filia,
Rubens rosa, speciosa,
Cuius odor lilia
Vincit nimis, me ab imis
Relevari penitus,
Irrigari et firmari
Fac cor meum caelitus.

3. O Romana mis patrona,
Stirpe nata nobili,
Felix Agnes, fortis magnes,
Assis mihi labili;
Pauper ego te non nego,
Mihi fac dulcissimam
Sciens vere te habere
Mentem benignissimam.

4. Quam amoena, quam serena
Sion haec iuvencula,
Quam amavit et ornavit
Manens rex per saecula;
Mi dilecta et collecta
Tu de spinis rosula,
Carens felle, plus quam melle
Dulcior puellula.

5. Servum tuum, qui cor suum
Tibi dedit, respice,
Diligenter et libenter
De me, sancta, prospice;
O quis sciet, quantum fiet
De te mihi gaudium,
Transiturus et iturus
Quando sum ad bravium.

6. Tuus ero, non despero,
Scio, quod non despicies
Me indignum, hoc in signum
Caritatis facies,
Vultu rubens, sponso nubens,
Agno Dei filio,
Rubicundo qui iucundo
Locans te in solio.

7. Imperare et regnare
Fecit te quam prospere,
Adiuvare me dignare,
Mater mea, propere,
Dives donis, me de bonis
Imple fundens nocua,
Si accedis, non recedis
A dilecto vacua.

8. Quem vidisti, quem quaesisti
Tuo tincta sanguine,
O felicem te victricem,
Quo extollam carmine?
Quae unxisti et traxisti
Meum cor radicitus,
Ut erectum et directum
Amet te medullitus.

9. O quam suavis et non gravis
Amor hic illabitur,
Libens vero lactus ero,
Tecum si morabitur
Placens Deo, cordi meo
Tu amoris oculus,
Dulcis tota, lacte lota
Paradisi flosculus.

10. Geris sertum tu confertum
Flore decentissime
Et post matrem summum patrem
Sequeris laetissime,
O mi dea, in te mea
Anima laudabitur,
Semper tibi hic et ibi
Cor meum parabitur.

11. Dulcis plane mentis sanae
Tui recordatio,
Valde pia tu es quia,
Mea gloriatio,
Quam iucunda, quam profunda
Tua laus et gloria,
Et haec digne, quae in igne
Aurum fis de scoria.

12. Vas insigne, quod condigne
Vili de materia
Deus fecit et perfecit
Laude multifaria,
Violeti et roseti
Locus es et plantula,
Tu salutis et virtutis
Doctrix es et formula.

13. Margaritum exquisitum,
Agnes, virgo nobilis,
Super aurum et thesaurum
Omnem delectabilis,
O beata, Deo grata,
Candens, fraglans lilium,
Magnum magna, agnum agna,
Sequens Dei filium.

14. Quorsum vadit, non evadit,
Cursum velox sequeris.
Roborari, non lassari
Ab hoc cursu poteris;
O quam plaudis, quando audis:
Surge, sponsa, propere,
Tibi gratum et amatum
Sponsum circumplectere.

15. Quis, benigne Iesu, digne
Hoc edicat gaudium,
Agnes freta quo iam laeta
Nullum habens medium,
Quo dilecto et electo
Fruitur ex milibus,
Concupitis et mellitis
Haerens in amplexibus.

16. Felix illa, de ancilla
Quae sic liber redditur,
Ut sponsetur, copuletur,
Cui mundus subditur;
Felix ausus et adplausus,
Omni laude pulchrior,
Tuus tibi cum se sibi
Dulci iungit dulcior.

17. Puellare singulare
Decus decentissimum,
Per amorem et dulcorem
Peto iucundissimum,
Quo abundas, ut effundas
Pro me preces misero,
In te spero, tuus ero,
Nam etsi peccavero,

18. Tuum erit, nemo perit,
Pro quo tu rogaveris,
Non cessabo, sed orabo,
Donec me audieris;
Tu in Deo cordi meo
Facta es iucunditas,
Hilarescit, cum quiescit
In te mea caritas.

19. Tu scis sane, quod te plane
Toto corde diligo,
Excusare tu dignare
Bona, quae heu negligo,
O puella mea bella,
Et incursus hostium
Tu fugato tribulato
Mihi dans auxilium.

20. Pondus porta, me conforta
Et, ne lassus peream,
Meum cursum rege sursum,
Quo te semper videam,
Ut sim tecum et tu mecum
In Dei tunc praesentia,
Quod praestare ac donare
Dignetur rex per saecula.

Cod. Sangallen. 520. anni 1436. A. — Clm. Monacen. (ol. Augustan.) 3577. saec. 15. B. — 3, 1 bis 4 incl. fehlen B. — 3, 6 fac fehlt B. — 4, 8 puella B. — 5, 8 pravium A. — 6, 4 Pietatis facies B. — 6, 5 sponso fehlt B. — 7, 6 Implens bono nocua B. — 7, 7 Si accedes, non recedes B. — 8, 2 tracta sanguine B. — 8, 3 O felicem et nutricem A. — 8, 4 Quam extollam B. — 8, 5 Lies vinxisti? — 8, 8 modellitus B. — 9, 1 et fehlt B. — 9, 8 flosculis A. — 10, 1 Seris sertum A. — 10, 3 sq. fehlen B. — 10, 6 Lies laetabitur? — 11, 1 Lies menti? — 11, 7 haec fehlt B; quam in AB. — 11, 8 Aurum sis AB. — 14, 4 Ad hoc cursum A; ex hoc cursu B. — 15, 5 Pro dilecto B. — 16, 2 libera A. — 16, 6 dulcior B. — 16, 8 Dulcem A.

Dilectus iungit pulchrior B. — 17, 3 decorem B. — 17, 5 et effundas B. — 17, 8 si fehlt B. — 20, 2 peream lassus B. — 20, 5 sqq. fehlen B. — 20, 7 Quod precare et dignare A. — Am Schlusse B:

Ut ferrum magnes, sic ad se me trahit Agnes.

26. De sancta Agnete.

1. Ave, Agnes generosa,
Romanorum rubens rosa
Prodiens ex genere,
Quae aetate tenerosa
Claruisti fructuosa
In virtutum opere.

2. Docta fide christiana,
Simulacra spernens vana
Suis cum dulcoribus,
Parvipendens post mundana,
Deum docens mente sana
Venerandum omnibus.

3. Me in fide serva recta,
Dulcis virgo, mi dilecta,
Te exoro precibus,
Caritate da perfecta
Deum, per quem es electa,
Colere prae omnibus.

4. Ave, Agnes verecunda,
Casta, pura, tota munda
Criminum a vitiis,
Temptamenta furibunda,
Hostem vincis laetabunda
Dei beneficiis.

5. Spreto sponso saeculari
Polluenda lupanari
Duceris malitia,
A quo nequis inquinari
Custodita singulari
Angeli custodia.

6. Dulcis virgo et decora,
Deum pro me semper ora,
Te instanter rogito,
Et servare me labora
Impollutum omni hora,
Ad te, pia, clamito.

7. Ave, Agnes pulchra tota,
Intus, foris sine nota
Omnis immunditiae,
Firma mente ac devota
In adversis non fis mota
Tramite iustitiae.

8. Ignis flamma tormentata
Et acerbe flagellata
Es pro Christi nomine,
Post cervice detruncata,
Martyr Deo consecrata
Proprio in sanguine.

9. A te, virgo mitis, peto,
In adversis vultu laeto
Confer patientiam,
Post caelorum in secreto
Corde mihi cum quieto
Dona permanentiam.

10. Ave, Agnes fructuosa
Tua morte pretiosa
Facta Christi hostia,
Peccatorum gratiosa,
Universis dulcorosa
Positis angustia.

11. Iam in caelo collocata,
Stola alba decorata
Agnum sine macula
Sequens, laude praemiata,
Cum Maria deputata
Es nunc digna famula.

12. Magnam in te spem habentem
Tuum Agnes ad clientem,
Supplico, nunc respice,
In peccatis dormientem,
Usque huc non paenitentem,
Pia, tu non despice.

13. Sed festina tua prece
Liberare me a faece
Peccatorum omnium,
Ne aeterna damner nece,
Sed caelestis apothecae
Dignum fac me socium.

14. Ut de dulci tecum vino
Caritatis in camino
Laete queam bibere,
In caelesti crystallino
Abs timore serpentino
In aeternum vivere.

Diurn. Misnense imp. Lipsiae 1511. — 5, 3 ex malitia. — 8, 1 tormenta. — 14, 4 Et in caelesti.

27. De sancta Agnete.

1. Gaude Christi sponsa, Agna,
Quae mundi transisti stagna
Dulci cum constantia;
Gaude, quod, cum nudabaris,
Crine magis tegebaris
Speciali gratia.

2. Gaude, quod in lupanari
Te non permisit foedari
Angeli custodia;
Gaude, per te suscitatur
Iuvenis, qui necabatur
Satanae nequitia.

3. Gaude, quod flammam urentem
Vicisti te non nocentem
Salvatoris gratia;
Gaude, quod transgutturata
Et cruore laureata
Mercaris caelestia.

4. Gaude, quod perdendo mortem
Invenisti vitae sortem
Felici victoria;
Gaude, Christo sociata,
Duc nostra delens peccata
Nos ad caeli gaudia.

Collect. ms. Campoliliense saec. 14. Cod Campolilien. 40. A. — Orat. ms. Augustinum saec. 15. Cod. Cremifanen. 413. B. — 1, 1 sponsa Christi A; Christi sponsa Agnes beatissima B. — 1, 5 magis quam amictu. — 2, 4 Gaude, quod per te B. — 2, 5 necatur B. — 4, 5 Duc nos delens B. — 4, 6 Ad aeterna gaudia B.

28. De sancta Agnete.

Ave, virgo generosa,
Ave martyr gloriosa,
Agnes, rubens velut rosa.
Ave, Christi sponsa vera,
5. Ave, mitis et sincera.
Agnes, virgo Deo digna,
Christo prece me consigna,
Preces audi peccatoris,
Ut me mundet intus, foris.
10. Preces audi, praesta votum,
Cor in bono fac immotum,
Confer mihi cor contritum,
Rege visum et auditum,
Rege gustum et olfactum,
15. Virgo sancta, rege tactum,
Ut in cunctis te regente
Vivam Deo omni tempore.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Sangallen. 520.

29. De sancto Albano.

1. O Albane, Deo grate,
Coram tua sanctitate
Mihi, tuo servulo,
Clemens esto supplicanti
Et succurre deprecanti,
Ut sic in hoc saeculo

2. Christo possim militare,
Ne a cultu deviare
Videar iustitiae.
Mundo isto consummato
Et antiquo debellato
Principe malitiae,

3. Te rectore teque duce
Regnum Dei plenum luce
Introire valeam,
Ubi sanctam trinitatem
Eiusdemque maiestatem
Sine fine videam.

4. Martyr pie, martyr bone,
Pie pater et patrone,
Me iuvare propera,
Ut adversa me non laedant,
Sed nec prosperis succedant
Mihi semper prospera.

5. Audi, quaeso, preces meas
Clementerque offer eas
Ante regem gloriae,
Pro quo mortem amplexatus
Nunc refulges laureatus
Corona victoriae.

6. Gloriose martyr Dei,
Miserere, precor, mei,
Peccatoris miseri,
Roga fontem pietatis,
Ut me salvet a peccatis
Et a poenis inferi.

7. Martyrum flos Anglicorum
Et coheres angelorum,
Mihi posce veniam
In delictis, quibus premor,
Apud Christum mei memor,
Eius ut per gratiam

8. Sibi digne deservire
Possim hic et hinc transire
Ad caelestem patriam,
Ubi tecum gratulari
Merear et contemplari
Divinam praesentiam.

9. Ora, martyr, pro me Deum,
Ne me damnet tamquam reum
In die novissimo,
Sed mundatum a peccatis
Collocet me cum beatis
In regno clarissimo.

Orat. ms. Anglicanum saec. 13. Cod. Londinen. Ar. 201.

30. De sancto Alberto.

O mi sancte pater, Alberte, vir inclite, salve,
Salve, dans miseris saepe salutis opem.
Salve, dulce decus, salve, spes magna tuorum,
Virtus nostra, vale, vir pietatis, ave.
5. Sit tibi laus, tibi dignus honor, tibi gratia detur,
Qui, licet indignis, das bona saepe reis.
Infirmis medicus, tu sors praegnantibus et spes,
Naviticis portus naufragiisque salus.
O quot saepe malis, quibus hostibus atque periclis
10. Nos, pater, ereptos prosperitate foves.

Nil, tibi quod dignum, pater optime, reddere quimus,
Qui nostris votis saepe favere soles.
Mitis mire pater, miseris miserere benigne,
Ut potes atque soles, auxiliare tuis.
Esto tuis monitor Carmelitisque magister,
Ut vitium vitent, posce, beate pater.
Ut cito proficiant, pro servis iugiter ores,
Ut meritis valeant praemia iusta sequi.
Nosque tuo Domino servos fac esse fideles
Et duplicata sibi ferre talenta sua,
Sicque tuis precibus mereamur gaudia vitae,
Quae dabit ipse suis dicturus fine „Venite".

Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 211.

31. De sancto Alexio.

1. Ut inter spinas lilium
Beatus Alexius
Iuxta Christi consilium
Floruit prospectius,

2. Mundanas dum delicias
Affectu toto sprevit
Et ad veras delicias
Anhelare decrevit,

3. Sequens Christum humiliter
In hac vita mortali,
Cum quo nunc gaudet iugiter
Gaudio aeternali.

4. Licet honore fulserat
Terrenae dignitatis,
Cordintime contempserat
Amator castitatis.

5. Propter Christum portaverat
Onera paupertatis,
Quem intime dilexerat
Dulcore suavitatis.

6. Hic in praesenti stadio
Cum hoste trino dimicat,
Accinctus Christi gladio
Fortiter et superat.

7. Spe, fide caritateque
Viriliter armatus,
Quarum firmo tutamine
In bello confortatus.

8. In tali sic militia
Hostes suos stravit,
Vitam per exercitia
Virtutum consummavit.

9. In domo patris latuit
Et vilis reputatus,
Inter sanctos, ut patuit
Post mortem, deputatus.

10. Te deprecor, piissime
Amice Iesu Christi,
Me peccatorem dirige
In ista valle tristi.

11. Spatium paenitentiae
Clementer impetrare
Apud regem clementiae
Digneris et donare,

12. Ut ista transitoria
Valeam pertransire,
Tecum aeterna gaudia
In aevum possidere.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. — 1, 4 prospexius — 7, 1 Ope fide.

32. De sancto Ambrosio.

1. O Ambrosi, serve Christi,
Confer tuo servo tristi
Mala sua hic deflere,
Semper Christo adhaerere.

2. O vas mundum et politum,
Gemmis veris insignitum,
Reple mentem puritate,
Vitam meam bonitate.

3. Ne me gravet caro, mundus,
Hostis quoque furibundus,
Ut post haec transitoria
Tecum sim in gloria.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29.

33. De sancto Andrea.

1. Salve, lumen radiosum,
Novum sidus luminosum,
Lumen dans fidelibus,
Andrea, Christi famulus.

2. Salve, crucis praedicator,
Verbi Dei seminator,
Per virtutem sanctae crucis
Praesta nobis viam lucis.

3. Salve, salutis nuntius,
Mundo missus divinitus,
Regnum Dei praedicare
Et, quod iustum sit, amare.

4. Salve, vivus aquaeductus,
Quem non laesit maris fluctus,
Nec tempestas nec procella,
Neque minae neque bella.

5. Salve, miles Christi fortis,
Nam de portis dirae mortis
Multam gentem attraxisti
Per virtutem crucis Christi.

6. Salve, vitae verus testis,
Dulcis sonus et caelestis,
Lucerna fide fulgida,
Laeta pandens gaudia.

7. Salve, caelestis cithara,
Sonorosa, melliflua,
Per quam evangelium
Corda replet fidelium.

8. Salve, praeco summi regis,
Fulgens forma novae legis
In valle hac miseriae
Iter pandens gratiae.

9. Salve, oliva pietatis
Toti mundo stillans gratis
Oleum laetitiae
De vena fontis gratiae.

10. Salve, doctor veritatis,
Per virtutem caritatis
Multos Christo sociasti,
Quam in corde conservasti.

11. O amator crucis Christi,
In qua Deo obtulisti
Corpus tuum tam beatum
Propter Christum Dei natum.

12. Quem cernebas tunc praesentem
Cum suis sanctis venientem
In divina maiestate
Magna lucis claritate.

13. In qua luce tradidisti
In pias manus Iesu Christi
Tuum sanctum spiritum
Ad praeparatum gaudium.

14. Post occasum huius lucis
Nobis fructum sanctae crucis
Cum beatis propinare,
O Andrea, Christi care.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Qod. Berolinen IV° 29.

34. De sancta Anna.

1. O beata mater, Anna,
Plenae matris gratiae,
Quae mundo non parit manna,
Sed fructum laetitiae.

2. Panem, inquam, angelorum
Sola virgo parturit,
Quae delicti nescit thorum,
Mea quem mens esurit.

3. Tibi supplex preces fundo,
Tu eas suscipias
Et malorum de profundo
Me clemens eripias.

4. Roga, mater, matrem Christi,
Quae virago genuisti
Incorruptam virginem,
Ut haec sancta genitura
Oret pro me prece pura
Et Deum et hominem.

5. Quae conservet in me gratum
Caelibemque famulatum,
Ut sibi complaceat
Et me semper illibatam
Sponsam tibi consecratam
Homo Deus habeat.

6. Ad nepotem tuum clama,
Sicut tua clamat fama,
Ut me nunquam deserat,
Sed reformet signis datis
Ornamentum castitatis,
Quod a morte liberat.

7. Anna felix, Anna dives,
Inter summos caeli cives,
Quae vocaris gratia,
Fac, ut grata vivam Deo
Castitatis cum tropaeo
Stricta sponsi fascia.

8. O parentis sanctae parens,
Quam Iudaea pluit arens
Irrigata caelitus,
Quae de spina es formosa,
Et est nata de te rosa,
Qua Deus est genitus.

9. Pulchre Sion in supernis
Adplaudunt iuvenculae,
Laudem bonis ex aeternis
Dant adulescentulae.

10. Nam congaudent de te natam
Et laudant praeconia,
Hancque prolem propagatam,
Quae restaurat omnia.

11. Ora, mater, ora Deum,
Regem caeli, regem meum,
Ut conversis moribus
Ei possim militare
Et ut rosa pullulare
Procreatis floribus.

12. Si me nequit humilis
Salvare virginitas,
Casta, licet fragilis,
Me salvet humilitas.

13. O praeclara stella poli,
Elongare a te noli,
Quae te vocat iugiter,
Quae te rogat, sis rogata,
Quae te orat, sis orata
Huic misericorditer.

14. Ora pro me filiam,
Quae est mundi domina
Ut per Christi gratiam
Mea solvat crimina,

15. Ne per avaritiam
Inflectar ad idola,
Sed per continentiam
Fiam quasi viola.

16. Inter sacras virgines
Floream ut lilium,
Quae sequuntur caelibes
Agnum, Dei filium.

17. Angelo annuntiante
Ioachim cognovit ante,
Quod Mariam pareres,
Quae est dicta stella maris,
Ut beatior dicaris
Super omnes veteres.

18. Clamaverunt omnes vae, vae
Generationes Evae
Ad haec usque tempora,
Cum de viro concepisti,
Vires unde infixisti
Contra hostes robora.

19. Impetra mihi virtutem,
Quae et prosit ad salutem
Et ad vitae praemia,
Ut contempler vultum Dei,
Quo lux clara est diei
Post devicta proelia.

20. Quod non potest omnis Iuda,
Illam, Anna, carnem suda,
De qua verbum factum caro
Leto subiacet amaro.

21. Salomonis patri David
Deus istud reservavit
Vitae privilegium.
Ut esses de carne sua
Et Christus de carne tua
In forma mortalium.

22. De Moab Ruth, Thamar aeque,
Harum fuit rea quaeque,
Et haec, quae fuit Uriae,
Tua parens et Mariae;

23. Ne desperent peccatores,
Si convertant pravos mores,
Paenitentes dant exemplum,
Sint quam gratum Deo templum.

24. Hac ergo fiducia
Precor, ut iustitia
Me velis induere,
Quia nullo spatio
Est sera conversio,
Si purgetur scelere.

25. Sicca tellus aruit,
Tamen nullus maduit,
Et siccato vellere
Locus madet areae.

26. Sic Iudaea primitus
Est infusa caelitus,
Aruit quae propere
Suo cocta scelere.

27. Sed turba gentilium
Sequens Dei filium
Madet tincta chrismate
Et lota baptismate.

28. Ista nobis unctio,
Ista benedictio
Per te, mater, adfluit,
De qua virga floruit
Tollens mundi scandalum,
Germinans amygdalum,
Cuius fructus infinitam
In supernis parit vitam.

29. Unde Deo, mater Anna,
Proclamandum est Hosanna,
Qui per tua nos merita,
Quae nobis sunt indebita,
Coronet post victoriam
Et praestet caeli gloriam.

Cod. Londinen. (ol. Wintonien.) saec. 12. Vitell. A. XVII.

35. De sancta Anna.

1. O Anna dulcissima,
O felix matrona
O coniunx beatissima,
Coniugii corona,
Per tuum nam coniugium,
Quod est sanctificatum,
Est miseris refugium
A superis allatum.

2. O felix nativitas,
Dum spina parit rosam,
Tu, fidei festivitas,
Fers prophetarum glosam,
Prophetarum glosulae
Completae sunt in illa,
Et nomen huius rosulae
Maria, mellis stilla.

3. Haec generosa filia,
Quam tu paris, Anna,
Cui caeli supercilia
Subsistunt post et manna,
Tu convallis lilium
Paris, Anna, Mariam,
Maria parit filium,
Qui regit hierarchiam.

4. De tali puerperio,
O mater matris, plaude,
Nepotis de imperio
Tu, felix Anna, gaude,
Tu radix Iesse florida,
De qua radice crevit
Frondosa florens virgula,
Super quam requievit

5. Spiritus prudentiae,
Spiritus timoris,
Pneuma intellegentiae
Et caelici amoris.
Cum ceteris virginibus
Refulget fallerata,
Sub umbra sancti spiritus
Notatur fecundata.

6. Ob huius dulcis filiae,
Anna, dilectionem
Peccatorum intime
Peto remissionem,
Salutis fer munimina,
O Christi dulcis ava,
Et abstergendo crimina
Hysopo munda, lava.

7. Tu filiam in gremio
Fers, gerit nata natum,
Hoc salutis praemio
Das saeculum beatum,
De bonis operibus
Firma, salva, bea
Divinisque muneribus
Cor mundum in me crea.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Sangallen. 520. — 5, 8 fecunda.

36. De sancta Anna.

1. Ave, mater virginis,
quae lactavit Iesum,
Ipsum roga propter nos
hic flagellis caesum,
Meum ut custodiat
spiritum illaesum,
Nam erranti animae,
heu, non bene praesum.

2. Noli me despicere
miserum, indignum
Filiaeque filium
mihi fac benignum
Et me sibi facias
servitorem dignum,
Quod evadam daemonum
spiritum malignum.

3. Nato tuae filiae
pie me commenda,
Ut quando sententia
fuerit ferenda
Extremi iudicii,
mea tunc ducenda
In caelum sit anima
sanctis congaudenda.

4. Anna praeclarissima,
placa tuam natam
Nobis peccatoribus,
ut post hanc sublatam
Vitam nos ad patriam
ducat praeparatam,
Quod possimus cernere
faciem beatam.

Orat. ms. Sigismundi Span de Bernstein anni 1477. Cod. Pragen. XIII H 3 b. — 3, 7 fiat anima. — Nach Str. 4 folgt noch die nachstehende nicht zum Gedicht gehörige:

Iesu bone, sic dispone
horam mei exitus,
Ut ad chorum angelorum
meus pergat spiritus,
Ubi tuam faciem
gaudeam contemplari,
Daemonum sed aciem
penitus aspernari,
Ut nulla dissensio
spirituum beatorum
Et nulla confusio
daemonum malignum.

37. De sancta Anna.

1. Ave, Anna, laude magna,
Mater matris summi patris,
O sublimis gloria,
Stirpe David procreata,
Nos salvavit ex te nata
Mater Dei, Maria.
2. Nos credendo id laudare
Et laudando plus amare
Fac, origo gratiae,
Unde coepit fides sana
Et percepit mens humana
Fontem sapientiae.
3. Virgo de te procreatur,
Per quam venit, qui solatur
Omnes in martyrio,
Regis mater generatur,
Per te, Anna, ablactatur
Caelico cibario.
4. Multis multa haec largitur,
Salus vera hic partitur
Omnibus fidelibus;
Virgo mater, Iesu bone
Omnes mortis in agone
Aptate caelestibus.
5. Nos credentes, mater, audi,
Assistentes tuae laudi
Iuva beneficiis,
Tu, quam scimus exaudiri,
Fac nos omnes inveniri
Tecum in deliciis.
6. Eia, Anna, nunc accede,
Roga natam nec recede,
Donec nepos nos a sede
Sancta sua viserit.

Cod. Palat. Vindobonen. 4087. saec. 15. A. — Orat. ms. Underdorfense saec. 15. Clm. Monacen. 7815. B. — 1, 5 salvet A. — 2, 2 plus fac amare A. — 2, 3 Fac fehlt A. — 2, 4 sana fehlt B. — 3, 1 Virgo Dei procreatur AB. — 3, 3 in matrimonio A — 4, 1 Multis multa fehlt A. — 5, 5 nos fehlt A. — Str. 6 fehlt B. — 6, 2 et recede A.

38. De sancta Anna.

1. Ave, Anna, radix Iesse,
Ex te orta est expresse
Virga, quae produxit florem,
Qui salubrem dat odorem
Dulcedinis vivificae;
Ave, caelum, ex quo stella
Luxit, quae in sua cella
Clausit verum solem Christum,
Qui illustrat mundum istum
Interne ac deifice.

2. Salve, arca urnam gestans,
Quae est manna verum praestans,
Vena fontis in Bethlehem,
Quem sitit rex Ierusalem
Prae cunctis claris poculis;
Salve, benedicta tellus,
In qua requievit vellus,
In quod sicut ros descendit
Deus, pacem qui rependit
Iucundam nostris oculis.

3. Gaude, stirps praeclara David,
Unde nobis pullulavit
Tam ingens, tam multus fructus,
Quo fugatur omnis luctus,
Dans dona vitae suavia;
Gaude, namque beatorum
Quinque tu apostolorum
Atque Ioseph, iusti viri,
Sed et summi Dei miri
Carissima es avia.

4. Eia, gaude summa laude,
Quia sanctae tuae plantae,
Tres Mariae, nobis piae
Hanc septenam Deo plenam
Enixae sunt prosapiam;
Cunctis nuptis plus beatā,
Infecundis plus ditata,
Inter matres mulierum
Nulla par est, hoc est verum,
Hinc salutem capiam.

5. Fac me, Anna, dignum manna,
Asta suavis et a pravis
Me tuere, fac habere
Dulce omen tuum nomen,
Quod idem est, quod gratia.
O patrona pia, bona,
Cum tam grata stirpe nata
Me guberna ad superna,
Quo rex praepos tuus nepos
Dat omnibus solacia.

Orat. ms. Epternacense saec. 15. Cod. Luciliburgen. 1. A. — Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. B. — Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521 C. — 1, 10 fehlt A. — 5, 7 Cum tanta grata A. — A hat am Schlusse noch folgende Doxologie angehängt:

Donet hoc nobis pietas paterna
Simul cum nato spirituque sacro,
Ut matris Annae meritis iuvemur
Omne per aevum.

39. De sancta Anna.

1. O beata Anna, clara
Orta ex prosapia,
Sed praeclarior et gnara
Es ex prole regia.

2. Et quis digne quit efferre,
Quanta tibi gloria,
Quod factoris caeli, terrae
Digna exstas avia?

3. Ergo pia nunc matrona,
Pro me, quaeso, filiam
Et nepotem ora prona
Impetrando gratiam.

4. Ut fecundum per affectum
Parvulum concipiam,
Iesum gignens per effectum
Et perfectum nutriam.

5. Et si carne non cognatus,
Sim propinquus spiritu,
Christo canam praesentatus
Caeli cum exercitu.

6. Venienti sit Hosanna
In excelsis Domino,
Et sic tecum, sancta Anna,
Laeter sine termino.

Orat. ms. Underdorfense saec. 15. Clm. Monacen. 7815.

40. De sancta Anna.

1. Salve, salve, praelecta
Trinitati, es effecta
Summi regis filia,
Anna, benedicta mater,
Summi regis matris mater,
Stirpe nata regia.

2. Ante te tunc non est nata
In Iudaea certe nata
Maior et felicior,
De te tamen mundo data
Nata creatori grata,
Multo te beatior.

3. Cuius fructus fructus suavis,
Cunctis levis et non gravis,
Ipsum degustantibus,
Cuius fructu mundus plenus,
Ipsum gustat omne genus,
Se praebet egentibus.

4. Unde vernans paradisus,
In qua noster viret visus,
Diceris, sanctissima,
In qua arbor crevit laeta,
De qua Daniel propheta,
Lata et altissima.

5. Sub qua ferae habitabant,
Peccatores quae signabant,
Aves in ramusculis,
Per quas boni figurantur,
Qui ab ea saturantur
Virtutibus et esculis.

6. Ad hanc omnes quidem currunt
Degustantes et recurrunt
Multis cum virtutibus,
De hac, cara, me gustare
Fac, ut eam adamare
Possim suis nutibus.

7. Ex te surgit flos decoris,
Ex te fluit fons dulcoris,
Omne, quod est optimum,
Tu es, Anna, terra grata,
De qua est aroma nata,
Quod patrum est antidotum.

8. Tu Ezechielis rota,
In qua trinitas hinc tota
Pie reformaverat
Casum facto paradiso
Protoplasto ex eliso,
Quam post te formaverat.

9. Ex te vas illud refecit,
Nec in illo quid defecit
Intus et exterius,
Totum illud deauravit,
Nam in illo laboravit
Trinitas virtutibus.

10. Da, ex vase bibam isto
Virtutes, per quas cum Christo
Regnem in caelestibus,
Ubi sanctus nunc sanctorum
Regnat superno caelorum
Sanctis cum spiritibus.

11. Arca tu es, sancta Anna,
Testamenti, in qua manna
Virgamque recluserat
Moyses, propheta Dei,
Cum ad terram Amorrhaei
Populum deduxerat.

12. In te virga reservata
Fuit, quippe tua nata,
Nata virgo sanctissima,
In qua manna latitavit,
Quod egressum recreavit
Corpora lassissima.

13. Cuius mannatis me, pia,
Participem fac in via,
Cum abhinc abiero,
Ut hinc meum sit conductum
Auferatque a me luctum
Et det, quod desidero.

14. Sidus tu es, quod lucernas
Saeculo donavit ternas,
Natas dum genueras,
Dignior vero duabus
Est Maria filiabus,
Quam amavit trinitas.

15. Per quam Dei verbum, pater
Cuius pius, noster frater
Factus amantissimus,
Quem tu nunc ad me inclina,
Eius de gustu propina,
Qui est suavissimus.

16. Felix hic, qui hunc degustat,
Mundus istum non onustat,
Sed hunc semper sapere,
Fac me ipsum degustare,
Ut hunc queam adamare
Ore, corde, opere.

17. Eia, benedicta ava
Christi, memet tu nunc lava
Cum hac sancta filia
A peccatis et me laete
Adiuvate et docete,
Ut spernam odibilia.

18. Anna, sancta Christi ava,
In extremis me a clava
Daemonis tu libera,
Ut cum tuae natae nato
Gaudens caelo in stellato
Regnem super sidera.

19. Eius vultum et contempler
Secum regnans nunc et semper,
Qui est amoenissimus,
Et ibidem me coronet
Et cum suis dona donet
Iesus benignissimus.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. — 17, 1 sq. Christi ava.

41. De sancta Anna.

Salve, sancta Anna,
Vitae vena, florens palma,
Mater alma,
Domina mitis,
5. Pulchra vitis.
O beatissima Anna,
Tua cum progenie laetare!
Quare?
Quia genuisti
10. Mundo virginem Mariam,
Matrem Iesu Christi;
Ergo gaude,
Digna laude.
O Anna, pelle proelium,
15. Dele moles criminum.
Pacem cunctis praesta,
Qui celebrant tua festa,
Dexteram tuam extende
Et te invocantem defende
20. Ab omni periculo.
Domina serena,
Pietate plena,
Formosa tota,
Mea suscipe vota.

25. Me gemens flendo
tibi, Anna, semper commendo.
O digna coli,
Relinquere me noli.
Anna, vale, dulcis et decora,
30. Pro me semper Deum exora.
Tu nos, Anna pia,
benedic cum prole Maria.
Gaude, Anna,
Vitae vena, florens palma,
35. Mater alma,
Domina serena,
Pietate plena,
Tu quae sola meruisti
Esse mater matris Christi.
40. Ave, felix [mater] Anna,
Per te nobis detur manna,
In caelesti patria,
Fac, ut fructum videamus
Tui ventris et dicamus:
45. Ave, plena gratia.
O mater Anna nobilis,
Oliva pulchra, fertilis,
Alto fructu fecunda,

Beata, cuius ubera
Anna, mater egregia,
50. Suxit virgo puerpera
Conserva Dei gratia
Ab omni labe munda.
Nos a morte secunda.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 20015 anni 1500. — Scheint aus verschiedenen Stücken zusammengesetzt: Vers 33 ff. fast gleich Vers 1 ff.; V. 46—55 = R eines Anna-Officiums (Anal. XXV, S. 59).

42. De sancto Antonio.

1. O Antoni, sancte pater,
Salutaris vitae crater,
Qui nos turbat multis malis,
Morbus epidimialis,
Ut a nobis exstirpetur,
Tua virtus operetur.

2. Es ignifer et lucifer,
Sis ergo noster scutifer,
Ne morbus hic nos feriat;
Precamur te, quod pereat
Radix eius atque fomes,
Malus est nam ipse comes.

3. Ut fur in nocte sic venit,
Non tunica, quam invenit,
Vel pallio nos spoliat,
Sed pelle nos excoriat,
Et non solum privat pelle,
Aufert vitam suo felle.

4. O Antoni, tanta caede
Ne caedamur, intercede
Mox ad Deum mente pura,
Sua ne nos creatura
Per ipsius morbi ramnum
Patiamur illud damnum.

5. Morbus hic contagiosus,
Rabidus et furiosus.
Ne tam repente nos necet,
Alme confessor, te decet
Arte tua nos medere.
Namque scimus illud vere,

6. Si vis, potes nos mundare
Et hunc morbum effugare;
Fuga ergo venenosum
Morbum istum dolorosum
Praeservando non habentes
Et sanando patientes.

7. Nos videmus vere signis,
Infernalis quod sit ignis.
Morbo passi liberantur
Per te, pater, conservantur,
Placa Deum tua prece,
Nos ut solvat ab hac nece.

8. O Antoni, te precamur
Confidenter et adfamur,
Nihil tibi Deus negat,
Cuius manus nos protegat
A peste momentanea
Et morte subitanea.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Ultraiectin. 431. A. — Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. B. — 1, 2 vitae stater A. — 3, 1 Tamquam fur in nocte venit B. — 3, 2 Tunica non quam B. — 3, 3 exspoliat A. — 3, 6 suo velle A. — 4, 4 nos ne A. — 5, 2 fehlt B. — 5, 3 Ne nos tam repente B. — 5, 4 Te confessor alme B. — 5, 5 mederi B, aber gegen den Reim. — 6, 4 Morbum hunc et dolorosum B. — 7, 2 quod est B. — 7, 4 pater et sanantur B. — 8, 3 Nil Deus tibi denegat B.

43. De sancto Antonio.

1. Antoni, pater sanctissime
Ac monache mitissime,
Pius adesto servulo
Te deprecanti sedulo.

2. In extrema vitae hora
Me defende sine mora,
Palmes sacer, dulcis uva,
Fidem sitientes iuva.

3. Ex tuae sanctitatis ramo
Mitte guttam, quam reclamo,
In camino vitiorum
Stabilivi mihi thorum.

4. Ex tuo fonte pietatis
Funde rorem caritatis,
Cuius sacrum per liquorem
Tu exstinguas hunc ardorem.

5. Aut per specialem facem
Prorsus uras hanc fornacem,
Magna flamma iam surrexit,
Multus fumus inde exit.

6. Ita fumi foetor olet,
Sulphur ut olere solet,
Inimicus ob reatum
Talem dedit odoratum.

7. Sed tu, Antoni, prece pia
Custodi me in ista via,
Fac calere solem vitae
Et pruinam hanc remitte.

8. Ipsum solem interpella,
Per quem lucet omnis stella,
Ut in sole, quem rogamus,
Tabernaculum ponamus

9. Et per ipsum doceamur,
Per quod iter gradiamur.
Tu, Abba, altissimum
Exora Dei filium,

10. Qui salus est humilium,
Ne nos pro nostro vitio
Inflexibili iudicio
Subiciat supplicio,

11. Sed nos tua sancta prece
Mundans a peccati faece
Collocet in lucis domo;
Amen dicat omnis homo.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

44. De sancta Apollonia.

O candens stella, vernans flos, casta puella,
Cara Deo facta, quia nunquam crimine tacta,
Dentibus eiectis cervicem fervida flectis,
Ense punita, sic dure, virgo, polita.
5. Non virtutis ita periit os nec tua vita,
Sed mens fit quita carnis, ut sit redimita
In thalamo Christi, cuius fore sponsa cupisti.
Ergo non dentem tantum do, sed tibi mentem
Ex cordis voto praesto cum corpore toto.
10. Hinc prece te moneo, fac me sic vivere Christo,
Ut gaudens animo de mundo subtrahar isto.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Ultraiectin. 431. — 4 Ensi. — 6 ne sit redimita. — 7 fore sponsa fuisti. — 9 praestet.

45. De s. Arnulpho Villariensi.

1. Nobilis egrediens hospes de corpore mortis
In patriam rediit ad primae gaudia sortis,
Qui fervens animo dum pertulit aspera fortis,
Fraternae meruit labor hunc portare cohortis.

2. Eius erat vita meritorum lampade clara,
Quae sibi mellita, plerisque videntur amara,
Qui vir devotus Domino fuit hostia cara,
Dum Christo totus crucis est oblatus in ara.

3. Laus tibi, summe Deus, quia martyr noster agones
Pertulit insolitos ut ei nova praemia dones,
Instrumenta crucis, quae pertulit ille, stupenda
Mentibus humanis, nulli, reor, esse ferenda.

4. Et merito, quoniam terret nova passio cunctos,
Quos oleo, rex Christe, tuo non invenit unctos;
Multi divino sunt uncti chrismate, verum
Quemlibet ad tanta video miracula serum.

5. Sunt et agonistae fortes, sed fortior iste
Perstitit in Christo, quia gratia maior in isto,
Martyris huic ergo debetur iure corona,
Cuius ad eudochiam cum mente fuit caro prona.

6. Eia, sublatam nobis plangamus amatam
Mundo personam, non quod sine fine coronam
Sumat sublimis a Christo, sed quod in imis
Post se nos miseros liquit fortissimus heros.

7. Vos quoque, qui memorem sancto debetis amorem,
Vobis subductum praepropere plangite iustum,
Plangite devotum, vobis per singula notum,
Plangite, post cursum cursorem plangite rursum

8. Plangite cum lacrima, quod mortis ferrea lima
Hunc elimavit, limatum terra voravit,
Sed quae carne ruit hanc mortis falce secante,
Vivit nunc anima melius quam vixerat ante.

Pass. ms. Neerlandicum saec. 15. Cod. 7909 der k. und k. Familien-Fideikomifs-Bibliothek Wien — 7, 1 memori. — 7, 2 praepropere subductum. — Verfasser des Gedichtes Goswinus Villariensis. Vgl. Anal. XII, S. 88.

46. De sancta Augustino.

1. Ave, pater Augustine,
Doctorum clarissime,
Sapientiae divinae
Doctor invictissime,
Tu flos florum Africae,
Patria quae datur
Tibi et magnifice
De te gloriatur.

2. Karthago te puerum
Dedit et togata,
Qui natus es Monica
Matre, Deo grata,
Et patre Patritio,
Bonis et praeclaris,
Sanctorum iudicio
Deo valde caris.

3. Quorum cura procuratus
Artibusque decoratus
Dictis liberalibus,
Ab Ambrosio renatus
Post hoc atque perornatus
Scripturis legalibus.

4. Mox ut Christum induisti,
Christo semper servivisti
Totis tuis viribus,
Caritate vera plenus,
Semper pius et serenus
Christi membris omnibus.

5. Ave, doctor luminose,
Fidei praesidium,
Vincens falsos gloriose,
Fer nobis auxilium,
Malleus haereticorum
Tu es validissimus
Expurgator et errorum
Tu luculentissimus.

6. Ave, pontifex Hipponae,
O magister et patrone
Summe bone, nos coronae
Iungas in caelestibus.
Ave, sacer Augustine,
Qui cum Christo sine fine
Gaudens vivis caeli civis
Cum supernis civibus.

7. Ave, praesul Deo digne
Signo crucis, vas insigne,
Vas praecelsae gloriae,
Nectare vas es imbutum,
Vas cunctarum es virtutum
Et sanctae memoriae,

8. Ave, fulgens in Papia,
Summum decus praesulum,
Augustine, de sophia
Qui sumpsisti poculum
Summi patris, quo nos atris
Absolvis erroribus,
Et scripturae lumen purae
Ministras fidelibus.

9. Ave, gemmis pretiosis
Aureum vas perornatum,
Nam scripturis pretiosis
Te fecisti sanctis gratum,
Velut luna plena pleno
Micuisti lumine,
Immo quasi sol fulsisti
Corde pleno numine.

10. Domum Dei sublimasti,
Decorasti, roborasti
Verbis et operibus;
Unde iure collaudaris,
Honoraris et amaris
A cunctis fidelibus.

11. Nunc adesto tuis natis,
Quos in Christo genuisti,
Fac consortes sanctitatis
Christi nos, ut docuisti,
O sacerdos Augustine,
Fac nos gratiae divinae
Natos esse sine fine.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. S. Dorotheae Vindobonen.) 4724. saec. 15.

47. De sancto Augustino.

1. Clarum, pater Augustine,
Laudis habens titulum,
Sanctitatis et doctrinae
Singulare speculum.

2. Sis pusilli memor gregis,
Praesul, lumen praesulum,
Quem nunc pascis, quem nunc regis
Dans scripturae pabulum.

3. Non relinquens in scripturis
Obscuris operculum,
Diligenter de lecturis
Omnem tollis scrupulum.

4. Iure praesens veneratur
Et miratur saeculum,
A quo sibi vitae datur
Et cibus et poculum.

5. Civis prius Babylonis
Sequebaris idola,
Tenebrosae regionis
Tenebrosus accola.

6. Sed vocaris et mutaris
A prisca taetredine,
Postquam verbi salutaris
Illustraris lumine.

7. Deo soli, patri, proli
Flaminique gloria
Sit perennis pro sollennis
Dici laetitia.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Colonien. 7. — 7, 3 persolemnis.

48. De sancto Augustino.

1. Sancte pater Augustine,
doctor beatissime,
Pastor pie, fons divine,
preces meas suscipe.

2. Apud Deum semper stude
pro me intercedere,
Ut locare me dignetur
in caelesti requie.

3. Per te omnis est destructa
pravitas haeretica,
Roborata et firmata
fides est catholica.

4. Dictis tuis atque scriptis
pascitur ecclesia,
Ne per famem verbi Dei
deviet in vitia.

5. Doctor summe, doctor clare,
clippeus iustitiae,
Sordes a me procul pelle
totius perfidiae.

6. Assint mihi preces tuae
clarae et egregiae,
Ne nocere mihi queant
daemonis insidiae.

7. Pro peccatis meis multis
cruciari timeo,
Nisi tua illa sancta
deleat oratio.

8. Cor accende meum tuae
in amorem regulae,
Ut a vitae regularis
non recedam tramite,

9. Optans gratiam deflendi,
quae mutavit Augustinum
Ipsum trahens de inferno
et perficiens divinum.

10. Quando flumen lacrimarum
relaxavit largiter,
Cuncta rerum mundanarum
despexit viriliter.

11. Mater sancta, mater pia,
Monica gratissima,
In fervore cordis tui
Christo devotissima,

12. Deus sursum te audivit
maerentem pro filio
Et respexit fidem tuam
pietatis oculo.

13. Ergo, mater, quae ploravit
remotum a gratia,
Per te merear portari
in superna gaudia.

14. A culparum me mearum
liberatum pondere
In beato angelorum
agmine constitue.

15. Omnes sancti confessores,
pro me preces fundite
Deo patri atque nato
cum sancto spiramine.

Orat. ms. Libehardi, prioris Reichenbacen. anni 1476. Clm. Monacen. 2990. — 6, 3 Praesul ne nocere. — 7, 3 Poenis nisi tua. — 9, 1 gratiam flendi. — 13, 1 mater deploravit.

49. De sancto Augustino.

1. Lux doctorum, norma morum,
Praesul beatissime,
Perfidorum haereticorum
Confutator optime.

2. Reserator et amator
Sacrarum literarum,
Institutor et protector
Fratrum eremitarum.

3. Sine tuo claro verbo
Doctores ecclesiae
In divino eloquio
Nesciunt procedere.

4. Tuo sine iuvamine
Non confido hodie
Finem posse imponere
Coeptae eloquentiae.

5. Sic igitur impleatur
Septiformi numine,
Quod sit satur meum guttur
Tuo vero lumine.

Cod. Palat. Vindobonen. 3301. saec. 16. in.

50. De sancto Autberto.

1. Autberti vita inclita,
Fulgens in caelum superum,
Patet signis exhibita,
Quia suorum operum
Clara fecisti merita,
Conditor alme siderum.

2. Usurae grandi posuit
Talentum spiritalium,
In quo sollers sic studuit
Mares praecedens senium,
Quod illi clare profuit
Aeterna lux credentium.

3. Cum in virtute cresceret,
Fuit post sacerdotium
Pastor factus, ut regeret
Gregem Cameracensium
Et tibi corda redderet,
Christe, redemptor omnium.

4. Qui regem suis moribus
Dagobertum magnificum
Ac admonitionibus
Instruxisti famelicum,
Eius orationibus
Exaudi preces supplicum.

5. Pio precum suffragio
Latronum ab exercitu
Landelinum et studio
Digno convertit gemitu,
Permansit ille; devio
Qui condolens interitu

6. Dum errantem hic visitat
Mente suum discipulum,
Ipse videt, nam suscitat
De consorte miraculum,
Spernit et metu cogitat
Mortis perire saeculum.

7. Huius patris sermonibus
Valde fecisti fervidum
Gillenum sacris domibus
Construendis ac providum,
Qui per eos in pluribus
Salvasti mundum languidum.

8. Retinere non valuit
Pompa mundi Vincentium,
Quando praesul consuluit,
Quin intret monasterium,
Unde beari meruit
Donans reis remedium.

9. Sponsi sui vestigia
Waldetrudem incedere
Fecit atque conubia
Propter Deum deserere,
Ne culpetur desidia
Vergente mundi vespere.

10. Flagravit eius cultibus
Aldegundis plus balsamo,
Tantis et fulsit moribus,
Quod nequit scribi calamo
Gaudetque veli dotibus
Uti sponsus de thalamo.

11. Cum sepultura panditur
Huic visione maxima,
Qua Vedastus nunc colitur,
Pandens laude dignissima,
Poli de porta cernitur
Egressus honestissima.

12. Sane de caelo patuit
Metans eum cum virgula,
Quia rite disposuit
Divina tabernacula,
Praedicando, quod tenuit
Virginis matris clausula.

13. Vedastum portans suscipit
Audomarus laetitiae
Lumen, quod fides accipit
Huius a rege gloriae,
Sub obsequiis subicit
Cuius forti potentiae.

14. Illi fuit transvehere
Furseum prece media,
Nam merebatur cernere
Cohors de caeli curia,
Cui tanto pro munere
Genu curvantur omnia.

15. Necdum ex beneficiis
Seque praesens ecclesia
Gaudet, immo reliquiis
Suis tota Germania,
Nam eius psallunt praemiis
Caelestia, terrestria.

16. Suum matricularium
Voce clamantem solita
Membris a tortis anxium
Cum sanant eius merita,
Dei corda psallentium
Fatentur nutu subdita.

17. Puer sanus efficitur
Paralizatum patiens,
Ubi suam amplectitur
Terram et fit exsiliens,
Ac super suum oritur
Occasum sol custodiens.

18. Caecus ut somno concipit
Fidem penes hunc obtinens,
Ab illo lumen accipit
Laudem precatus concinens,
A quo splendorem suscipit
Luna pallorem retinens.

19. Fulbertus de Senefia
Semivivum corpus ducens
Sanatur, huius praemia
Precans et menti reducens,
Quae declarat hac patria
Candor in astris relucens.

20. Cum pellit a muliere
Gehennales satellites
Et visens eam vivere
Decrevit inter sospites,
Christum ut laudet libere,
Certos observat limites.

21. De Fontanis pauperculam
Nihil habentem usiae
Prout curavit quaerulam,
Sic noxam plebis, kyrie,
Tergas et omnem maculam,
Te deprecamur, hagie.

22. Roberti conscientiae
Dum surrexerunt stimuli,
Corrector avaritiae
Quia fuit, et populi
Consors erit sententiae,
Venture iudex saeculi.

23. Hinniacenses languidos
Ut eius reddis decore
Per agni typum validos,
Sic oppressos facinore
Vesano, Christe, vividos
Conserva nos in tempore.

24. A columba decernitur
Virgulti ramos allidi,
Sacra capsa dum tollitur,
Ob flammas ignis torridi
Succensoque protegitur
Hostis a telo perfidi.

25. Dammo pro dato famulis
Audisse comminantia
Verba fur narrat praesulis,
Unde fuit iniuria
Suis notata titulis,
Laus, honor, virtus, gloria.

26. Latum corpus in operum
Sacrandorum initio
Mutum ab ortu puerum
Marceano coenobio
Fantem dedit ac liberum
Deo patri et filio.

27. Falsum testans litigiis
Certo Flandrorum ambitu
Nunquam caret dispendiis
Unius anni transitu
Suis iurans reliquiis
Una cum sancto spiritu.

28. Christe, gratanter audias
Recitata miracula
Patris huius et facias
Ita sub eius regula
Gratos, quod eos ambias
In sempiterna saecula.

Pass. ms. Neerlandicum saec. 15. Cod. 7928 der k. und k. Familien Fidei-Komifs-Bibliothek Wien. — 4, 3 monitionibus. — 12, 2 eam. — 18, Laudens. — 19, 6 Candor est astris reducens. — Aufschrift: Incipit compendiosa vita sancti Autberti confessoris. Die Schlufszeilen aller Strophe bilden den Hymnus Conditor alme siderum.

51. De sancta Barbara.

1. Salve, Iesu generosa,
Orta stirpe speciosa,
Virgo martyr Barbara,
Sponsa Christi gloriosa
Atque neptis amorosa
Mariae per aethera.

2. Salve, fausta praedicatrix,
Et glorifica laudatrix
Sacrosanctae trinitatis,
Miserorum relevatrix
Ac servorum contutatrix
In hora neccessitatis.

3. Salve, prima post Mariam
In supernam hierarchiam
Habes thronum gloriosum
Omnibus te praebens piam,
Qui mortalem pergunt viam.
Dans solamen gaudiosum.

4. Salve, meritis praeclaris
Quae prae cunctis veneraris
Post parentem Domini,
A Iohanne baptizaris
Signo doni singularis
Nulli dato homini.

5. Salve, vitae fers octena,
Christi virgo, fide plena,
Omne genus tormentorum,
Sole magis nunc serena
Paradisi per amoena
Civis facta supernorum.

6. Salve, privilegiorum
Singularitas tuorum
Orbi claret crebrius,
Ob quae amor te cunctorum
Grandium ac pussillorum
Recolit celebrius.

7. Salve, nullis sacramentis
Tibi pie obsequentis
Fraudatur affectio,
Hoc ostendit argumentis
Ac exemplis imminentis
Temporis collectio.

8. Salve, virgo praedilecta,
Manu iuves me porrecta
Largire finaliter,
Ut a carne mens avecta
Mox in caelo sit collecta
Gaudens aeternaliter.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Bruxellen. 4955. — 2, 2 glorificata. — 8, 1 Quod o virgo praedilectus. — 8, 2 me potenta (protenta).

52. De sancta Barbara.

Virgo, fide sana, de stirpe creata profana,
Gaudia mundana prostravit et idola vana,
Carceris horrore roseo perfusa cruore,
Lampadis ardore patitur cruciata dolore,
Ubere truncata, vestimentis spoliata,
Haec decollata transcendit regna beata.
Barbara, morte bona vitae redimita corona,
Caelica dans dona nos salves, sancta patrona.

Offic. BMV. sec. usum Parisinum saec. 15. Cod. Rossian. VIII 9.

53. De sancta Barbara.

O caelestis, o beata,
Iesu Christo cara, grata,
Dei sponsa gratiosa,
Supra modum speciosa,
5. O praecelsa margarita,
Per amorem expolita,
Quae post carcerationem,
Verberum et caesionem,
Ustionem lampadarum,
10. Scissionem mammillarum
Aliorumque multorum
Passionum tormentorum
Decollata es a patre
Dioscoro defuncta matre

15. In Tuscanis foribus
Regnantis temporibus
Impii Maxentiani
Prasidisque Marciani
Die quarta duodeni
20. Mensis; virgo sancta, veni,
Veni, veni absque mora
In horrenda mortis hora,
Cum me mori est necesse,
Noli mihi tunc deesse,
25. Christum pro me deprecare,
Quod vis, potes impetrare,
Me ab hostibus tuere,
Mei, virgo, miserere.

Cod. Lambacen. 463. saec. 15. A. — Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. B. — 1. O caelicola beata B. — 2. Christo Iesu B. — 7. incarcerationem B. — 8. Et nevorum caesionem B. — 9. Adustionem B. — 10. Abcissionem B. — 11. Ac multorum aliorum B. — 12. Passionis B. — 13. Propter fidem trinitatis B. — 14. Constantiamque castitatis B. — 21. Veni ito absque B. — 23. Quando me B. — 26. Nam quod vis B; poteus A. —

54. De sancta Barbara.

O Barbara sanctissima,
Virgo felicissima,
Multum passa tu dolorem
Es divinum ob amorem.
Latus tuum laceratum
Est et igne concrematum,
Caput ferro malleatum,
Corpus mammis viduatum,
In plateis es nudata,
Ense diro defricata.
Pro me Christum interpella,
Digna martyr et puella,
Ut ob tuam passionem
Mihi det remissionem,
Quae commisi, peccatorum
Et det fontem oculorum,
Ut commissa possim flere,
A futuris me cavere.
Propter poenas, quas tulisti,
Quando caput extendisti
Tui patris sub mucrone,
Libro vitae me impone.
Christum placa, mortis hora
Assis mihi sine mora,
Pelle procul inimicum
Et ostende caeli vicum,
Ut per eum tutus vadam
Et non in tormenta cadam.
Poenas multas sustulisti
Ob amorem Iesu Christi,
Tuas ergo preces audit
Nec his caeli portas claudit,
Tu pro quibus vis orare;
Pro me, quaeso, deprecare,
O Barbara, caeli ducem,
Ut aeternam mihi lucem
Det in choro salvandorum
Per saecula saeculorum.

Orat. ms. Scotorum Vindobonen. 54 h 8. anni 1410. A. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Stuttgartien. 1 b 118. B. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Sangallen. 521. C. — 3. passa es dolorem A. — 4. Es fehlt A. — 6. Et in igne A. — 8. Manus et corpus vinculatum A. — 10. dire B, duro C. — 17. Ut de B. — 18. futuro B, et cavere BC. — 22. Vitae libro BC. — 24. Adsis ipsa sine BC. — 27. Et per eam B. — 28. Et in morte sic non cadam A. — 29. Multa libens sustulisti BC. — 32. portas caeli C. — 34. Modo pro me deprecare BC. — 38. Per aeterna saecula saeculorum BC.

55. De sancta Barbara.

Iesu Christi famula,
Barbara beata,
De nobili genere
paganorum nata,
Propter pulchritudinem
in turri locata,
Christiana facta est
Deo inspirata,
Ita quod simulacra
muta confutaret
Et fidem catholicam
clare praedicaret.
Tunc pater idolatra
ipsam verberavit
Tradiditque praesidi,
quem et adiuravit,
Ut eam suppliciis
variis necaret,
Nisi diis hostiam
libens immolaret.
Sed sancta dum iudici
nollet consentire,
Nervis iussit teneram
taurinis ferire
Et corpus crudeliter
fecit laniari,
Mammillas virgineas
eius amputari.
A patre finaliter
virgo decollatur
Et tali martyrio
Christo consecratur.
Rogamus nunc, Barbara,
o virgo decora,
Nobis patrocinium
fer mortis in hora,

Qui sacrum martyrium
tuum honoramus
Et opem, ut adiuves,
pie flagitamus.
Hoc enim a Domino
Deo impetrasti
Et te invocantibus
facto demonstrasti.
Nam quidam pericula
mortis inciderunt,
Et tamen nullatenus
mori potuerunt,
Nisi tuis precibus,
meritis obtentis
Mererentur refici
Christi sacramentis.
Sic nobis in obitu
velis subvenire,
Contra mala omnia
ita nos munire,
Ut aeternae gloriae
capiamus bona,
Cum nobis dulcissima
data sis patrona.
Tuum sponsum cupimus
Iesum hic amare,
In saeculum saeculi
Tecum hunc laudare,
Cantare cum angelis
dulce iubilamen;
Illuc duc nos, Barbara,
Christi martyr. Amen.

Orat. ms saec. 15. ex. Cod. Darmstadien. 1109. A. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Colonien. 7. B. — 20. libens fehlt B. — 49. tuis meritis B. — 50. precibus obtentis B. — 67. Illuc nos duc. B.

56. De sancta Barbara.

1. Gaude, felix Barbara,
Virgo, martyr Christi,
Mundum, mortem, tartara,
Satanam vicisti,
Nam dum consolamina
Sponsi percepisti,
Cuncta cruciamina
Praesidis sprevisti.

2. Qui mox de lateribus
Tuis laniari
Carnes et lampadibus
Vulnera flammari,
Caput tuum malleo
Iussit vulnerari
Pectusque virgineo
Uberi truncari.

3. Nuda circumduceris,
Sed miraculose
Candida mox tegeris
Stola gloriose,
Mortis ad supplicia
Te spectaculose
Manus patris propria
Traxit furiose.

4. Vale, mitis Barbara,
Mitis spes tuorum.
Prece nobis praepara
Praemia caelorum,
Quae in vitae termino
Tibi devotorum
Impetras a Domino
Veniam malorum.

5. Veni, o pulcherrima,
Audis, invitata
Patris ad lectissima
Tibi praeparata
Tecum in cubilibus,
Sponsa mihi grata,
Teque istis mercibus
Caelicis dotata.

6. Post haec patris proprii
Manu decollaris,
Laureo martyrii
Serto coronaris,
In superna gloria
Christi collocaris
Et nunc ab ecclesia
Digne veneraris.

Cod. Sangallen. 520. anni 1436. — 2, 7 virgineum. — 4, 3 nobis tempera. — 5, 1 Veni mea pulcherrima.

57. De sancta Barbara.

1. Barbara, virginitatis
Decus, cultrix trinitatis,
Carens vitii quaerela,
Orta clara parentela,
Sponsa Christi placida.

2. A primaeva iuventute
Crevit fervens in virtute,
Luce morum exemplaris,
Sanctitate singularis,
[Caritate fervida].

3. Res innotuit parenti,
Qui furore vehementi
Christi virginem vexavit,
Crine traxit, castigavit,
Mancipavit carceri.

4. Beluino furens more
Ipsam carceris squalore
Tribulatam foris duci
Iussit et tormento truci
In aperto conteri.

5. Acres poenas mamillarum,
Ungues, flammas lampadarum,
Probra, vincula, flagella
Fortis superat puella
Fidei constantia.

6. Requievit haec beata
Manu patris decollata,
Carnis sarcina eiecta
Consors sanctis est effecta
In superna patria.

7. Apud Christum, o decora,
Pro peccatis nostris ora,
Ut finitis his caducis
Donet nos aeternae lucis
Contemplari gaudia.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

58. De sancta Barbara.

1. Ave, rosa sanctitatis,
De spinis nata pravitatis
Dioscori pagani,
Inserta fide veritatis
Cum radice caritatis
Arbori immani,
Quae totam terram occupat
Et Iesum Christum praedicat,
Quem colunt christiani.

2. Tu pulchra carne, pulchrior
Mente exstitisti,
In turri sedens altior
Angelos vidisti,
Nos visita per gratiam
Hac in valle tristi.

3. Tu virgo Christi, Barbara,
Quam digne colunt aethera,
Caelum, terra, infima
Ob vitae sanctitatem,
Adhuc exsistens parvula
Gracilis et tenera,
Fide tibi indita
Novisti trinitatem,
Cuius tu in cellula
Trina fenestrellula
Contra patris monita
Monstrasti veritatem.

4. Tu tunc fidem ostendisti,
Cum baptizanda iniisti
Alveum aquarum
Et baptizata consecrasti,
Signo crucis consignasti
Balneum thermarum,
Ut in eo lavarentur,
Sanctitate fruerentur
Corporum et animarum.
Precor te, pulcherrima
O sponsa Christi Barbara,
Ablue ab anima
Maculas culparum.

5. Post patri revertenti
Et de fenestris quaeritanti
„Cur trinas ordinasti?“
Tu, sponsa Iesu Christi,
Modeste respondisti
Et patrem informasti:
Illuminant trinae lucide
Et binae tenebrescere
Faciunt, clamasti.

6. Quod pater tuus audiens
Et fidem in te sentiens
Christianitatis,
Iratus vibrans gladium,
Ut in te naticidium
Patraret feritatis,
Orando Deum intime
Impetrasti caelicae
Solamen pietatis.

7. Nam te salvavit Dominus
Iuvamen mittens caelitus
Miro hoc prodigio
Per murum tibi ruptum,
Sed patri incorruptum,
In rupium fastigio
Ut Loth te salvam fecit,
Ad montem tum te iecit
Segor in mysterio.

8. Propter hoc miraculum,
O virgo, cum obstaculum
Occurrit temptatorum,
Fac nos constanter aggredi
Et in Deo transgredi
Murum peccatorum,
Ut praeservemur a conflictu
Liberemurque ab ictu
Ensium invasorum.

9. Post pater tuus fervidus
Ira atque infidus
In monte te quaesivit,
Duobus a pastoribus
Dispertitis moribus
Contraria audivit,
Uno defendente,
Altero te prodente,
Quem Deus sic punivit:

10. Oves eius in locustas
Commutavit, ut vetustas
De Loth uxore asserit,
Quae, quia retrospexit
Et Dominum despexit,
In statuam salis transiit;
Tu nos ad bonum adiuva,
Dehinc in melius commuta
Et tandem in optima
Per Christum, qui te diligit.

11. De monte tunc ad carcerem,
De carcere ad praesidem
Te traxit pater proprius,
Qui tuam pulchritudinem
Dum cerneret per ordinem,
Sic dixit iudex impius:

12. Quid vis nunc eligere,
An tibi ipsi parcere
Aut diis sacrificare?
Ego, ais, Domino Deo,
Christo Iesu, sponso meo,
Incensum volo dare,
Non deos tuos absonos
Ex auro aereque conditos
Volo adorare.

13. Tunc praeses te nudavit,
Tuam carnem maceravit
Taurinis nervis acriter,
Pannis cilicinis
Defricare nimis
Iussit et immaniter;
Fac nos in cilicio
Simul et ieiunio
Servire Deo largiter.

14. Sic te patiente
Et Deo apparente
Verba Christi audiuntur:
Confide, ait, Barbara,
Terra atque aethera
De tuo pati lactabuntur,
Nec te dimittam cadere,
Sed submittam supere,
Quo plagae sanabuntur.

15. Quo dicto statim es sanata
Ab omni plaga et curata,
Sponsa Christi Barbara;
Per ipsum, qui te sanavit
Et te cruce consignavit,
Sana mea vulnera
Et nos gementes consolare,
Tripudiantes confortare
Tua per precamina.

16. Sed cum praeses perfidus
Haec dona data caelitus
Diis falsis imputaret,
Dii tui, ais, similes
Nec tibi nec sibi utiles;
Quomodo hoc apparet,
Quod me sanarunt impotentes,
Surdi, caeci nec loquentes,
Ni verus Deus hoc donaret?

17. Tunc praeses te suspendere
Ad furcas atque carpere
Latus ungulis demandabat,
Lampades ardentes,
Malleos caedentes
Ad tuum caput procurabat,
Ex quibus sanguis effluit,
Quo tuum corpus maduit
Et totum cruentabat.

18. Videns praeses, quod portabas
Flagellorum plagas
Et carcerem taetrosum,
Lanceatum laterum
Et ardorem lampadum,
Malleum poenosum,
Iubet mammas virginales
Abscindi ense pectorales,
Quod est luctuosum.

19. Tunc in caelum aspexisti
Devota mente et dixisti:
Noli me proicere
A facie tua, Domine,
Nec sacratum a me homine
Spiritum recipere;
Hunc sanctum Dei spiritum
Ad bona necesarium
In nobis fac persistere.

20. Per totam idem regionem
Variam post caesionem
Nudatam iussit ire,
Sed qui caelum nubibus
Tegit, tuis precibus
Inclinatus mire
Candidam stolam caelitus
Per angelum misit concitus,
Te fecit operire.

21. Nos nudatos nuptiali
Veste tege, virgo, tali
Ornamento caritatis,
Ne rex visos invitatos
Nos eiciat ut damnatos
A facie deitatis.

22. Quid plura dicam, virgo Christi,
Quae a patre tuo tristi
Fuisti decollata?
Ante tamen caesionem
Capitis per orationem
Et Christum deprecata
Pro cunctis, qui te venerantur
Tuumque nomen memorantur
Et quod sic es plagata,

23. Ut Deus sua gratia
Dimittat hic peccamina
Cum venia finali,
Nec privet eos munere
Sancta eucharistiae
In morte corporali.

24. Facto hoc precamine
Deifico adfamine
Sic es adlocuta:
Veni, dulcis Barbara,
Dilecta mea candida,
Certa sis et tuta,
Quod cuncti, qui te reverentur,
Ad regna celsa transferentur,
Quae sunt impolluta.

25. O clemens virgo atque pia,
Quam diligunt Iesus et Maria,
Regina in virginibus,
Fac nos sic te venerari,
Ut hic a Christo liberari
A peccatis omnibus

Mercamur et cibari
Corpore Christi ab altari
Sacerdotum manibus,
Ac in fine praeservari
A maligno et beari
Sanctis cum spiritibus.

Orat. ms. Carth. Erfordien. saec. 15. (Privatbesitz).

59. De sancta Barbara.

1. Ave, trini lucifera,
Post Mariam flos virginum,
O mediatrix Barbara
Dei vera et hominum.

2. A rege patre proprio
Interemta crudeliter,
Caelesti fruens gaudio
Succurre nobis iugiter.

Cod. Parisin. 11343. saec. 15. — Auf das Lied folgt noch der kurze Versikel:

Nocte tua pane si quis ieiunet et unda,
Nunquam vere poterit inferni scire profunda.

60. De sancta Barbara.

Virgo, Deo cara, rosa gaudes, Barbara clara,
Verbera fers ara fidei, patienter amara
Vulnera perpessa, prece nec cruciamine fessa,
Dum sis confessa trinitatem fraude repressa.
Ergo tua digna prece, Barbara, virgo benigna,
Arte poli signa nos servans morte maligna.
Criminaque flere tecum Christumque videre
Possimus vere, confessi sorde carere.

Horae BMV. Bartholomaei della Gratta († 1461). Cod. Vatican. Ottobon. 2919.

61. De sancta Barbara.

1. Adest triumphus nobilis
Festumque caeli curiae,
Quo rosa delectabilis
Offertur regi gloriae.

2. Gaudet chorus caelestium,
Cum scandit astra Barbara,
Caeligenarum epulis
Fruitura perennibus.

3. Hodie namque thalamo
Copulata nuptiali
Est corona decorata,
Bonis ineffabilibus.

4. Nunc pange, lingua, virginis
Sacratae huius proelium,
Merita, laudes, triumphum,
Quo vicit hostem fortior.

5. Haec carne solo posita,
Mente polo contigua,
Vitae reclusit tenebras,
Fulgorem nacta caelitum.

6. Medicus adest animae,
Visitans docet, abluit.
Imperio Diosocri
Contempto trinam fieri

7. In trinitatis nomine
Fenestram iubet lucidam,
Reversus audit genitor,
Confracta dolet idola.

8. Arrepta spata filiam
Mactare saevus nititur,
Sed intus petra suscipit
Iaciens in monticulum.

9. Pastore ab uno proditam
Crinibus trahit hanc pater,
Flagellat, ligat, carceris
Taetro claudens ergastulo.

10. Martiano nuntiantur
Praesidi gesta Barbarae,
Suadens, ut sacrificet,
Blanditur, saevit impius.

11. Abnegat sponsa constanter,
In laudis sacrificium
Fervore mentis intimo
Se offerens plene dilecto.

12. Furit praeses furibundus,
Nudari iubet lilium,
Verberat miles, lacerat
Taurinis nervis intima.

13. Nudata pendent viscera,
Sanguis sacratus funditur,
Immobilis sed permanet
Vitae perennis gratia.

14. Clauditur hinc in carcere,
Mox adest sponsus gloriae
Confortans luce comiter,
Sanata plagis fruitur.

15. Angelorum melodiis,
Confortata tripudiat,
Eductam tradit impius
Crudelibus tortoribus.

16. Latera furcis fodiunt,
Lampade cremant viscera,
Caput, os tundunt malleo,
Mammas evellunt pectore.

17. Trahitur in spectaculum
Nuda per plebis compita,
Stola sed missa caelitus
Divina gaudens tegitur.

18. Nec moras dirus patitur,
Rapuit sanctam genitor,
Ut perdat ducens Barbaram
Montis in supercilium.

19. Intimo corde Dominum
Precatur flexo poplite,
Vox vocat: veni, propera,
Festina, coronaberis.

20. Vibrat ensem truculentus,
Tollit caput Dioscorus
Mucrone fundens sanguinem,
Sed illum flamma devorat.

21. Assunt cives supernorum
Suavibus efferentes
In nuptiali thalamo
Sponsam regis amplexibus.

22. Te nunc, beata, quaesumus,
Nobis deposce veniam,
Fidem, spem, pacem, gratiam
Veramque paenitentiam.

23. Honor, decus, imperium
Sit trinitati unicae,
Patri, nato, paraclito
Per infinita saecula.

Orat. ms. Epternacense saec. 15. Cod. Luciliburgen. 1. — 9, 4 In taetro claudens carcere. — 19, 3 veni, pulchra. — Scheint akrostichisch gewesen Agonem . . . . i[u] vato; ist auch mit Entlehnungen durchsetzt.

62. De sancta Barbara.

1. O Christi martyr pia,
Barbara, caeli via,
Nomen sanctae trinitatis
Mundo corde honorasti,
Regna mundi refutasti
Ac nutum paternitatis.

2. Simulacra falsa spernens,
Veritatem Christi cernens
Nec non iudicis praeceptum
O quam dire vulnerata,
Laesa, spreta, verberata
Ob patris sui contemptum

3. Ad despectum denudata,
Per angelum praeservata,
In turri laeta consolata
A Christo, vulnere sanata,
Post haec varie trucidata,
Tandem a patre decollata.

4. Eia, quae nunc es cum sponso,
Quem duxisti in absconso,
Quem iam palam contemplaris,
Virgo pulchra et decora,
Iesum Christum mortis hora
Tu pro nobis deprecaris,

5. Ut nos suis dignis donis
Corporis et unctionis
Melliflue satiemur
Et a diaboli fraude,
Visu et mundana laude
Protegamur et salvemur.

Orat. ms. Carthusiae Erphesfurten. saec. 15. Cod. Rossian. VIII. 56. A. — Aus unbekannter Quelle bei Milchsack I, 86. B. — 1, 1 mater[!] pia B. — 1, 3 Quae nomen A. — 1, 6 fehlt A. — 2, 3 fehlt A. — 2, 5 Es et verberata A. — 2, 6 Ad praeceptum patris tui A. — 3, 1 Vestibus es denudata A. — 3, 2 Sed per angelum vestita A. — 3, 4 A Christoque sanata A. — 3, 5 truata A. — 4, 1 nunc vales cum A. — 4, 4 O quam pulchra, quam A. — 4, 6 Tunc B: deprecare A. — 5, 1 sacris donis A. — 5, 5 Visu fehlt A.

63. De sancto Bartholomaeo.

Audi servorum clemens pia vota tuorum,
Bartholomaee, chori medium sidus duodeni;
Flecte pias aures ad nostras, splendide, laudes
Nosque pio regi commenda voce fideli.

Cod. Trecen. (ol. Claravallen.) 1612. saec. 15.

64. De sancto Benedicto.

Iesu Christi Domini
Confessor pretiose,
O beate Benedicte,
Tu pater gloriose,
Dux monachorum inclite,
Decus et forma vitae,
Salus et refugium
Tibi famulantium rite,
Benignus vota suscipe
Devote deprecantis,
Tui indigni famuli
Ad te nunc clamantis.
Exora Dominum pro me
Cum omnibus beatis,
Ut me solvat a crimine
Et a cunctis peccatis,
Quibus iram merui
Domini creatoris,
Cum praecepta non tenui
Benigni salvatoris,
A cuius sancta gratia
Me miserum elongavi,
Dum vana mundi perditi
Acrius amavi.
Sed quid mihi proderit
Vanitas mundi huius,
Dum ipse mundus deperit
Et concupiscentia eius,
Et cum finis venerit
Mortalis meae vitae,
Denique mea omnia
Remanent in lite,
Substantia mortalibus,
Caro vermibus datur,

Secundum sua merita
Anima iudicatur,
Et cum iudex omnium
Iratus adventabit,
Cunctorum facta hominum
Districte iudicabit.
Quid tunc miser faciam
Vel quid dicturus ero,
Dum nihil boni proferam
Tam iudici severo?
Ergo, sancte (pater) Benedicte,
Ad te clamito reus,
Fac, ut per tua merita
Misereatur (mihi) Deus,
Ut digne mea delicta
Valeam deflere,
Spiritus sancti gratiam
Merear obtinere,
Per quam tu ad patriam
Aeternam pervenisti,
Dum cuncta mundi infima
Libere sprevisti,
Parentes et patriam,
Divitias spernendo,
Vitam solitariam
Sollicite quaerendo.
Tandem in solitudine
Per triennium mansisti,
Ieiuniis, vigiliis
Corpus affecisti.
Exinde te Dominus
Extulit in honorem,
Dum te patrem monachorum
Effecit et doctorem,
Quos ut fideles Moyses
Legem docuisti,
Dum sanctitatis regulam
Eis edidisti,
Quam tu per omnia digne
Primum perfecisti.
Miraculorum insigniis
Clarus hic fuisti;
Iam gaudes aeternaliter
In caeli comitatu,
Me miserum respice
In hoc incolatu,
Inimicos repelle
Mihi insidiantes,
Casus malos amove
Mihi imminentes,
Gressus meos dirige
In via salutis,
Ut exsequi merear
Opera virtutis.
Tua grata gratia
Pro me preces fundat
Ad Mariam virginem,
Ut pro me intercedat
Apud suum filium,
Benignum salvatorem,
Ut animae et corporis
Sanet languorem,
Mortis in examine
Me velit visitare,
Corpus suum et sanguinem
Dignetur praestare
Et post hoc exsilium
Ad caelum perducat,
Deus qui per saecula
Vivit atque regnat.

Orat. ms. S. Mariae ad Scotos anni 1410. Cod. Vindobonen. 54 h 8. — 30 Mortalis vitae meae. — 43 perferam.

65. De sancto Bernhardo.

O odorifere narde,
Beate pater Bernarde,
Pacis nostrae disciplina,
In te luxit lux divina.
O lilium mirificum,
Dans odorem vivificum
Decusque religionis
Et forma perfectionis.
Loquens ut Esdras altius,
Ex te redundans fluvius
Manavit sapientiae,
Fluenta quidem gratiae
Propinasti in populo,
Ignis effulgens saeculo,
Thus redolens caritatis,
Oliva suavitatis.

3. Vas auri summum nobile,
Clarum, profundum, ductile,
Humilitatis viola.
Strenua virtutum scola,
Heres aeterni nominis,
Impetus tui fluminis
Ecclesiam laetificat,
Gregem tuum sanctificat.

4. O pastor gregis pauperis,
Tuis adesto posteris,
Protege nos et refove,
Vitia cuncta remove,
Succurre sanctis precibus
Tuis, pater, supplicibus.

5. Nobis confer subsidium,
Tuarum voces ovium
Audi, exaudi, domine,
Et apud Deum obtine,
Ut gratiam largiatur,
Et in nobis augeatur
Religio et sanctitas,
Devotio et caritas.

6. Mei, pater sanctissime,
Memor esto maxime,
Tuo interventu pio
Munder ab omni vitio,
Ut virtus in me vigeat,
Perseveret et maneat,

Et te duce perveniam
Ad caelestem patriam.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

66. De sancto Bernhardo.

Caritate vulneratus,
Castitate dealbatus,
Verbo vitae laureatus
Est Bernhardus sublimatus
In caelesti gloria.
O virtutis speculum,
Cuius mire saeculum
Ardore splendet fidei,
Prece fidelissima,
Ope constantissima
Duc nos in altissima,
Ubi clarent optima
Caeli aeterna praemia.

Hortulus animae imp. Argentinae 1508.

67. De sancto Bernhardo.

O redolens narde, pater inclite, sancte Bernharde,
Culmen virtutis, speculum, lux duxque salutis,
Fortis et athleta, via, portus et ancora, meta,
Doctor praeclare, natorum nunc memorare,
Quos hic fovisti, quos in Christo genuisti,
Hos modo dignare meritis precibusque iuvare.

Collect. ms. Altovadense saec. 15. Cod. Altovaden. 60.

68. De sancta Birgitta.

1. Gaude, sponsa gloriae,
Nova lux ecclesiae,
Brigitta beata,
Perduc nos ad gaudia
Summaque palatia
Prece tua grata.

2. Gaude, cui Christus plura
Revelavit et futura
Dedit quoque cernere,
Huius mundi nobis vanam
Da fallacem et insanam
Semper pompam spernere.

3. Gaude, felix reparatrix,
Vinearum adornatrix
Nec non et ecclesiae,
Mentes nostras tu repara,
Ut in aula caeli clara
Summae iungamur gloriae.

4. Gaude, Dei sponsula
Dives et paupercula
Virtutibus impleta,
Tuam catervam protege
Atque labentes erige
Dans gaudia quieta.

5. Gaude, soror angelorum,
Cuius pater saeculorum
Verbis dat credentibus
Sceptrum pulchrum in mercedem
Et praeclaram poli sedem
Regnis in caelestibus.

6. Gaude, sponsa tam beata,
Iam in caelo collocata
Sentis semper dulcia,
Iam nos trahe sine mora,
Angelorum omni hora
Ubi sonant cantica.

7. Gaude, nova stella maris,
Nos ad portum pulsis malis
Perduc[as caelestium]
Et in mundo constitutis
Sis adiutrix, fons virtutis,
Praesens post exsilium.

Cod. Sangallen. 520. anni 1436. — 3, 5 caeli fehlt. — 4, 1 Gaude, sancta Dei sponsa. — 4, 2 atque paupercula. — 4, 3 Virtutum. — 4, 5 Et labentes. — 7, 2 Nos a portu. — 7, 4 in mundis; lies in undis?

69. De sancta Birgitta.

1. Salve, decus feminarum,
Gemma lucens matronarum,
Forma vivens viduarum,
Birgitta de Suecia,
Tu de stirpe regum nata,
Matris alvo praeservata,
Signo nubis declarata
Noctis hora media.

2. Te primaevam declaravit
Virgo, sibi quam aptavit
Et in partu liberavit
A pressura gemitus.
Aetas prima dum duravit,
Usu linguae te privavit,
Quem quartenni reformavit
Natura subtilius.

3. Christus passus praedicatur,
Eius quando recordatur,
Cor puellae sauciatur
Doloris aculeo,
Cui Christus sic: ingrati
Me configunt aspernati,
Cum decrevi mortem pati
In crucis aculeo.

4. Sponsam daemon dum temptavit,
Se in monstrum transformavit,
Haec ad Christum convolavit,
Et cessant insidiae.
Tandem coepit desponsari
Viro stirpe, voto pari,
Quibus placet coartari
Freno pudicitiae.

5. Sponsum castum per timorem
Dei duxit in amorem,
Cuius fecit et cultorem
Sacris lectionibus;
Post hoc ambo decreverunt
Caelibatum, quem voverunt,
Et sic simul commanserunt
Carnis spretis actibus.

6. Natos, Deus quos donavit,
Tam sincere educavit,
Quos per doctos informavit
Vita, fide, moribus
Deum fortiter amare,
Matrem Christi honorare,
Sanctos omnes collaudare
Votis et operibus.

7. Carnem domans ieiunavit,
Quam cilicio substravit
Stratu duro maceravit,
Frixuris et unguibus.
Vitam suam non palpavit,
Se despectam peroptavit
Ut placeret, quem amavit,
Sponso in caelestibus.

8. Cor in fletu cruciavit,
Confitendo se purgavit
Et emendans consummavit
Partes paenitentiae;
Nec se solam contristare,
Sed et cunctos scit plorare,
Quos a culpa vult salvare
Ex motu clementiae.

9. Haec tres partes facultatis
Dat in usus pietatis,
Aequa lance suis natis,
Templis et pauperibus;
Dum sic dando inardescit,
Opus dextrae laeva nescit,
Fessa manus non quiescit
A strictis operibus.

10. Tandem viro vita functo
Nexu thori iam seiuncto
Sponsa voto cordis cuncto
Christum sponsum adpetit,
Cuius flagrans in amore
Vocem audit in candore:
Nubis pro fetu maiore,
Sic hanc Christus provehit.

11. Christus enim, quos vocavit,
Illos et magnificavit
Et insignes demonstravit
Virtutum potentia.
Sic te sponsam, quam dilexit,
Vita moribus direxit
Et ad summa te provexit
Virtutum insignia.

12. Tu languorum curativa,
Sanitatum collativa,
Leprosorum mundativa
Sacro medicamine,
Fractos sanas a laesura,
Curvos erigis statura,
Caecis removes obscura
Humili precamine.

13. Tu laborans in orando,
Cordi linguam conformando
Perseveras contemplando
Fixis terrae genibus,
Cuius cordi inspiratur
Forma, qua Deus colatur,
In qua Christi reseratur
Poena cum doloribus.

14. Missa Romam festinavit
Sponsa, sancta frequentavit,
Cuius semper aestuavit
Mens invicta taedio.
Loca plura perlustravit
Nec labores formidavit,
Quia amor, quem gestavit
Non torpebat otio.

15. Terram sanctam visitavit,
Ubi Christus revelavit
Sibi mortem, quam gustavit,
Et partum virgineum,
Tandem post loca sanctorum
Urbem redit Romanorum,
Semper ardens beatorum
Ad regnum aethereum.

16. Ubi coepit infirmari,
Gravi febri fatigari,
Ex languore molestari
Destituta viribus.
Quam apparens salutavit,
Vitae finem praesignavit
Et futura praemonstravit
Christus suis vocibus.

17. Quamvis corpus fatigatur,
Sponsae mens exhilaratur,
Quia sponsus sibi fatur:
Veni, coronaberis;
Die quinta hoc momento
Sumpto meo sacramento
Corpus tradens monumento
Tu caelum ingrederis.

18. Coram ara vestieris,
Ut non solum appelleris
Sponsa mea, sed tu eris
Mater Watzstenensium.
Die quinta ad altare
Sumens sacrum salutare
Coepit spiritum efflare
Manibus astantium.

19. Hoc vult quidam sic probari:
Vidit lectum sublimari,
Sponsam lecto transportari
In caelestem requiem.
Quam instanter deprecemur,
Ut peccatis absolvemur
Et per ipsam transformemur
De fide ad speciem.

20. Salve, sponsi regis castrum,
In planetis fulgens astrum,
Ebur nitens, alabastrum,
Spes, res es pulcherrima.
Salve, morum inductiva,
Secretorum susceptiva,
Vitiorum correctiva.
Cos, ros, dos gratissima.

21. Salve, redux reproborum,
Tu solamen oppressorum,
Advocata miserorum,
Lux, nux, dux prudentiae,
Salve, splendens margarita,
Christi sponsa redimita,
Sponsum sequens clara vita,
Ius, tus, rus fragantiae.

22. Salve, speculum virtutis,
A pressura servitutis
Duc nos ad portum salutis
In superna patria.
Salve, sponsa summi Dei,
Nos ab aestu huius spei
Tranfer ad promissa rei
Sempiterna gaudia.

Cod. Palat. Vindobonen. 1316. saec. 15. — Das Lied ist in der Hs. in 7 Teile zerlegt, die aber ersichtlich erst später in dasselbe hineingetragen sind. Aus derselben Quelle bei Klemming I, 39 ff. Vgl. übrigens zu Str. 20 ff Anal. XXIX, Nr. 114.

70. De sancta Birgitta.

1. Ave, peregrinorum Birgitta patrona, Suecorum
Fulges stirpe sata, de principibus generata.
2. Quam felix domina, quae illustrat peregrina
Romam, Jerusalem! Mirantur saecula talem.
3. Haec cum transiret tua, Iacobe, limina, viret;
Hinc Romam rediens vento cuicunque resistens.
4. Quam Deus acquisivit, surgens flendo sepelivit
Roma defunctam, quamvis virtute perunctam.
5. Nam mala quaeque necat, in multis ubera sanat,
Reddit rite natos morbo quocunque gravatos.
6. Discordes gentes, inter se bella gerentes,
Concordes unit et pacis foedera munit.
7. Caeci, leprosi, claudi, vitiis tenebrosi,
Ex ense strati nece, daemonio agitati,
8. Fragmentum passi, subeuntes flumina, quassi,
Carceribus clausi, vinclis aliisque reclusi,
9. Hi precibus citius gaudent meritis simul huius
Se fore sanatos et firmiter auxiliatos.
10. Perpessos chiragram curat simulque podagram;
O quam mira res, pariunt steriles mulieres.
11. Ista Deus signa per te, patrona benigna,
Dat fieri grata, gaudens sua sponsa vocata.
12. Nautico pulchrum prope facta, Christe, sepulcrum
Te vidit illa quidem passum velut in cruce pridem.
13. Haec etiam meruit videns bis cernere gratum,
Quem virgo fuit enixa puerpera, natum.
14. Quae prophetissa, scriptrix evangeliorum,
Expositrix quorum, lux terrigenis nova missa.
15. Tu prece conserva populum, qui te veneratur,
[Quique molestatur] a daemonis arte proterva.

Cod. Pragen. (ol. Trebonen.) I E 25. add. saec. 15. — 1, 2 Fulget. — 2, 2 Roma. — 3, 1 limina qĩ; der Text ist hier und im folgenden Vers sichtlich verderbt. — 3, 2 cuicunque rediens. — 4, 2 Romae. — 5, 1 necet in multis ubera manet. — 10, 1 Perpessis chiragram cura simulque podagranti. — 12, 1 facti Christi. — 14, 1 Quem.

71. De sancto Bonifatio.

1. Eia, qui terra premeris,
Qui sordibus intingeris,
Luto detrusus carceris,
Confide, ne desperes,
Sanguis, qui lavat omnia,
Summa misericordia
Tua delebit vitia,
De servo fies heres.

2. Quem colis Bonifatium,
Nunc sanctum quondam impium,
Ad spei tuae gaudium
Proponas in exemplum;
Corpus a turpi vitio
Submotum dat martyrio
Fitque Dei iudicio
De lupanari templum.

3. Aurum arena foditur,
Lapis in aes convertitur,
In ventre conchae gignitur
De rore margarita;
Nulla te fraus decipiat,
Nullus metus deiciat,
Te tristem spes alliciat,
Te ferrum calamita.

4. Suspiciens considera
Praeclara Dei munera,
Quae provehit ad sidera
Demersos in profundum,
Laudes rependas inclitas
Christo, cuius benignitas
Poenas remittens debitas
Dat regnum gaudibundum.

Cod. Londinen. Reg. 7 A VI saec. $^{14}/_{15}$.

72. De sancta Brigida.

Brigida nomen habet gemino et diademate fulget,
Quam colimus, fratres, Brigida nomen habet.
Virgo fuit Domini mundo et crucifixa manebat,
Intus et exterius virgo fuit Domini.
5. Despiciebat ovans instantis gaudia vitae
Et falsos fastus despiciebat ovans.
Horrŭit et fragiles mundi fallentis honores,
Divitias, pompas horruit et fragiles.
Gaudia perpetuae spectans et praemia vitae
10. Suscepit certae gaudia perpetuae.
E superis resonat cantus cum fidibus, echo
Tubarum sublimis e superis resonat.
Mitte, beata, preces pro nobis, virgo benigna,
Ad Dominum semper mitte, beata, preces.

Colgan, Trias Thaumaturga p. 542. ex Cod. S. Auberti Cameracen. — 11 resonat intus cum sedibus. — Colgan schlägt vor, Zeile 12 zu lesen cum tuba sublimis; Todd, Liber hymnorum I p. 64 bringt andere Verbesserungen in Vorschlag, die indes nicht ungesucht erscheinen.

73. De sancta Caecilia.

1. Gaude nunc, Caecilia,
Summi regis filia,
Praedita virtute,
Quia mundi vilia
Contempsisti gaudia
Tu a iuventute.

2. Gaude, coniunx, vidua,
Virgo nam assidua
Luce sociaris
Viduis, coniugibus
[Simul et virginibus]
Quibus copularis.

3. Gaude, nam ad gratiam
Sponsi conscientiam
Tui deduxisti,
Cum illum idolorum
A cultura profanorum
Purgandum misisti.

4. Gaude, nam vernantibus
Liliis florentibus
Ac rosis ornaris,
Cum per Christi angelum
Intrantem cubiculum
Iussu coronaris.

5. Gaude, nam te balnei
Vis ferventis igni
Dimisit splendere
Sic, quod nulla laesio
Carnis aut adustio
Valuit patere.

6. Gaude, nam hinc passio,
Tu ter icta gladio,
Martyr, adimpletur,
Dum a te plebecula
Triplici diecula
[In fide] docetur.

7. Gaude, quia vivere
Nunc cum iustis crederis
Regis in curia,
Ad quam nos dirigere
Digneris et recipere
Mortis a furia.

Orat. ms. S. Caeciliae Colonien. saec. 25. Cod. Colonien. 1. — 4, 2 ac floreis, gegen den Reim. — 4, 3 Roseis. — 7, 2 verletzt den Reim.

74. De sancto Christophoro.

1. Tu Iesus es testis: ubi Christophorus memoratur,
Vis famis aut pestis, mala mors ibi non dominatur.
Non homo nec pecora quaevis subeunt graviora,
Hoc dedit absque mora Christus sibi mortis in hora.

2. Christophori speciem quacunque die revereris,
Certus habeto diem, subito quod non morieris,
Christophori sancti speciem quicunque tuetur,
Illo nempe die nullo languore tenetur.

3. Pensa, qui transis, tu Christophoro pius an sis,
Si non, fac, ut sis, ipsum venerando fidelis.
Martyr Christophore, pro salvatoris honore
Fac nos mente fore dignos deitatis amore.

4. Promisso Christi quia, quod petis, obtinuisti,
Da populo tristi bona, quae moriendo petisti,
Confer solamen et mentis tolle gravamen,
Iudicis examen fac mite sit omnibus. Amen.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 211. — Zu 2, 3 sq. vgl. Vers 3 sq. in der folgenden Nummer.

75. De sancto Christophoro.

1. Christophori collo sedeo, qui crimina tollo,
Solus de sanctis formam tenet ille gigantis.
Christophori sancti speciem quicunque tuetur,

Illo nempe die nullo languore tenetur,
5. Sed defendetur per illum, qui cuncta tuetur.
Qui corpus Christi dignus portare fuisti,
Qui defers numeris Christum, Christophore, laetis,
Corpora, Christophore, fac nostra carere dolore.

Brev. ms. Toletanum saec. 14. Cod. Matriten. Ff 147. A. — Orat. ms. S. Ferdinandi Matriten. 14 saec. 15. B. — 2 steht hinter 5 A. — 3 Sancti Christophori eius speciem B. — 5 fehlt B. — 7 fehlt B. — 8. Christophore fehlt B; fac corpora B. — Nach 8 fügt A noch bei: Visio Christophori magna sit munca [sic] dolore. — In A unter den Suffragia. 88.

76. De sancto Christophoro.

Martyr Christophore, pro salvatoris honore
Fac nos mente fore dignos pietatis amore.
Promisso Christi quia, quae petis, obtinuisti,
Da populo tristi bona, quae moriendo petisti.
Confer solamen et mentis tolle gravamen,
Iudicis examen fac mite sit omnibus. Amen.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Civit. Turicen. C 176. — 1 O martyr. Das ganze Lied ist übrigens gleich dem Schluſs von Nr. 74.

77. De sancta Clara.

1. Ave, mater humilis,
Ancilla crucifixi,
Clara, virgo nobilis,
Sponsa Iesu Christi,
Ad caelestem patriam
Fac nos proficisci.

2. Claritatis lilium,
Clara clarens stella,
Virtutum sacrarium,
Transfer, mater bella,
Nos ad Dei filium,
Pigmentorum cella.

3. Gloriosa virgo, stella
Clara matutina,
Rosa rubens, carens spina,
Gemma virginea.

4. Claritatis speculum,
Clara, per omne saeculum
Clares cum sponso gloriae
In claritate Christi,
A vetustate scoriae
Nos emundes, memoriae
Tuae quos stabilisti.

5. Clara Dei famula,
Tenera infantula,
Cilicii baiula,
Vivens sine macula.

6. Tu forma humilium,
Castitatis lilium,
Sanctitatis speculum,
Novum per prodigium
Mariae vestigium
Ac eius sequens filium.

7. Ave, rosa venustatis,
Fune cincta castitatis,
Nova plantans lilia
Francisci pia plantula,
Clara, Mariae filio
Iesu Christo tam pio
Nos commenda per saecula.

8. Ave, thronus Salomonis,
Quem ornavit suis donis
Ac replevit multis bonis,
Quibus clare claruit,
Quod virtutum habuisti
Sacrum septenarium.

9. Ave, cedrus altissima
Et arbor pulcherrima,,
Poma ferens optima,
Omni odore suavissima.

10. Ave, cupressus ramosa,
Cuius umbra gratiosa
Confert aegris refrigerium.

11. Ave, nardus odorifera,
Frutex aromatica,
Virgo clara, cassia
Vera non sophistica.

12. Eia, mater, tua prece
Peccatorum cor o faece,
Clara, nostrum emundetur
Ac in bono solidetur
Tuum per subsidium.

Orat. ms. Libehardi prioris Reichenbacen. anni 1476. Clm. Monacen. 2990. — 2, 1 Ave, claritatis. — 3, 1 Ave, gloriosa. — 4, 1 Ave, claritatis. — 5, 1 Ave, Clara. — 6, 4 per fehlt. — 7, 6 Christo fehlt.

78. De sancto Corbiniano.

1. Nobilis Corbiniane,
Tu doctrinae sator sanae,
Gratiarum scrinium,
Dei fortis agonista,
Ut Christi Iesu baptista
Dirimens affinium

2. Nuptias illecebrosas,
Deo sanctisque exosas,
Letalem invidiam
Meretricis incurristi,
Sed te pia manus Christi
Vitare perfidiam

3. Dedit huius meretricis,
De cuius excurrens vicis
Strenue evaseras
Ut Elias Iezabelem
Idolatram infidelem.
Gregem Dei paveras,

4. Oleum ministrans vitae,
Vinum, quod de vera vite
Profluit adiciens,
Sanos sane praeservando,
Mire saucios sanando
Singulis proficiens.

5. Catervatim ad te multi
Noxis grandibus sepulti
Concito consiliunt,
Pasti pabulo doctrinae
Praestitae tibi divinae
Ad sua prosiliunt.

6. Nam eras verbo facundus,
Affectu nulli secundus
Pio et oboediens,
Papam enim bis adisti,
Non obtento, quod petisti,
Ad ovile rediens.

7. Ubi tibi commendatis
Monimenta veritatis,
Cultor castimoniae,
Ut decebat, proponebas,
Inter quos parce degebas,
Actor parsimoniae.

8. Doles panem filiorum
Partum fluxibus sudorum
Brutis dari canibus,
Loco cedens sed redisti,
Mitis reos arguisti
Verbis non inanibus.

9. En, praesagium divinum,
Quasi cor haberes binum,
Tuo dedit nomini,
Non fictae duplicitatis,
Binae vero caritatis
Proximi et Domini.

10. Cum pravatis bellum gerens,
Sed exsultans, si quis maerens
Reus ad te fugerat,
Adamator paupertatis,
Exsufflator vanitatis,
Curae tibi fuerat,

11. Fugere fallacem mundum,
Contra Deum furibundum
In sui perniciem,
Qui non parcit sanctitati
Nec sexui nec aetati
Nec colit canitiem,

12. Qui implumes, heu, deplumat
Atque rabiem despumat
Opprimendo debiles,
Cuius gaudiosos cantus
Aeterni sequuntur planctus,
Atroces et flebiles.

13. Sed prudentia superna
Praevidebat, ut lucerna
Exstares in patulo,
In supremo praesulatus
Gregem eius sublimatus
Regeres cum baculo.

14. Pravos stimulo pungendo,
Unco bonos attrahendo,
Quod est pii praesidis,
Quod ubertim perfecisti
Ut fidelis servus Christi
Poenam vitans desidis.

15. Voce cordis nec non oris
Deum oras paucis horis,
Aquam vinum faciens
Te cunctipotens audivit,
Fons e terra scaturivit
Plurimis sufficiens.

16. Bonum in terris sevisti,
Quod in caelis messuisti
Fructibus uberrimis,
Praescivisti vitae metam,
Intras Dei aulam laetam,
Ubi nunc pulcherrimis

17. Vernis floribus ornaris
Et cum paribus laetaris
In aeterna gloria,
Praemunitus sacramentis
Tuae carnis atque mentis
Omni lota scoria.

18. Eia, pater et patrone,
Nos satanico mucrone
Confixi crudeliter
Gemebundi clamitamus,
Impetra hoc, quod speramus
Orantes fideliter.

19. Dei gratiam adepti,
Poenis trucibus erepti
Infernalis furiae
In conspectu deitatis
Praesentemur cum beatis
Caeli toti curiae.

20. Ubi caelorum reginam
Et essentiam divinam
Mirantes videbimus
Et his, qui pro culpis gemunt,
Quos hic mundi mala premunt,
Laeti corridebimus.

21. Grates Deo referentes
Propter gratias ingentes
Factas magnanimiter;
Det hoc nobis almum flamen,
Corde toto dicant Amen
Omnes unanimiter.

Orat. ms. Tegurinum anni 1476. Clm. Monacen. 20002.

79. De sancto Corbiniano.

1. Ave, pastor et patrone
Felix pontifexque bone,
Corbiniane pater, ave,
Mihi peccatori fave,

2. Preces meas admittendo
Et obnixe deducendo
In effectum, quidquid peto.
Te accedo corde laeto

3. Supplicando studiose,
Ut tu praesul gloriose
Atque Dei tu confessor,
Fias mihi intercessor

4. Apud Dominum Iesum Christum,
Ut non fallar per mundum istum,
Et quod hactenus est comissum,
Non me demergat in abyssum.

5. Ne delinquam rursus prave,
Cor ad Deum sursum trahe,
Ut in praesenti et futuro
Amem ipsum corde puro.

6. Corde, voce laudem Deum,
Reflectendo super eum
Omnes vires et conamen
Suum exorando nomen.

7. Ut excessus sic deplangam,
Ut non post hanc vitam longam
Pro peccatis feram poenam,
Invitari fac ad cenam,

8. Ubi nullus est defectus,
Ut ibidem sim electus,
Angelis corregnaturus
Et a malo sim securus.

9. Amen; illud idem, pie
Iesu, fili da Mariae,
Pater atque sacrum flamen,
In caelesti Hierusalem.

Orat. ms. Underdorfense saec. 15. Clm. Monacen. 7815. — 4, 1 Christum fehlt.

80. De ss. Cosma et Damiano.

I.

1. O animarum medici
Et corporum veridici,
Cosma et Damiane,
Sanate aegros moribus,
Ut a cunctis doloribus
Vivamus semper sane.

2. Beati vos artifices
Fideles et opifices,
Vestro digno precatu
Christus, medela cordium,
Purificator sordium,
Nos solvat a reatu.

3. Infirmitas ne corporis
Ad culpam trahat temporis
Spiritum animalem,
Aut carnis nostrae pravitas
Animam sive vanitas
Laedat rationalem.

4. Culparum morbos pellite,
Praeparandam dirigite
Materiam peccantem,
Noxae faeces eicite
Confortando reficite
Vitam desiderantem.

5. Sacris electuariis,
Potionibus variis
Et aquis lacrimarum,
Syrupis paenitentibus
Cum pillulis solventibus
Excessum animarum,

6. Salutis nardo pistico
Et alabastro mystico
Actus vitae curate,
Virtutum aromatibus
Mentis infirmitatibus
Mederi festinate.

7. Unguentis redolentibus,
Pietatem habentibus
Aegrotis subvenite,
Murra carnem mortificet,
Et sensus tus purificet,
Balsamus bonae vitae

8. Regimen bonum conferat,
Ne sanitas nos deserat
Sentiens recidivum,
Ne mergamur in puteum,
Respiret corpus luteum
Ad statum redivivum.

II.

1. O medici piissimi,
Qui meritis clarissimi
In caelis refulgetis,
In beatorum coetibus,
Angelorum cohortibus
Sine fine gaudetis,

2. A peste, clade corporum
Praeservetis et operum
Morbis, ne langueamus
Aut moriamur spiritu,
Sed animae ab obitu
Velociter surgamus

3. Et vivamus in gratia,
Sacra caeli palatia
Donec ingrediamur,
Gaudentes de victoria
Et trinitatis gloria
Felices perfruamur.

4. Amen dicamus pariter
Et pergamus alacriter
Caelorum ad solamen,
Ad beatorum aciem
Cernentes Dei faciem,
Rex regum praestet. Amen.

Corner, Magnum promptuarium 1635, p. 603 sq. mit der Angabe: „Prosa vetustissima . . . impressa olim Brunswigae 1514.“ A. — Aus unbekannter Quelle bei Milchsack I, 83. B. — I und II umgestellt A. — I. 1, 5 et a B. — 4, 6 Mentem Deo placentem A. — 5, 6 Vitium animarum A. — 7, 4 Malam carnem A. — 8, 1 Opinionem conferat B. — 8, 2 Ne suavitas nos B. — 8, 3 Aut sternat recidivum B.

II. 1, 4 Et beatorum B; sortibus A. — 1, 6 Iugiter congaudetis B. — 3, 1 Ut vivamus B. — 4, 6 Rex poli praestet A.

81. De sancto Cuthberto.

Salve, sancte pater, Cuthberte, vir inclite, recti
Norma, pater patriae, cura salusque tuae.
Salve, dulce decus, salve, spes magna tuorum,
Virtus nostra, vale, vir pietatis, ave.
Sit tibi laus, tibi dignus honor, tibi gratia detur,
Qui licet indigno das bona saepe mihi.
Tu mihi magna salus, mihi gloria saepe fuisti,
Tu me dulcifluo semper amore foves.
O quot saepe malis, quibus hostibus atque periclis
Me, pater, ereptum prosperitate foves,
Et tibi quid dignum reddam, pater, o pie praesul?
O pater, o clemens pastor, adesto mihi,
Ut placet, et nostro, pater, auxiliare parenti,
Auxiliare mihi, dulcis amice Dei.

Cod. Londinen. Reg. 7 A VI sace. $^{14}/_{15}$. — 3 dulce salus decus. — 13 nostri. — 14 mei.

82. De sancta Dorothea.

1. Ave, tu virtutum tumba,
Sine felle es columba,
Generosa Dorothea,
Nos tuere, ne romphea
Daemonis deiciat.

Generosa Christi verna,
Naevo carens et lucerna
Mundo lucens ac pincerna,
Vina praebens mystica,

2. Paradisi tu colona,
Quae pro malo reddis bona,
Scribae mittis caeli dona
Rosas, mala caelica.
Praeco Christi, quae profanos
Deos spernens et paganos
Fide vestis et sic vanos
Mores regis hominum.

3. Pulchra coruscans puella,
In aetate iam tenella
Te succidunt dira bella
Sub duce Fabricio;
Vinculata maceraris,
In catasta cruciaris,
Vultu caesa flagellaris
Omni carens vitio.

4. Gens perversa malae spei,
Quam dum doces verbum Dei,
Lumen tuae faciei
Conterit cum baculis,
In te dictat tormentales
Poenas saevas et letales,
Dum mamillas virginales
Tuas cremat faculis.

5. Supplicamus, nos tuere
Et peccata fac deflere,
Martyr sancta, confer vere
Tempus paenitentiae;
Virgo bona, crimen tege,
Victum dona, mores rege,
Ne damnemurque cum lege
Causa neglegentiae.

6. Pugil Christi, Dorothea,
Tua nos virtute bea,
Ut associemur beatis condigno praemio;
Deum nobis fac placatum,
Ut post mundi incolatum
Nobis locum det optatum
In caelesti gremio.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20001.

83. De sancta Dorothea.

1. Fulta fide Dorothea,
Iudicem Fabricium
Non formidas, sed ut beata spernis eloquium,
Insultante gente rea
Non horres supplicium.

2. Verbis blandis tunc conatur
Te, virgo, seducere,
Nec promissis superaris
Nec terreris verbere,
Compediris, obserraris
Taetro clausa carcere.

3. Vas liquoris aestuantis
Athleta ingrederis,
Sed virtute hoc tonantis
Fervore non laederis,
Post haec plagis tot et tantis,
Clara vultu, caederis.

4. Carne sancta laceraris,
Fluit unda sanguinis,
In mamilla concremaris,
Furit ira praesidis,
Fuste caesa decollaris,
Iungeris mox caelicis.

5. Imminente passione
Virgo haec interserit:
Assequatur, Iesu bone,
Quod a te petierit,
Suo quisque in agone,
Mei qui meminerit.

6. Dorothea, sponsa Christi,
Pro sponso humiliter
Quae tormenta pertulisti,
Peto nunc suppliciter,
Tutrix sis a clade tristi
Hic et aeternaliter.

7. Gloria sit, Iesu bone,
Tibi nunc et iugiter,
Qui certantes in agone
Adiuvas fideliter
Et mercedem das coronae
Vincenti viriliter.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20001. A. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. B. — 1, 3 Non formidas, sed maturum. B. 1, 4 tu formas eloquium B. — 5, 5 Meae pro te passionis B. — 5, 6 Quisquis memor fuerit B; Mei qui memor fuerit A. —

84. De sancta Dorothea.

1. Gaude, sponsa Dorothea,
In caelesti iam chorea,
Verbo qui creavit cuncta,
Christo tuo sponso iuncta.

2. Secum intras in conclave,
Epithalamum suave,
Ubi semper angelorum
Audis eructare chorum.

3. Super multas speciosas
Filias mittendo rosas
Februi algore diro
Te honorat more miro.

4. Rosa florens sine spina,
Fulgens stella matutina,
Hora vespertina praesto
Nostri sis et memor esto.

5. Nos ad patriam tendentes,
Hoc in stadio currentes,
Malis variis gravatos
Tota die morti datos,

6. Gratia quae es diffusa,
Labiis tuis excusa
Erga summum genitorem
Genitumque campi florem
Et amborum sacrum flamen.
Fiat, fiat. Amen, Amen.

Orat. ms. Gelriense saec. 15. Cod. Bremen. C. 22. — Nach dem Liede finden sich folgende Verse:

Haec dona donantur: Dorotheam qui venerantur,
Sunt fortunati personis nec tribulati,
Paupertas, furtum, mala mors, confusio, stuprum
Nec gravitas partus, proles vitiata per artus,
Singula non laedunt, ignis, phantasma recedunt,
Et dum decedunt, tunc Christi corpus habebunt.

85. De sancta Dorothea.

1. Gaude, virgo Christi grata,
Dorothea, sic vocata
Disponente Domino.

2. Gaude, virgo gloriosa,
Dorothea speciosa
Deitatis gratia.

3. Gaude, virgo te quaerenti
Et sincere diligenti
Iuncta das tripudia.

4. Gaude, dulcis advocata,
Caeli serto coronata,
Ardens o carbuncule.

5. Gaude, splendens pulchritudo
Virginumque claritudo
Ad instar carbunculi.

6. Gaude, virtutum area,
Urbe nata Caesarea,
Tu a me pelle vitia.

7. Gaude, maestis consolamen
Miserorum et velamen
In saeclo naufragantium.

8. Gaude, decus humilium,
Mihi confer auxilium
Et pro me ora Dominum.

9. Gaude, cuncta impetrasti,
Ictus ensis dum sperasti
Sub praefecto Fabricio.

10. Gaude, gentis adiutricem,
Scelerum te assistricem
Sciant mortis in periculo.

11. Christi dona visionem,
Peccatorum tersionem,
Veram cordis compunctionem,

12. Dei matris praesentiam
Tuamque apparentiam.
Duc nos post te ad gloriam.

Cod. Ducumburgen. 84. saec. 15. — 4, 3 o fehlt. — 5, 2 que fehlt. — 7, 1 maestis solamen. — 10, 1 centis adiutricem. — 12, 3 ad Dei gloriam.

86. De sancta Dorothea.

1. Stella lucens clare,
Tui est donare,
Christi imperare,
Mei sed rogare.

2. Tibi, virgo, non est fas,
Ut precata denegas,
A Christo cuncta impetras,
Posse tuum non est breve.
Si non tua pietas
Effectum preci daret,
Mis mens vacillaret,
Cui adest anxietas
Timoris non leve.

3. Si ergo non annuit
Tis favor, id, quod petam,
In extasim corruit,
Orandi volo metam.

4. Rogo, sis, piissima,
Mihi non ingrata
Mala ob gravissima,
Commisi quae, peccata.

5. Superbiae elatio,
Luxus delectatio,
Irae, avaritiae,
Invidiae, saevitiae,

6. Gula et acedia,
Boni et desidia
Non pellant tis subsidia,
Dum tantis sis ditata donis,
Singulis dotata bonis.

7. Quis est tam sine cerebro
Et expers sanae mentis,
Qui non oraret te crebro
Dum gratiae ingentis
Sis dotis et fluentis.

8. Indigne refutares
Quemlibet peccantem,
Cum annuendo dares
Rogata per blasphemantem.

9. Rogavit prece unica
Theophilus abs corde,
Cui mala punica,
Rosas carentes sorde
Misisti; sic plenissime
Me audi supplicantem,
Christum habes firmissime
Tibi nil negantem;

10. Ut vox evangelica
Fari licet nobis,
Quidquid voce caelica
Petatis, fiat vobis.

11. Columba simplex tu leonem
Theophilum cepisti,
Ad veram hinc dilectionem
Carentis norma,
Praeclara forma
Cunctis natis hominum,
Largitoris omnium
Tuis donis vinxisti,
Serpentem sic vicisti.

12. Theodori o filia,
Quae mentis cum vigilia
Quaeque fugas vilia
Naturaeque debilia
Lampade fervente
Castigas, ut morales,
Virtutes theorales,
Mores naturales
Pura servans mente.

13. Te, virgo, petit omnis clerus,
Gentis laudat coetus plerus,
Animus gementum merus
Suspirat pro iuvamine,
Dolor, tribulatio,
Maerentum conturbatio
Clamat pro solamine.

14. Horum collegam
Me fore legam,
Agens, oro, ut sic degam,
Da, quod mis defectus tegam.

15. Haec, virgo, dona, quae pro donis
Sunt data specialibus
Tibi hora in agonis
Et tuis sodalibus.

16. Deus nam praevidit tibi,
Sibi ut ab aeterno
Famuleris hic et ibi,
Scribit coetu in superno.

17. Et haec in te parentes tui
Strui
Singulari praemio
Meruerunt vitam sui,
Frui
Tecum Christi praemio.

18. Cuius vivens apostola
Es ipsum praedicando,
Sui turbam augmentando,
Fidem eius promulgando
In vita sic pro morte sola
Stola laetabunda
Texit Christus te iucunda.

19. Sic caeli manes incola,
Sic iam ostendunt satis
Dona tuae pietatis
Plurima prodigia,
Quae per te Christus tis post mortem
Fecit multis dando sortem,
Finem rectum, vitam fortem
Et sequi tis vestigia.

20. Aliaque multa signa,
Tua sanctitate digna,
Quae nunc narrare transeo,
Haec ineffabilia
Neque scrutabilia
Sensus per aspectum,
Incontemplabilia
Per hominis intellectum.

21. Ach, virgo, haec precata
Voluntate cape grata,
Quae impetrasti mihi dona,
Dona bona, zona
Hostium me non ligat,
Nec figat
Immunda
Verecundiae unda,
Facundiaeque linguam puram
Placituram
Deo et hominibus
Da nunc in omnibus,
Ut non deficiam
Sitiam-
que semper fontem vivum;
Divum rivum
Contritionis in me funde,
Tunde cor meum reum
Devotam ad confessionem,
Totam satisfactionem,
Vitam perfectam,
Fidem rectam,
Regem noscam angelorum
Tuum per iuvamen,
Cui laus per saeculorum
Saecula. Amen.

Orat. ms. Tegurinum anni 1469. Clm. Monacen. 20124.

87. De sancta Dorothea.

1. O miranda Dorothea,
Novum sensum in me crea,
Tenacem memoriam
Peccatorum, mater vera,
Confer mihi verba mera,
Dulcem eloquentiam,
Et ne damnet me mens rea,
Me virtute tua bea
Dando confidentiam.

2. Supplicamus, nos tuere,
Martyr sancta, confer verae
Tempus paenitentiae,
Virgo bona, crimen tege,
Victum dona, mores rege,
Ne damnemur gravi lege,
Da spem indulgentiae.

3. Pugil Christi, Dorothea,
Tua nos virtute bea,
Cor in nobis mundum crea
Cum condigno praemio;
Deum nobis fac placatum,
Ut post huius mundi statum
Vitae locum det optatum
In caelesti gremio.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. A. — Orat. ms. Elvangense saec. 15. Cod. Stuttgartien. 1 b 91. B. — 1, 1 O miranda et sanctissima B. — 1, 4 martyr B, vera fehlt B. — 1, 5 Confer mihi vera revelamina verba mera da deflere meaque reata B. — 1, 6 Dulciaque eloquia B. — Nach Str. 1 schieben AB ein: Ave gemma virtuosa etc. Mone Nr. 897, Str. 1. — 2, 3 Tempus difinitie B. — 3, 1 O pugil B — 3, 3 Associemur B. — 3, 4 Cum fehlt B. — 3, 6 vitae statum B. — 3, 7 Saecli locum det B. — Nach Str. 3 folgt in B noch (O) Dorothea Christo grata etc. Mone l. c. Str. 2.

88. De sancta Dorothea.

Nobilis et iusta, mitis virgo Dorothea,
Dulcis, iucunda, gloriosa, decora, benigna,
Vere cunctorum mediatrix es peccatorum.
Ignibus es assa, pro Christi nomine passa
Tempestate, fame, post quinque quater quoque mane
Carceris in tenebris tu, virgo, reclusa teneris.
Post cruce suspensum tenerum corpus laceratum,
Post ferro laesum, virgis flagris quoque caesum,
Pectus, virgo, tuum ardenti face perustum.
Oleo perfusa bullienti es, virgo decora,
Fustibus es laesa, virgis plagis quoque caesa.
Es decollata postremo, virgo beata,
Ad caelos isti, cum vita privata fuisti,
Et postulata Christus tenuit tibi rata.
Adiutrix digna tu sis mihi, virgo benigna,
Ac advocata, cum sis super astra locata,
Non rogo ditari nec paupertate gravari,
Sed me circumda virtutibus et medium da.
Virgo Iesu Christi, per gaudia, quae meruisti,
Per te non sera mihi sit contritio vera.

Peccatis lassis continuo, te precor, assis
Ac delictorum veniam deposce meorum.
A fama ficta me protege tu, benedicta
Virgo, tu sis mihi lux, in itinere tu sis mihi dux.
Virgo, tuis precibus detur haec protectio laute,
Ut possim mundi transire pericula caute

Cod. S. Petri Salisburgen. b II 30 saec. 15. A. — Orat. ms. Elvangense saec. 15. Cod. Stuttgartien. 1 b 91. B. — Orat. ms. Vratislaviense saec. 15. Cod. Univ. Friburgen. (Helv.) s. n C. — 1. Nobilis et casta B. — 2. iucunda, pro nobis ora benigna B. — 3. Vere contritorum B. — 5 fehlt B; post quartus quinqueque mane C. — 6. tenebris post virgo C. — 7. tueris corpus B. — 8. fehlt B; flagellis virgis quoque caesum C. — 9. Pectus tuum virgo candenti A. — 10. fehlt C; Oleo imposita A. — 11. fehlt A; Baculis est caesa facies tua quoque laesa C. — 13 und 14 umgestellt A. — 14. tibi tenuit A. — 15. digna mihi sis virgo C; digna tu sis virgo B. — 18. et fehlt A. — 19. steht vor 15 B. — 19 bis 24 fehlen C. — 20. sit mihi B. — 21. Peccatis lassa constringe deprecor assa B. — 23. A fame B. — 24 u. ff. fehlen B. — 26. pericula transire A.

89. De sancta Dympna.

Alma Deum Dympna pro nobis iugiter ora.
Filia christicola regis de lege profana,
Virgo decora nimis, contemnens idola patris,
Haec Christo nubit patris sponsalia spernit.
Hibernorum rex natae caput amputat exlex.
O felix patria, quam sacrat sanguine Dympna.
Cantica psalle pia Dymnae, Ghele, villa beata,
Terribiles hostes prosternit regia proles.
Unica tota salus, qua gaudet terra Ghelensis,
Carmina casta tibi, martyr, reminiscere nostri.

Vita ms. S. Dympnae saec. 15. Cod. Gelen. s. n.

90. Ad sanctam Dympnam.

Oratio de tempore decollationis.

Florido quondam tempore
rosarum et liliorum
Dympna in villa de Ghele,
regis proles Hibernorum,
Sacro florebat sanguine;
nunc, victrix daemoniorum,
Virgo martyr, nos defende
ab incursu praedictorum,
Ne nos mergant, sed duc tute
ad regna laeta polorum.

Vita ms. S. Dympnae saec. 15. Cod. Gelen. s. n.

91. De sancta Dympna.

Ave, Dympna, virgo sanctissima,
Multa laude vere dignissima,
Ave, generosa et iucunda,
Agni sanguine rubicunda.
Ave, beata Christi virguncula,
Per quam tanta coruscant miracula.
Gaude, dulcis et benedicta,
Quae reorum deles delicta.
Vale, pia mater, per saecula,
Sis apud Christum pro nobis sedula
Et contra daemones protectrix firmissima

Orat. ms. Neerlandicum saec. 15. Cod. 7977 der k. u. k. Familien-Fidei-Kommifs-Bibliothek Wien. — 10 pro nobis sollicita. Vgl. Anal. XV, Nr. 175.

92. De sancta Elisabeth.

1. O laudanda gloriosae,
Sanctae matris et famosae,
Elisabeth nobilitas,
O miranda gratiosae,
Stirpis quoque virtuosae
Plus nobilis humilitas.

2. Pia mater, cum fulciret
Et te multum insigniret
Regalis ipsa gloria,
Dignitatem es oblita,
Mundi pompas, opes, ita
Et cuncta transitoria.

3. Pretiosas abdicasti
Vestes, carnem castigasti
Ieiunio, cilicio,
Ut valeres cohibere
Te per haec et retorquere
A putri carnis vitio.

4. Et effecta orphanorum
Mater es et pupillorum,
Ut posses hic liberius
Sensus tuos occupare
Et de tuis cogitare
Bonis rebusque verius.

5. Ut in usus salutares
Infirmorum haec mutares
Et pauperum in fercula,
Quos sollerter visitasti,
Sordes horum contrectasti
Ut mulier paupercula.

6. Hos lavisti, his stravisti,
Hos cibasti, baiulasti,
Tu sancta regis filia;
O quam multis sanativa
Erant et confortativa
Haec facta tam humilia.

7. Foras dabant sospitatem,
Intus poenae puritatem
Ipsorum ad solacia,
Ut in signis liquet dignis,
Quibus, mater tu insignis,
Dei fulgebas gratia.

8. Nam defuncti reviviscunt,
Ambulare claudi discunt,
Leprosos tu salvificas,
Aures surdis sunt apertae,
Caecis datus visus per te,
O quantos sic laetificas.

9. Eia, tu matrona pia,
Ora pro me hostes quia
Tres me impugnant graviter,
Haec, quae obsunt, cupit caro
Et, quae prosunt, infert raro,
Sed blanditur suaviter.

10. Mundus vult, ut diligatur,
Quod oblectat, non spernatur,
Amantes ut inficiat;
Offert pulchra, pandit vana,
Vere falsa et insana,
Incautos ut alliciat.

11. Et antiquus nequam ille,
Sciens artes plus quam mille
Temptandi, ut decipiat,
Contra bonos furit, fremit,
Ad peiora malos premit,
Ut plures sic surripiat.

12. Quare Deum deprecare,
Ut hos hostes superare
Det mihi et resistere
Et fervere in amore
Eius absque et torpore
Virtutibus insistere,

13. Sibi soli inhaerere
Ac defensus permanere
Ab omnibus periculis
Et post mortem semper frui
Claritate vultus sui
Ex tuis adminiculis.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. Nr. 29. A. — Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. B. — Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. C. — 1, 4 Admiranda AB. — 4, 1 Es effecta C. — 8, 4 surdae C. — Statt Str. 12 und 13 hat C die folgenden:

12. Ergo, mater gratiosa,
Patens castitatis glosa,
Iustorum tripudium,
Consolatrix infirmorum,
Hospitatrix egenorum,
Maestorem refugium,

13. Gregem tuum tu custodi,
Ne per hostem possit rodi
Morsu amarissimo,
Aufer fel adversitatis
Et da mel suavitatis
Gregi devotissimo.

14. Munda, mater, nostras mentes,
Sponso tuoque placentes
Sint per viam sospitem,
Ut post huius vitae cursum
Scandere possimus sursum
Ad caelorum hospitem.

93. De sancta Erentrude.

1. Salve, rosa puritatis,
Viola humilitatis,
Cuius folia virtutum
Multis monstrant iter tutum
Ad caeli tripudia,
Agnum sequens sine menda
Tu, Erntrudis reverenda,
Stola candida ornata,
Christi sponsa, virgo grata,
Sprevisti propudia.

2. Nardum pisticum sincerum,
Fidei te lumen verum
Sancta vita fulguravit,
Ac religio mundavit
A peccati scoria;
Castitatis tu saphirus,
Non gustasti luxus virus,
Pudicitiae ac cella,
Honestastis fulgens stella,
Gaudens nunc in gloria.

3. Thyma caritatis suavis,
Liberalitatis clavis,
Gratiarum largitudo,
Pietatis mansuetudo,
Rivus indulgentiae,
Ancora tu nostrae spei
Gaudiumque requiei,
Aeternorum contemplatrix,
Legis Dei vera latrix,
Scutum patientiae.

4. Eructasti verbum bonum,
Unde sponsi tui thronum
Introisti exsultando,
Sapienter vigilando
Cum gnaris virginibus.
Recreatrix tu lassorum,
Fortitudo prolapsorum,
Fervens Dei ac hymnista,
Bene sonans cymbalista
In sacris carminibus.

5. Nobilis ex stirpe clara,
Claritas virtutum cara,
Generosa in sophia,
Es fecunda sicut Lia,
Ferens fructus caelicos.
Doctrix Dei disciplinae,
Vias vitans vagas Dinae,
Sanctitatis vitae forma,
Cunctarum virtutum norma,
Regulans famelicos.

6. Rectrix Christi ancillarum
Fuisti ac lumen clarum
Coruscans in Dei templo
Fide, verbo et exemplo
In mandatis Domini;
Vitam tu contemplativam
Cum Maria et activam
Cum Martha sollerter ducens,
Lux in mundo grata lucens
Es utrique homini.

7. Doctrix sagax et diserta.
Debora ut tutrix certa,
Vernas tuas tu defensas
Et tutelas fers immensas
In te confidentibus.
In aeternum benedicta,
Cum sit gratia non ficta
Tuis labiis diffusa,
Recta via, non illusa,
Es te reverentibus.

8. Soror dulcis angelorum,
Carens thoro delictorum,
Fructum habens tu sanctorum
. . . . . .
Ornata monilibus.
Odor bonus tuae vitae
Te ad caelos duxit rite,
Ubi veste deaurata
Et a rege coronata
Exsultas in milibus.

9. Plena largitatis vena,
Pulchra tota et amoena,
Largas manus extendisti
Ad egenos, quos pavisti
Multum liberaliter.
Evangelii fluenta
Potasti mente intenta,
Horrens Babylonis potum,
Mortis felle plenum totum,
Vivens tu frugaliter.

10. Mater es dilectionis
Pulchrae et agnitionis,
Virgam Christus, rex Assuerus,
Ad te pius et sincerus
Est extendens auream.
Floribus morum venusta,
Columna Dei augusta,
Audi, filia, et vide
Te remuneratam fide
Per caelestem lauream.

11. Es amica pulchra tota,
Macula ab omni lota,
Annulo te subarrhavit
Christus atque trabeavit
Te in sponsam eligens;
Rex decorem concupivit
Tuum, cum te castam scivit.
In procellis naufragantes
Huius mundi et clamantes
Ad te salva erigens.

12. Tempestatis dulcis portus
Ac amoenitatis hortus,
Sion filia formosa,
Sine spina vernans rosa,
Tu convallis lilium.
Nubes tegens a calore,
Nos in tuo duc amore,
Medicinae distributrix
Miserorum ac adiutrix,
Salvatrix humilium.

13. Ueritatis tu lucerna,
Luce bea hic superna
Invocantes te devote
Liberaque tua dote
A gehennae aestibus.
Dilecta, decora nimis,
Sponso tuo, nos in imis
Fac peccata nunc deflere
Et post mortem congaudere
Tibi in caelestibus.

14. Iugum Dei tu portasti
Suave, sub quo militasti,
Nunc triumphans es in caelis,
Nobis miserere velis,
Rogo te piissimam.
Suffragatrix, precor, fortis
Sis in hora nostrae mortis,
Et succurrat nobis, amen,
Sponsus tuus, amen, amen,
Per te excellentissimam.

Orat. ms. Scotorum Vindobonen. 52 d 11. saec. 15. — 1, 6 sine macula. — 5, 7 vagas divine. — 6, 5 In manda Domini. — 6, 12 uterque. — Akrostich:
Sancta Erndrudis
Opem fert nudis.

94. De sancta Fide.

1. Sancta Fides, virgo clara,
Martyr Christo valde cara,
Audi, quaeso, mea vota
Coram Deo et fac rata.

2. Audi vocem te vocantis,
Audi precem te precantis,
Cor attende supplicantis,
Mentem fide te amantis.

3. Hic peccator te requirit,
Hic captivus ad te fugit,
Confitetur, quod peccavit,
Orat, gemit, dolet, plangit.

4. Ora patrem, ora natum,
Ora sanctum flamen horum,
Ne me damnet in aeternum
Propter suum nomen sanctum.

5. Vitam meam inquinavi,
Quia multa mala feci,
Multa mala verba dixi,
Multa mala cogitavi.

6. Dignus ergo sum damnari
Nec sum dignus exaudiri,
Sed tu, digne quae vixisti,
Tu es digna exaudiri.

7. Ora ergo pro indigno
Et fac dignum de indigno,
Ut sim dignus omni bono
Et indignus omni malo.

8. Tu per mundum diffamaris
Propter mira, quae tu facis,
Et prae multis Dei sanctis
Et amaris et oraris.

9. Tu solaris desolatos,
Tu infirmos facis sanos,
Claudos, caecos, mutos, surdos,
Immo paene omnes aegros.

10. Per te damna reparantur,
Vincla ferri dirumpuntur,
Catenati dissolvuntur,
Captivati liberantur.

11. Quae tot ergo bona facis,
Mihi, quaeso, semper assis
Et a cunctis serva malis
Ac in cunctis iuva bonis.

Cod. Londinen. Harl. 2882. saec. 13.

95. De sancto Gabriele.

O Gabriel laudabilis,
Magne princeps et nobilis,
Qui missus es de caelis
Beatae Mariae virgini,

Tu nobis nuntia
Salutis gaudia
Et fac haec, propera,
Quod nostra scelera
A Deo sint mundata.

Cod. Parisin. 11343 saec. 15.

96. De sancto Georgio.

O Quiritum gloria,
Martyrum victoria,
Ave, lux thronorum,
Ave, dux patronorum.
Salve, invicte procliator,
Orthodoxe propagator,
Inclitus et generosus,
Qui es nulla labe rosus,
Strenuitate praefulcitus,
In latria sistens citus;
O Georgi sanctissime,
Moribus gravissime,
Qui virtute Iesu Christi
Intoxatum ebibisti
Et illaesus permansisti,
Hinc magum redemisti.
O rerum spretor mundanarum,
Frivolantur vires quarum,
O quanta luce coruscasti,
Virginem dum liberasti
Mortis ab exitio
Fidei et a vitio
Draconem occidendo,
Regem cum suis convertendo.
Ex quo nobilissimus equester
Nominaris, sis sequester
Inter me et hos tres hostes,
Ne caeli defendant postes:
Carnem, daemonemque mundum.
Fac me iter ire mundum
Et sic me iube militare,
Caelum queam ut intrare
Tuo sub vexillo
Me locans in tranquillo.

Orat. ms. Sigismundi Span de Bernstein anni 1477. Cod. Pragen. XIII H 3 b. — 8 es fehlt. Steht aus anderer Quelle mit anderem Anfange auch Anal. XV, Nr. 179.

97. De sancto Georgio.

Georgi, mirabilis
victor in tormentis,
Te decoravit Dominus
gratiae fluentis,
Dans, ut per te gaudeant
de precibus obtentis,
Qui tuae memores sunt
mentibus attentis
Passionis inclitae,
quam sustinuisti,
Athleta miles strenue,
pro amore Christi.

Orat. ms. Sigismundi Span de Bernstein anni 1477. Cod. Pragen. XIII H 3 b.

97. De sancto Georgio.

1. Fideles, huc attendite,
Christi sanctum diligite,
Mentibus laete dicite:
Georgi, martyr inclite,

2. Te decet laus et gloria,
Praedicantum militia,
Per quem puella regia,
Exsistens in tristitia

3. Coram dracone pessimo,
Te rogans corde intimo
Soluta est et animo
Se reddidit altissimo

4. Cum multis infidelibus.
Fac ergo, ut cum civibus
Tu nos reddas caelestibus
Nostris ablutis sordibus.

5. Ut simul cum laetitia
Tecum simus in gloria,
Nostraque reddant labia
Laudes Christo cum gratia.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Guelfenbyteran. Helmstadien. 1140. — Aus anderer Quelle Anal. XV, Nr. 180.

99. De sancta Gertrude.

1. Salve, virgo speciosa
Gertrudis, tu generosa
Ducis Pipini filia,
Puritate redimita,
Pretiosa margarita
Super auri milia.

2. Salve, casta sponsa Christi,
Quae terrena respuisti
Per eius auxilia,
Via morum, flos virtutum,
Forte castitatis scutum,
Reprimens hostilia.

3. Salve, gemma verae lucis,
Quae Austrasiorum ducis
Obfucasti filium,
Carnem eius dum sprevisti
Et amplexus abiecisti
Voluptatum vilium.

4. Sed dum nimium temptaris,
Tunc a matre occultaris,
Castitatis lilium,
Et ob votum castitatis
Et tutandae puritatis
Fugis in exsilium.

5. Ad partem orientalem
Franciae, ad locum talem,
Karleburch qui dicitur,
Ubi per te in Nivella
Tunc insignis atque bella
Basilica perficitur.

6. Omni cultu quam ornasti
Et in ea collocasti
Gregem monialium,
Tuque facta monialis,
Digna mater pastoralis
Es effecta talium.

7. Caecos, claudos collegisti
Et egenis praebuisti
Advenis hospitium,
Quos cibo spirituali
Cibasti et corporali
Per pium exercitium.

8. Hinc labore facto satis
Pastoralis dignitatis
Cessisti officio,
Sponso tuo sic abs cura
Casta vita, mente pura
Servis in cilicio.

9. Carne sponte maceraris,
Ut tandem proficiscaris
Ad aeternum praemium,
Mole carnis hinc exuta
Te suscepit, virgo tuta,
Sponsi tui gremium.

10. Ergo, mater gratiosa,
Patens castitatis glosa,
Iustorum tripudium,
Consolatrix infirmorum,
Hospitatrix egenorum,
Maestorum refugium,

11. Gregem tuum tu custodi,
Ne per hostem possit rodi
Morsu amarissimo,
Aufer fel adversitatis
Et da mel suavitatis
Gregi devotissimo.

12. Munda, virgo, nostras mentes,
Sponso tuo quod placentes
Sint per vitam sospitem,
Ut post huius vitae cursum
Scandere possimus sursum
Ad caelorum hospitem.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. — Das gleiche Lied aus einer anderen Quelle Anal. XXIX, 147.

100. De sancta Godeleva.

1. Ave, martyr gloriosa,
Sponsa Christi pretiosa,
Godeleva sanctissima,
Stirpe nata generosa,
Virgo florens velut rosa,
Nupta constantissima,
A viro ludibriosa
Pertulisti ut famosa
Vidua fidelissima.

2. Nutu Dei conservata,
Virgo manens inviolata,
Per eius saevitiam,
Cui nupta, coartata
Siti, fame macerata
Viri per malitiam
Et ab ipso desolata
Ac domique mancipata
Viduae tenens regulam.

3. Post per ipsum iugulata
Et a servis es necata
Caelo reddens animam,
Ubi martyr praedotata,
Quater constas coronata
Tenens triumphi lauream;
Unde, martyr memorata,
Nostri memor sis, beata,
Ferentes tui memoriam,

Orat. ms. Misseniacense saec 15. Cod. Londinen. Egerton 2125.

101. De sancto Gregorio.

Magne pater o Gregori,
Magnum fructum salvatori
Eleganter attulisti,
Cuius gregi praefuisti.
5. Servus prudens et fidelis,
Oves praedo ne crudelis
Saeviendo laceraret,
Sed ad caulas grex mearet.
Sub exemplis et doctrinis,
10. Quibus fulges [columbinis]
Quasi stella matutina,
Per te crevit disciplina
Sanctitatis, vita morum.
Tu post Deum lux iustorum;
15. Quidquid patres araverunt
Vel virtutis seruerunt,

Illa digne messuisti,
Intra membra spargens Christi,
Ne succumbant ruitura.
Tu illustri ex natura
Pulcher foris, fons viroris,
Intus plenus, dos amoris;
O doctorum sidus clarum,
Mundo gratum, Deo carum,
Quo pusilli confortantur
Et fideles roborantur.
Cleri veri tu corona
Caritatis et intona,
Vigil caeli citharista,
Iesu Christi tu sacrista
Ac thesaurus es scripturae,
Cuius mihi iam est curae.
Super rosam vir praeclare,
Ut hanc queam indagare,
Tuo dulci fac rogatu,
Studiorum in hoc statu
Ut per lumen intellectus
Sensus meus sit directus
Ad id, ubi summum bonum
Regnat super caeli thronum.

Orat. ms. Reichenbacen. anni 1476. Clm. Monacen. 2990. — 10 Die Taube ist ikonographisches Attribut Gregors. — 35 Tuo dulci patronatu; bei dieser Lesart fehlt das Zeitwort zum folgenden.

102. De sancto Gregorio.

Salve, flos ecclesiae,
Honor monachorum,
Doctor sapientiae,
Speculum pastorum,
Salus pestilentiae
Urbis Romanorum,
Gregori sanctissime,
Decus clericorum.

Salve, cuius merita
Norma sunt iustorum,
Vita nec non inclita
Exemplar sanctorum,
Semita iustitiae
Tu es, forma morum,
Auctor amicitiae,
Salus viatorum.

Salve, carens simili
In sacra doctrina,
Mente scrutans humili
Dogmata divina,
Instructus a spiritu
Forma columbina,
Ut nos in hoc transitu
Serves a ruina.

Salve, summus pontifex,
Felix tu fuisti,
Terrenorum locuplex
Licet exstitisti,
Tu in usus pauperum
Hoc distribuisti,
Ut amorem integrum
Possideres Christi.

Non curans in saeculo
Hoc thesaurizare
Neque rerum cumulo
Nimis abundare,
Inopum miseriam
Velis sublevare
Et ad Dei gloriam
Totum erogare.

Duodecim pauperes
Dietim pavisti,
Miseros ac inopes
Ad honorem Christi,
Sed tertiumdecimum
Semel perdidisti,
Dei sanctum angelum
Fore cognovisti.

7. O quam vir piissime
Christus te probavit,
Angelus cum speciem
Pauperis monstravit,
Ut dares subsidium,
Certe te rogavit,
Discum mox argenteum
A te reportavit.

8. Salve, cuius lacrimae
Piae, quas fudisti,
Cum Traianum intime
Ad cor reduxisti
Et iustum iudicium
Eius audivisti,
Suum servans spiritum
A dolore tristi.

9. Et in tanto lacrimans
Poenam meruisti,
Pro damnato flagitans,
Quod non debuisti,
Exinde febricitans
Aeger exstitisti,
Tandem vitam terminans
Purgando transisti

10. De valle miseriae
Ad aeternam vitam,
Damnando mortis robur
Et in tuto sitam
Sumens plenam gloriam,
Gaudio munitam
Et ex Dei munere
Prorsus infinitam.

11. Oves tuae pascuae,
Pastor, tu guberna,
Ne luporum rabie
Mergantur ad inferna,
Sed sanctorum animae
Scandant ad superna,
Ut fruantur requie
Tecum sempiterna.

12. Nunc isto coenobio
Gregem conservato,
Digneris protegere
Hoste anullato,
Purgatum a faecibus
Fine bono dato
Exsultare valeat
In regno beato.

Orat. ms. Carthus. Erfordien. saec. 15. (Privatbesitz). — 1, 5 pentilentiae. — 2, 3 nec non indicii. — 2, 4 Exemplis. — 2, 6 es fehlt. — 2, 7 Auctrix. — 3, 3 Mentes. — 3, 8 Servas. — 4, 1 supremus. — 4, 5 Tu rosa pauperum. — 5, 1 Moram curans. — 6, 3 pauperes. — 7, 3 cum spiritus. 8, 2 que fudisti. — 9, 7 Eandem vitam. — 10, 4 Ejius in tuto. — 10, 7 Dei munimine. — 12, 1 Nunc isto te nobis. — 12, 5 Purgatorem.

103. De sancto Guillelmo.

1. Guillelmus, flos nobilium,
Desperatorum solacium,
Exemplum fit paenitentium
Infirmis dans remedium.

2. Dux, comes magnificus
Cunctis spretis operibus
Eremita fit assiduus
Christum quaerens plenius.

3. Specus et tugurium
Sunt ei palatium,
Et post in Rhodis stabulum
Caelo dedit spiritum.

4. Ad cuius cunctis tumulum
Salutis datur subsidium,
Malis prece nos libera
Et ad caeli perduc gaudia.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 4, 3 Malis prece, Guilhelme, nos libera.

104. De sancta Helena.

1. Caeli regem veneremur,
Voce dulci modulemur
Infideli de regina,
Facta mundi medicina.

2. Per Silvestrum est nutrita
Et in fide stabilita,
Viro fidem quae suasit,
Christum sed plus adamavit.

3. Huius [in] conversione
Iubilemus contione
Angelorum cum superna,
Ut nos ducat ad aeterna.

4. Indos vertit et Hibernos,
Quos fideles fecit vernos
Sicque genti truci horum
Fidem dedit praedictorum.

5. Lignum quaerit haec Helena
In absconso non abs poena,
Quod post misit sublimari
Et per cunctos adorari.

6. Dehinc membra Thebaeorum
Per cultores vitiorum
Dire nimis trucidata
Per hanc sistunt sublimata

7. Templis altis, quae construxit,
Clare dum in fide luxit,
Quibus confert arva multa,
Quae est laude circumfulta.

8. Tandem haec matrona digna
Voce cepit de benigna
Sui sponsi exlamantis,
Hanc ad caelos invitantis:

9. Veni sponsa nunc amica,
Lege cares cum iniqua,
Caelos cum ingredieris,
Donis meis asserveris.

10. Nostra salus, o Helena,
Cum Xantrensibes amoena
Voce te laudare curem
Et in tua laude durem.

11. Tuum sponsum tu exora,
Pro his tu non des[is] prona,
Ut emendam consequantur
Et a noxis abluantur.

Collect. ms. Sangallense saec. 15. Cod. Sangallen. 304. — 2, 1 Per Silvestrum merita. — 6, 3 Dire minas. — 6, 4 Per haec. — 7, 3 arma multa. — 9, 2 Leges cares. — 10, 2 Cum Xantrenses. — 10, 3 curam. — 10, 4 duram.

105. De sancto Hieronymo.

1. Exsultet caelum laudibus
Et omnis terra iubilet,
Corde, voce et mentibus
Ieronimumque concinet.

2. O vere lux Italiae,
Ieronyme sanctissime,
Decus sanctae ecclesiae
Et doctor verus optime.

3. O virgo et flos virginum,
O sanctitatis vasculum,
Tu castitatis speculum,
Decus, corona et lilium.

4. O forma paenitentiae
Eremique angelici
Norma et abstinentiae,
Martyr mentis martyrii

5. Tu post Iohannem praevium,
Qui demonstravit Dominum,
Tenes caelum empyreum,
Dei regnum perpetuum.

6. Tu exstirpator omnium
Errorum, tu et schismatum,
Tu confudisti omnia
Per argumenta lucida.

7. O Bethlehem amplissima,
Quae filium Ieronymum
Nutristi, o piissima,
Tam sanctum et egregium.

8. Tu sacrosanctae fidei
Interpretator lucidus,
Tu doctrinarum splendidus
Largitorque magnificus.

9. Tua doctrina caelica
Splendet per mundi climata,
Lux pellens cuncta schismata,
Omni luce clarissima.

10. O sacra lux Ieronyme,
O pater beatissime,
Tu confessorum omnium,
Es splendor et lux mentium.

11. Tu omni clero ferculum
Dedisti salutiferum,
Vere cibum angelicum,
Omni melle dulcissimum.

12. Quis te posset omnimode
Laudare, mi Ieronyme,
Quis tuae sapientiae
Grates posset uberrimae.

13. O monachorum gloria,
Eremita angelicus,
Tu mundo es divinitus
Datus a Deo caelitus.

14. Quis gradus in ecclesia
Tua non gustat pocula
Dulcia et melliflua,
Divina ac magnalia.

15. Tu sacratis virginibus
Normam vivendi nobilem
Exemplis mirabilibus
Dedisti et immobilem.

16. Tu viduis et clericis,
Tu monachis et laicis,
Tu cunctis famulantibus
Deo dedisti pabulum.

17. Tu fluvius scientiae
Et doctrinarum rivulus,
Tu schola sapientiae,
Vere doctor eximius.

18. Quis posset tot volumina
Hebraea et Arabica,
Graeca quoque Chaldaica
Interpretare lucida?

19. In te effudit caelitus
Ardor divini spiritus,
Ut tot proferres grandia
Et vere mirabilia.

20. O quis laudare valeat
Ieronymum sanctissimum,
Vere patrem piissimum,
Vas auri splendidissimum?

21. Gaude, Bethlem sanctissima,
Et tu, tota Italia,
Gaudete, quaeso, invicem
Nutrisse tantum apicem.

22. O gloria tuae patriae
Et Dalmatiae bonitas,
O rosa et flos Italiae
Et virtutum immensitas.

23. Tu moniales vigiles
Devotas fac et humiles,
Ut te devotae et sedulae
Laudent, pie Ieronyme.

24. Quaeso, o pater inclite,
Ipsas devote protege,
Ab omni malo et crimine,
Dulcissime Ieronyme.

25. O pater celeberrime,
Alme, grate Ieronyme,
Exaudi, tuae servulae
Quas dant preces humillimae.

26. Tu sis, qui veris brachiis
Sustines templum clericis
Nec non et Christi laicis
Undique seras aperis.

27. Tuis devotis famulis
Praesto, mi pater, subveni,
Ut precibus continuis
Sint tuo amore fervidi.

28. Audi sua precamina
Et dimitte peccamina,
Solve nexorum vincula
Et da quieta tempora.

29. Per te renuent devia
Et cuncta nocibilia
Suaque desideria
Erigant ad caelestia.

30. Per te patrem et filium
Sanctum agnoscant spiritum
Et tua prece sedula
Ducantur ad caelestia.

31. Gloria patri Domino
Et suo sancto Ieronymo,
Qui cum Iesu unigenito
Semper regnat cum gaudio.

Orat. ms. S. Servuli Venetiarum saec. 15. Cod. Marcian. L III 32. — 5, 4 Et Dei. — 10, 1 sacra lex. — 13, 2 O eremita. — 20, 1 Quis laudare valeat. — 28, 2 crimina. — Aus derselben Quelle bei Huemer, Untersuchungen über die ältesten Lateinisch-Christlichen Rhythmen (Wien 1879) S. 70 ff.

106. De sancto Hieronymo.

1. O doctorum doctor, ave
Servulorum imo fave,
Ieronime, mi domine,
Acceptetur hic benigne,
Quamquam detur laus indigne
De peccatore homine.

2. Si indignus aut peccator,
Non malignus is laudator
Dici queat iuridice,
Nam ut laudet, inquam, reus,
Mori gaudet homo Deus,
Quod creditur veridice.

3. Vermis, rana dum coaxat,
Non spe vana linguam laxat
Cum angelis hymniferis,
Extinctus sic carbo linquo
Extinctos et appropinquo
Carbonibus igniferis.

4. Dat gradum aequalitatis
Mulierum maior natis
Tibi secum in praemio,
Defert sibi considere,
Pari luce refulgere
In paradisi gremio.

5. Quem beatus Augustinus
Ac Cyrillus, vir divinus
Senserunt mirabiliter;
Nec mirandum, quod aequantur
Pugiles, dum praemiantur,
Qui certarunt fideliter.

6. O aurora quam decora,
Stillans rorem, per quem florem
Virtutum concipio,
Deflorere et frondere,
Ferre fructus tuos ductus
Sequens non despicio.

7. Cardinalis ens in Roma,
Spirans lateque theoma
Fers aemulorum furias,
Ad desertum inde gressus
Inhumanas es perpessus
Ibi carnis iniurias.

8. Macerata haec te teste,
Cilicina tecta veste
Nude humo adliditur,
Post squalescens et rarescens,
Nigra pellis de flagellis
Tuae manus inciditur.

9. Quis divinis in doctrinis
Exponendis, transferendis
Et in tot linguagiis
Tam profundus, tam facundus
Et in tota mundi rota
Tantus in suffragiis?

10. Monialis saevis malis
Dum temptatur, obumbratur
Vi tuae imaginis,
Fratrem plane de germanae
Stupri felle quasi velle
Salvas et voraginis.

11. Tremens leo mansuefactus,
Pro medela ad te tractus,
Pedibus provolvitur,
Sumpta cura duratura
Servitute pro salute
Merces tibi solvitur.

12. Claustri muris ruituris
Tis devotam hinc amotam
Solam servas de ceteris,
Extinguis Sabinianum
Blasphemosque, sed Silvanum
Pulchre solvis, dum peteris.

13. Cur, baptistae par, assiste,
In honore qui labore
Es huic comparabilis,
Postulato, ne irato
Iudicante dei nato
Inveniar damnabilis,

14 Dato pie, ut in die
Tam poenali tribunali
Astem securissime,
Hoc adverte, dari certe,
Postulatur quidquid per te,
Rex iubet citissime.

15. Hinc scripturis de obscuris
Intellectum da perfectum
Cum sapore sugere,
Exquisita stare vita,
Motus luxus, bona, fluxus
Et excessus fugere.

16. Esto fortis hora mortis,
Ne in manum duram canum
Ruam infernalium,
Expers luctus per te ductus
Stem in choro praefulgoro
Laudum perennalium.

Cod. Brunsvicen. 48. saec. 15. — 4, 1 Dic gradum. Das gleiche Lied aus einer anderen Quelle Anal. XXIX, Nr. 289.

107. De sancto Hieronymo.

1. O generose domine,
Sanctissime Ieronyme,
Cor, verba et opus nostrum
Fac Deo beneplacitum.

2. Ipse te intercedente,
Qui vult omnes salvos esse,
Firmet iustos, sanet reos,
Ad se trahat erroneos.

3. Sint omnes rectores mei
Sancti, gnari, pii, iusti,
Nos humiles et subiecti
Omnesque Deo dilecti.

4. Ut nunc taliter vivamus,
Cum vitam hanc exeamus,
Sua misericordia
Nos in caeli ducat regna.

5. Quare nunc clamamus ad te,
Noli nos tunc relinquere,
Festina, ne tardaveris,
Succure nobis miseris.

Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. A. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20124. B.

108. De sancto Hieronymo.

1. Hymnos, psalmos concinamus
In laudem magnifici
Ieronymi et colamus
Eum corde simplici,
Qui crevit ut cedri ramus
Hic fructu multiplici.

2. Parvo victu refraenavit
Carnis petulantiam,
Sacco tectus et calcavit
Omnem arrogantiam
Et de saevo reportavit
Sic hoste victoriam.

3. Lucta pervenit frequenti
Ad cordis munditiam,
Per quam Deo excellenti
Placuit, qui gratiam
Illius infundit menti,
Lumen et scientiam.

4. Legis interpres divinae
Fidelis enituit,
Ex Hebraeo quam Latine
Discrete transposuit,
Unde laudem sine fine
In templo promeruit.

5. Haereticos expugnavit
Linguae comptae gladio,
Contra pravos et dictavit
Mores zelo nimio,
Quare plures provocavit
Contra se in odio.

6. In Bethlehem consummavit
Cursus sui stadium,
Ubi virgo reclinavit
Dei patris filium,
Et ad id, quod praelibavit,
Assumptus est gaudium.

7. Signis eum illustravit
Miris post interitum
Christus, per quae propalavit
Magnum vitae meritum
Eius et quod ambulavit
Iuxta suum placitum.

8. Perduc, doctor, ad amoenam
Exsulantes patriam,
In qua sancti cantilenam
Canunt luctus nesciam,
Summae trinitatis plenam
Contemplantes gloriam.

Collect. ms. Silvae S. Martini prope Geraldimontem saec. 15. Cod. 7961 der kk. Familien-Fideikomifs-Bibliothek Wien.

109. De ss. Hieronymo, Augustino, Thoma Aquinate.

1. Vos avete, admirandi,
Dulces patres collaudandi,
Flumine scientiae
Super cunctos praeferendi,
Claris donis extollendi
Septiformis gratiae.

2. Plus quam astra nunc fulgetis
Et aeterno nunc gaudetis
Lumine iustitiae,
Quod sperastis, iam habetis,
Credidistis, quod tenetis,
Aeternalis gloriae.

Ad sanctum Hieronymum.

3. Mundi pompam tu sprevisti
Et leonem domuisti
Sanctitatis culmine,
Tu ter linguis transtulisti
Testamenta duo Christi
Uno dans volumine.

4. Ibi patet, quam es plēnus,
Doctor sacer et amoenus,
Fugans hostes animae,
Tu ut Petrus sic severus,
Christi fide sic sincerus
Succurre, Ieronyme.

Ad sanctum Augustinum.

5. Velut Saulus tu perversus
Et ut Paulus es conversus
A lapsu ruinae,
Theologiam post professus
Super Cherub ponis gressus
Mirabilis doctrinae.

6. Quam largiflue diffundis,
Robur hostium confundis,
Sunt mille quorum minae,
Nos exaudi de profundis,
Tuis reple rivis mundis
O pater Augustine.

De s. Thoma Aquinate.

7. Tu non impar his duobus,
Sed aequalis es ambobus,
Dives Dei munere
Ut Iohannes tu profundus
Et ut idem ita mundus
Pietatis iubare,
Eloquentia facundus,
Comitum es oriundus
Nobili de genere.

8. Tu, o Thoma de Aquino,
Par decoris Augustino
Dominici ordine,
Te clamamus nos ab imo
Peccatorum, tenens primo
Ecclesiae cardinem,
Nos perfundas, deprecamur,
Propter quod et veneramur
Hanc tuam imaginem.

Scripturis sacris doceamur,
Libris tuis imbuamur
Per tuam indaginem.

Conclusio.

9. O praeclari tres doctores,
Veritatis professores,
Exaudite supplices,
Mundanorum contemptores,
Aeternorum amatores
Confortate flebiles.

10. Qui clamamus deprecantes
Ad vos iam, o triumphantes,
Adiuvate flebiles,
Ut perducti collaetantes
Ad concives iam regnantes
Deo simus habiles.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20132. A. — Orat ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19363. B.

110. De sancto Hugone.

1. Salve, norma monachorum,
Gemma Carthusiensium,
Gloria episcoporum,
Hugo, pater egentium,
Flos decorus puritatis,
Tu castitatis lilium,
Omnis spretor vanitatis
Amorumque carnalium.

2. Caritatis fervens cultor,
Pius cunctis, affabilis,
Delinquentum amans ultor,
Regibus venerabilis,
Humilitatis speculum,
Te ipsum mente spernens,
Honores, pompas, saeculum,
Nil nisi Christum cernens.

3. Pro quo, pater, non abnuis
Leprosos osculari,
Pauperum plantas abluis,
Cunctis scis misereri,
Ut Tobias sollicite
Defunctos sepulturae
Tu munus tradis siccine
Christi vacans culturae.

4. Tu Samuel a puero
Es in religione,
Sed Moyses in studio
Ac contemplatione,
Frugalitas et castitas
Te ornant Danielis,
David sed et humilitas
Ac virtus Misaelis.

5. Prozelaris ut Phinees
Offensas Dei tui,
Per quod probatus dignus es
Pontificatus sui,
Gemmas gestans in pectore
Nomenque salutaris,
Fronte festitus podere
Cum Aaron infularis.

6. Cum Helia miraculis
Clares in veste dura
Non parcisque piaculis
Regum sub mente pura,
Iam assumptus in gloria
Cum sanctis exaltaris,
Transscensa mundi scoria
Cum angelis laetaris.

7. Videns trinum et unicum
Hic multum concupitum
Deo fruens in saeculum
Tenes in infinitum,
Utens caelo deliciis
Ob abstinentiarum
Victum proque ciliciis
Amictu gloriarum.

8. Tu virginum aureolam,
Coronam monachorum
Portas, pater, et auream
Omnium beatorum,
Cadis cum quater senibus
Sex mittens ante thronum
Suis coronam pedibus,
Adoras Deum bonum.

9. Illuc, senior, dignare
Fratres tuos perducere,
Ut possimus Deum clare
Tecum semper aspicere,
Summa frui bonitate
Ac aeternis dulcoribus,
Comprehensa maiestate
Fungi diis amoribus,
Ubi pater vitam confert
Et filius illuminat,
Flamen sanctum pacem adfert,
Sanctos quoque laetificat.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 3, 4 Cunctis sis miserari. — 3, 6 Defunctis. — 7, 4 Quae tenes. — 9, 1 Illic.

III. De s. Iacobo Maiore.

1. Gaude, fili Zebedaei,
Nepos almae matris Dei,
Fruens vita caelibe,
Iesu Christi consobrine
Et Iohannis uterine
Frater, sancte Iacobe.

2. Gaude felix, qui vocatus
Mox fuisti iam paratus
Vana mundi spernere,
Iesum tu transfiguratum
Christumque glorificatum
Meruisti cernere.

3. Gaude, qui ad fidem Christi
Et Philetum convertisti
Simul cum Hermogene,
Turbis Christum nuntiasti
Et reginam visitasti,
Lupam re et nomine.

4. Gaude, Christo valde grate,
Ab Herode decollate
Fidei certamine,
Persequentemque Iosiam
Convertisti ad Messiam
Divino iuvamine.

5. Gaude, qui per miram sortem
Degustasti prior mortem
Ceteris discipulis,
Qui suspensum fornicantem
Liberasti se necantem
Magnis a periculis.

6. Gaude, spes peregrinorum,
Vera salus viatorum,
Dux itinerantium,
Honor, decus Hispanorum,
Liberator et cunctorum
Tibi famulantium.

7. Gaude, cuius laetabundus
Corpus quaerit totus mundus
Pia gratitudine,
Qui post te peregrinamur,
Fac, ut tecum perfruamur
Lucis plenitudine.

Offic. BMV. sec. usum Parisinum saec. 15. Cod. Rossian. VIII, 9.

112. De s. Iacobo Maiore.

1. Iacobe tu maior, gaude,
Praeditus es multa laude,
Christi carus es cognatus,
Cui semper sic tam gratus,

2. Quod ut plus familiaris,
Ad secreta vocabaris
Cum Iohanne et cum Petro
Ceteris dimissis retro.

3. Daemonum tu tortor dirus,
Magorum conversor mirus,
Vitiorum supplantator,
Miserorum consolator.

4. Primus inter fratres Christi
Mortis calicem bibisti,
Sic et primus tu bearis
Et in caelis coronaris.

5. Es sepultus gloriose
Multumque miraculose,
Quasi plus tu invocaris
Ac frequenter visitaris.

6. Plura signa operaris
Opem ferens tuis caris,
Quis nam hinc ut tu ex pari
Potest digne gloriari.

7. Mi patrone specialis,
Ex quo tantus es et talis,
Tege me sub tuis alis,
Serva me a cunctis malis.

8. Tu laus mea, lux et decor,
Spes et honor, dux, te precor,
Vitam meam intus, foris
Rege sic in cunctis horis,

9. Ut cum hinc exire vocer,
Mox ad dextram regni locer,
In quo regnat rex divinus,
Christus, tuus consobrinus,
Quem laudant per iubilamen
Omnes sancti semper. Amen.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. A. — Orat. ms. Carthus. Erphesforden. saec. 15. Cod. Rossian. VIII. 56. B. — 1, 2 Quia praeditus es B. — 1, 3 carnis es B. — 1, 4 Quia sibi sit tam B. — 2, 1 Qui ut B. — 4, 1 Quia inter fratres B. — Str. 6 und 7 in B:

Quia si plus invocaris
Et ad secreta ducebaris,
Plura signa operaris
Opem ferens tuis caris.

In . . . . gloriose
Ac multum miraculose,
Quis iam huic ut ex pari
Digne potest gloriari?

8, 4 Rege me sic cunctis B. — 9, 5 Quem per consolamen B. — 9, 6 Omnes laudant, dicant Amen. B.

113. De ss. Iacobo et Philippo.

O vos Iacobe, Philippe.
Principes festivi, quippe
Paschalis iucunditatis,
Vernalis amoenitatis,
Combinati estis bene
Causa caritatis plenae.
O Philippe, sidus factus
Mox es fratrem tuum nactus,
Inclitum Nathanaëlem,
Quem fecisti tu fidelem
Sub ficu inveniendo
Et ad Iesum perducendo;
Factus es consiliator,
Quando Christus miserator
Quinque milia virorum
Pastu pavit hordeorum.
Patris vultum tu petisti,
Satis esse tunc dixisti,
Multos aegros tu sanasti,
Mortuos tres suscitasti,
Effugasti et draconem,
Scythiam sic regionem
Tu docendo convertisti;
Tandem obis, ut cupisti,
Ad instar robusti ducis
Equitando sellam crucis,
Quam rex prius equitabat,
Per hanc te perhonorabat.
Iacobe, tu frater Christi,
Similis per totum isti
Vultu, membris, sanctitate
Et in morum honestate,
Iam sub infantili aevo
Liber a mortali naevo.
Infans tu infantis Christi
Conversalis exstitisti,
Virgo manens, sanctus natus,
Iustus dictus, cunctis gratus.
Balnea pro disciplina
Vitans, carnes atque vina,
Totiens geniculatus
Magnis crustis es gravatus.
Tuae magnae sanctitatis,
Nimiae sinceritatis
Omnis plebs tunc erat testis
Tangens oram tuae vestis,
Pro devotione pura
Et pro sanitatis cura.
Ex favore populorum
Prae coetu apostolorum
Templum solus tu intrabas,
Primus missam celebrabas,
Ab apostolis praeclaris
Primus praesul exaltaris;
Arce templi post deiectus
Lapidaris, vix erectus
Super genua petisti
Pro ignaris morte Christi.
Tandem quodam a maligno
Cum fullonum grosso ligno
Super caput verberatus
Dire sic exterebratus,
Cerebrum tunc cum cruore
Fluxit simul cum horrore.
Sic cum palma laureatus
Es in caelum exaltatus.
O patroni ambo clari,
Sitis mihi non amari
Me a malis protegentes
Et in bonis promovēntes,
Ut me mortis in agone
Liberetis a dracone.
Nunc et tunc sic tutus morer
Per vos, ne ab ipso vorer,
Sed securum me ducatis,
Ubi mihi ostendatis
Tu, Philippe, vultum patris,
Iacobe, tu vultum fratris,
Ambo vultum sacri flatus,
Quibus visis sim beatus.
Unus trinus hoc optamen
Propter vos det mihi. Amen.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. A. — Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. B.

114. De sanctis Innocentibus.

1. O sugentes Innocentes,
Sanguinem et lac fundentes,
O agnelli tam tenelli,
Vos tirones novi belli,
Primitivi Dei vivi,
Iam cruoris fluunt rivi
Ex vestra militia.
Quid egistis, quid laesistis,
Quem vos unquam offendistis,
Quod tam demens et inclemens
Contra vos Herodes fremens,
Tam pusillos, tam tranquillos
Et omnino imbecillos
Pugnat cum saevitia?

2. Ex quo iacto omni pacto
Carne, corde, ore, facto
Castos, puros, non periuros
Nec mendaces, sed securos
Vos a labe sine tabe
De festuca vel de trabe
Esse purgatissimos.
Hinc in Rama vestra fama
Crescit de Herodis squama,
Nam nunc statis et cantatis,
Cum agno citharizatis,
Canditati, sociati,
Hunc sequentes semper grati,
Hoc vos dat clarissimos.

3. O dilecti mei recti,
Vos patroni hic electi,
Precor tote et devote,
O Christi compatriotae,
Me iuvate et orate,
Pro me coram agno state,
Ut parcat miserrimo.
Et scurriles mores viles,
Omnes actus pueriles
Iam deponam et coronam
Vobis sanctis datam pronam
Vestra prece mox in nece
Sumam sine culpae faece
Fructu saluberrimo.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. — Das Lied erinnert an das Ursulalied O vernantes caeli rosae. — 2, 2 ore fracto.

115. De sanctis Innocentibus.

1. O beati Innocentes,
Quorum voces neque mentes
Nunquam mala peregerunt,
Quos perversi occiderunt.

2. Pro rege nato trucidati,
In cruore baptizati,
Regnum Dei meruistis,
In quo laeti introistis,

3. Lac fudistis cum cruore
Ac perfusi caeli rore
Culpam Adae extersistis,
Vestem vestram abluistis.

4. Caelum cunctis reserastis,
Nova bella praeparastis
Sanctis, Christus quos redemit,
Quos iniqua gens peremit.

5. Primum gratum Deo donum
Tulistis in caeli thronum,
Quod direxit patri natus
Pra solute nobis datus,

6. O beati Innocentes,
Quos iam colunt omnes gentes,
Quae in Christum pie credunt
Et a fide non recedunt,

7. Vestra prece tueantur,
Quod a malis non laedantur,
Sed vobiscum consequentur,
Quod a Christo coronentur.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. — Dieses und das vorhergehende Lied sind Anal. XXIX, Nr. 262 sq. aus anderer Quelle mitgeteilt.

116. De s. Iohanne Baptista.

1. Iohannes, vox gratiae,
Christique baptista,
Exaudi me miserum,
caeli citharista,
Mihi fer auxilium,
virtutum sacrista,
Ut sim contra vitia
fortis agonista.

2. Ovans inter viscera
matris exsultasti,
Salvatorem omnium
motu salutasti,
Viam paenitentiae
turbis praedicasti;
Pro me pie supplica
agnum, quem monstrasti.

3. Herodem tu arguis,
quod ius prophanavit
Propter Herodiadem,
ob hoc amputavit
Tuum sanctum verticem;
me, quem vinculavit
Hostis, per te liberet
is, qui me plasmavit.

4. Angelus te nuntiat
patri veterano,
Qui salutem attulit
generi humano;
Fac, ut sic renuntiem
Satanae profano,
Ut nunquam consilio
me seducat vano.

5. Normam abstinentiae
in te ostendisti,
Mel silvestre commedens
corpus refecisti
Et locustas aridas
cibum tu sumpsisti;
Me concivem patriae
fac, quam introisti.

6. Natum te ab utero
praedulcis Maria
Mox a terra sustulit,
consolatrix pia;
Mihi, pater, subveni
in lutosa via,
Ut cum sanctis perfruar
caelesti harmonia.

7. Eliam te nominat
Iesus benedictus,
Camelorum de pilis
te texit amictus,
Cum zona pellicea
parcus tibi victus;
Fac, quod me non superet
Satan maledictus.

8. Summe natorum omnium
et mundi lucerna,
Clientem me supplicem
tuum hic guberna,
Cuncta me fac plangere
crimina veterna,
Ne amittam gaudia
in caelis aeterna.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29.

117. De s. Iohanne Baptista.

1. Salve, sacratissime
Mulierum nate,
Angeli dictamine
Iohannes vocate,
Matris alvo flamine
Sacro consecrate,
In lucernam gratiae
Populis parate.

2 Salve, praeco praedicans
Christum orbi natum
Et praesentem indicans
Digito monstratum
Ad Iordanem increpans
Populi peccatum,
Baptizando praeparans
Iter Deo gratum.

3. Salve, qui in eremis
Vixeras devotus,
Vestitus ciliciis
Et locustis fotus,
Cunctis carens vitiis,
Unda tibi potus,
A mundi deliciis
Eminus remotus.

4. Salve, qui mortalium
Solus meruisti
Sacrum lymphis tingere
Corpus Iesu Christi,
Patris testimonium
De caelis audisti,
In columbae specie
Spiritum vidisti.

5. Salve, rubens rosula
Proprio cruore,
Redolens ut lilia
Virginali flore,
Sumas haec precamina
De me peccatore
Et defer solamina
Mortis in angore.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Collegii SS. Trinit. Oxonien. 13. A. — Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. B. — Str. 2 u. 3 umgestellt B. — 4, 3 Sacris A. — 5, 5 Sumens A. — 5, 7 Et feras solatia B. — 5, 8 Nunc et in mortis languore A.

118. De s. Iohanne Baptista.

O Iohannes gloriose,
O baptista generose,
O martyr beatissime,
Eremita sanctissime,
Plus quam propheta diceris
Angelusque praedicaris,
Fulges prae sanctis ceteris.
Indigno famulo tuo
Ne despice vota, quaeso,
Nam post Deum et post matrem
Te elegi mihi patrem.
Illi sunt te sanctiores,
Sed tu post illos prior es,
Quem prae ceteris diligo,
Quem frequentius invoco.
Suscipe me in filium,
Ne repellas me miserum,
Impetra mihi gratiam,
Ut spernam mundi gloriam,
Dulcescat paenitentia,
Placeat sanctimonia.
Cor meum do et animam
Sic in tuam custodiam.
Custodi me a peccatis,
Ne iudicer cum damnatis.
In mei transitus hora
Pro me, precor, Deum ora.
Praesentandus coram rege,
Qui me habet iudicare,
Advocatum te habeam
Sustinendo causam meam.
Me, parentes et amicos
In manus tuas commendo,
Fiat, ut tuis meritis
Caeli fruamur gaudiis
Praestante haec paraclito,
Qui cum patre et filio
Vivit atque regnat unus
Per cuncta saecula Deus.

Orat. ms. Cluniacen. saec. 15. Cod. Parisin. Nouv. acq. 333. — 12 te fehlt. — 36 haec fehlt. — 38 Vivit et regnat.

119. De s. Iohanne Baptista.

O Iohannes gloriose,
O baptista generose,
Fervens praeco veritatis,
Virgo sanctae castitatis,
O martyr beatissime,
Eremita sanctissime,
Plus quam propheta praedicaris
Angelusque nominaris.
O magister prophetarum,
Inter natos feminarum
Maior te nullus surrexit,
Deus te summe dilexit
Et replevit virtutibus,
Ut exemplar sis omnibus.
Tu viam humilitatis
Tenens et asperitatis,
Vestem portans camelorum
Primus martyr es sanctorum.
O pater benignissime,
O Iohannes dignissime,
Qui tantis privilegiis
Sanctis fulges prae omnibus
Me custodi a peccatis,
Ne condemner cum damnatis.
Corpus meum et animam
In tuam do custodiam.
In meae mortis hora
Deum pie pro me ora
Et tempore iudicii,
Precor, recordare mei
Et pro me pius assistas
Ad impetrandam gratiam,
Non ut secundum merita
Condemner ad supplicia,
Sed tuis sanctis meritis
Caeli tunc fruar gaudiis.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 35. sanctis fehlt. — 36. tunc fehlt. — Vgl. die vorhergehende u. folgende Nummer.

120. De s. Iohanne Baptista.

O Iohannes gloriose,
O Iohannes gratiose,
Hoc nomine te vocavit
Angelus, cum nuntiavit
Zachariae nasciturum
Infantem magnum futurum.
Ille, quia non credidit,
Statim loquelam perdidit,
Sed te nascente soluta
Fuit eius lingua muta.
Tu priusquam esses natus,
Fuisti sanctificatus,
Salvatorem agnovisti
Tu, in quantum potuisti,
Adhuc alvo matris clausus
Es honore prosecutus.
Helisabeth hoc testatur
Dicens, quod infans laetatur
In eius clausus utero
Assurgens Iesu parvulo.
In annis puerilibus
Iam viluit tibi mundus,
Eius gloriam sprevisti,
In desertum cum fugisti,
Mel silvestre et locusta
Fuit cibus, potus aqua,
Cui camelus indumentum,
Pellis omne strophium.
Pretiosum corpus Christi
Baptizare meruisti,
Agnum Dei in aperto
Monstrasti digito sancto.
Tu es, cui testimonium
Praebuit Deus omnium,
Inter mulierum natos
Nemo te surrexit maior.
O martyr beatissime,
Eremita sanctissime,
Plus quam propheta diceris
Angelusque praedicaris.
Tu, qui tot privilegiis
Fulges prae sanctis ceteris
Indigni tui famuli
Vota, quaeso, ne respuas.

Heu, peccator et immundus
Assim tua prece mundus,
Nam post Deum et post matrem,
Te elegi mihi patrem.
Illi sunt superiores,
Sed post illos tu prior es,
Quem prae ceteris diligo
Et frequentius exoro.
Suscipe me in filium,
Ne repellas me miserum,
Impetra mihi gratiam,
Mundi spernere gloriam,
Dulcescat paenitentia,
Placeat caerimonia,
Et claustralis religio
Non sit mihi fastidio.
Corpus meum et animam
In tuam do custodiam,
Libera me a peccatis,
Ne iudicer cum damnatis.
In mei transitus hora
Pro me Deum, precor, ora.
Praesentandus coram rege,
Qui me habet iudicare,
Advocatum te habeam
Sustinentem causam meam
Adversus hostem impium,
Meae salutis invidum.
Me, parentes et amicos
In manus tuas susceptos
Fac sanctis tuis meritis
Caeli frui deliciis,
Hoc praestante flatu sacro,
Qui cum patre et filio
Vivit et regnat Dominus,
Deus per saecula trinus.

Orat. ms. Italicum saec. 15. Cod. Londinen. Add. 10826. — 32. Tu monstrasti. — 35. Cui inter. — 48. Eius te elegit genetricem. — 56. Et da mundi. — 75. Fac nos. — 76. Caeli fovere.

121. De s. Iohanne Baptista.

Salve, sancte Iohannes, praecursor Christi,
Quem cum vita tum morte praecessisti
Ad dandam scientiam salutis.
A teneris [annis] tuae iuventutis
In animo contemnens hunc nihili mundum
Et nancisci gaudium caeli capiundum,
Hinc puer moriger Christi
Mox indoli indulsisti,
Cum te ad antra recepisti
Et pro deserto coluisti.
Is te unice delectabat incolatus,
In quo es herbis et te locustis delectatus
Dandi exempli gratia
Sic vitanda mundi retia.
O me, perlucida verbi lucerna,
Versantem in tenebris guberna,
Me, quaeso, dona hac prece,
Ne furtiva conficiar nece.
Credo tibi meam animam
Apprime aegram et ferme exanimam,
Ut, ubi me deficiat vita,
Sit per te in aethera sita.
Quantum, quantum usuvenit peccare hominem,

Te flagitante damnarier credo neminem.
Nam talis es et tantus,
Qualis peccator sit et quantus.
Tua intercessio crimina
Reconciliat, quae fecit, omnia
Ex clamantis dulcis auditu
Maxime grata frugi scitu.
Fac, caveam truces reatus,
Ut valeam evadere beatus,
Fac assistam coram sedulo
Deo vel tibi in iubilo
Et pro tuo sancto facinore
Audi memet tantopere
Precantem nec missum facias,
Quem humanitus exaudias,
Et si renuis, fretus scriptura
Plus te afficiam prece mansura,
Tantisper preci vacabo,
Dum te vinciens placabo.
Ego sceleris omnis plenissimus,
Tuae opis appetentissimus,
Clamito similis pulli hirundinis,
Cum in eum animadvertit famis vis.
A parvulo sanctior prae ceteris,
Habe rationem miseraminis,
Nam hae sunt partes sanctorum
Misereri peccatorum,
Et Christus ea gratia
Te elegit ex sententia.
Ergo sis praesto interpellare,
Da copiam Christo laudes dare,
Cui tam laudem paris quam morem geris,
Quanti plus animarum consequeris,
Atque non modo sanctis caeli gaudium
Verum etiam angelis affers tripudium.
Tu inter iuste vivendum
Praedicare paenitendum
Hoc flagitium nefandum,
Hinc te vincit decollandum.
Cadis perinde atque reus
Esses, cum sis Nazareus,
Ceterum pro luxuria
Clares et flores gloria,
Cum virgo tum martyr gloriabunde
Et homo et angele amabunde.
O meum et omnium solacium
Nec non peccatori spei gazophylacium,

Sis mihi auxilio
Migranti in exsilio.
Id demum mihi dari percupio finaliter,
Ne in me Satan minus humaniter
Praevaleat, irrideat,
Glorietur et strideat,
Et orna me, precor, perpetuis gaudiis,
Quae nulla potest consequi lingua hominis.

Cod. Palat. Vindobonen. 4066 anni 1492. — 5. In animo complectens hunc. — 6. Et mancipi gaudium. — 14. vitanda. — 24. Te fragrante. — 54. laudi. — 61. flagitium peccatum. — 62. decollatum. — 65. per luxuria.

122. De ss. Iohanne Baptista et Evangelista.

Ave, gemma claritatis
Speculumque sanctitatis,
Mundi decus et lucerna
Dignitate sempiterna,
Virgo, martyr et symmista,
Iohannes, Christi baptista

Ave, virgo praeelectus
Et prae ceteris dilectus,
Cui amoris multa signa
Christus dedit laude digna,
Tibi Christus dedit ista,
Iohannes evangelista.

O quam pulchrae duae rosae
Et olivae speciosae,
O quam paeclara lumina
Et paradisi flumina,
O caelestes margaritae
Et honore redimitae.

Gabriel te nuntiavit,
Ipse Christus praedicavit,
Inter natos mulierum
Nemo maior, o quam verum,
In matre sanctificatus
Christi testis nondum natus.

Te custodem matri dedit,
Mors cruenta te non laedit,
Pectus Domini suxisti,
Mira Dei praevidisti,
Carne, spiritu beatus
Sic in caelum elevatus.

Tu puer plusquam propheta,
Firmans fidei decreta,
Dei agnum ostendisti,
Vocem patris percepisti,
Spiritum sanctum vidisti,
Trinitatem credidisti.

Aquila te figuravit,
Quis sanctorum sic volavit?
Te sol verus illustravit,
Ex te rivus emanavit
Mellifluae suavitatis,
Summae doctor caritatis.

O oliva speciosa,
Quorum vita gloriosa,
Columnna caelestis templi,
Expers flores et exempli,
Quorum merita beata
In conspectu Dei grata.

Vos virginalis gloria,
Martyrii victoria,
Tam vigens innocentia,
Virtutum excellentia,
Dignos nimis effecerunt,
Summa laude probaverunt.

O vasa electionis,
Sidera perspeciosa,
Vestris purgate precibus
Nos a peccati faecibus,
Omne bonum impetrate,
Nos a malis liberate.

11. Mementote miserorum
In valle periculorum,
Ne mergamur in infernum,
Sed vivamus in aeternum
Videntes Deum deorum
In saecula saeculorum.

Cod. Lambacen. 463. saec. 15. — 3, 6 Laude et honore. — 7, 4 manavit. — Dann folgt noch: Item antiphona de praefatis sanctis, uti supra:

Verbum Dei reseravit Iohannes evangelista,
Quod digito monstravit Iohannes baptista,
Hos petimus attentius, Cum nostri sint patroni,
Ut nostrae gratiosius Assint orationi.

123. De s. Iohanne Evangelista.

1. Iohannes, Christo proximus
Natura corporali,
Amore, sicut legimus,
Dilectus speciali,
Mariae custos intimus
Cum cura filiali.

2. Odivit praesens saeculum
Et coniugis amorem,
Parentem, domum, populum
Piscandique laborem,
Professus se discipulum,
Sectatur salvatorem.

3. Hic aeva pudicitia
Est virgo decoratus,
De vivi fontis copia
In cena debriatus,
Ut aquila caelestia
Est clare contemplatus.

4. Ad Christum multas animas
Convertit praedicando,
Hinc passus poenas plurimas
A populo nefando,
Flagella, minas, lacrimas
Devicit tolerando.

5. Non regi cessit impio
In oleo combustus,
Legatus in exsilio
In Christo fit robustus,
Nec famis, sitis taedio
Cessavit esse iustus.

6. Necato liber Caesare
Ad suos remeavit,
Miraculorum iubare
Haereticos prostravit,
Doctrinae sacrae nectare
Fideles roboravit.

7. Expleto cursus tempore
Coronam recepturus
Descendit sano corpore
In fossam moriturus,
Ut mundus est facinore,
Permansit sorde purus.

8. Senator apostolice,
Amice maiestatis,
Devotos tuos respice
Defendens a peccatis,
Ad civitatem caelicae
Nos perduc claritatis.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

124. De s. Iohanne Evangelista.

O Iohannes, vir summi meriti,
Qui tam dignus fuisti provehi
Bibens fluenta evangelii
Ex arcano pectoris Domini,

Cui datum soli est homini,
Ut pro Christo mariae virgini
Merereris proles substitui,
Digne custos sancti sacrarii,
De quo corpus sumpsit agnus Dei,
Quod est nobis sumptus viatici
Per desertum istius eremi,
Donec nos det beatitudini,
Post aerumnas huius exsilii.
O dilecte regis pacifici,
Sancte cultor pudoris nivei,
Audi voces orantis naufragi,
Maris huius qui fluctus petuli
Et Charybdis discrimen incidi,
Qui dum mente non vivo vigili,
Domum meam consensi perfodi,
Ubi vitae thesauros perdidi,
Caritatem Dei et proximi,
Meque hosti captivum tradidi,
Cuius dolo seductus corrui.
Verumtamen nec tunc ingemui,
Cum me eius artarent laquei,
Neque sordes meas erubui,
Postquam gravi vulnere cecidi,
Sed peccatum peccato addidi,
Dum surgere post lapsum distuli.
O patrone meus dulcissime,
Me subleva a tali onere
Et colloca in alto aethere.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. Cod. Leodien. 395. — 1. O fehlt.

125. De s. Iohanne Evangelista.

1. Salve, proles Zebedaei,
Tonans tuba terna Dei
Personans praeconia;
Salve, care salvatoris,
Qui amoris amplioris
Obtines insignia.

2. Certe mire te dilexit,
Qui de cruce te respexit,
Cum efflaret spiritum,
Atque matris amorosae
Designavit dulcorosae
Patrem atque filium.

3. O quam purum, Iesu pie,
Ipsum sentis, quem Mariae
Delegas custodiae,
Huic pectus das in cena,
Ipsum servas sine pona
Mortis in examine.

4. Ergo, care Iesu Christi,
Qui dolorem induisti
In planctu salvatoris,
Me dolentem confortare,
Pro me maestum memorare
In istis, precor, horis.

5. Propter plagas tam ingentes,
Quas tu flebas adfluentes
A tam dulci corpore,
Pelle plagas meae mentis,
Tolle, quidquid ibi sentis
Maculatum crimine.

6. Et qui sacra degustasti,
Dum in cena reclinasti
Salvatoris pectore,
Fac, ut praesens mea vita
Ex hoc nunc sit stabilita
Christiano foedere.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Cantabrigen. Ee VI 6. — 1, 5 amore. — 2, 3 afflavit.

126. De s. Iohanne Evangelista.

1. O felix evangelista,
Mihi iugiter in ista
Aerumna subvenias,
Sicut matrem Iesu Christi
Commendatam custodisti,
Precor, me custodias.

2. Confer vitae sanctitatem,
Corpori da sanitatem
Et quieta tempora,
Auge veram caritatem,
Pectoris da puritatem,
Me languentem robora.

3. O lucerna, flos virtutum,
Doctor sternens iter tutum,
Stella lucens sedulo,
Iubar tuae pietatis
Me absolvat a peccatis,
Tollat ab ergastulo.

4. Vitae meae rege cursum,
Post hanc vitam trahe sursum
Animam ad gaudia,
Ubi Deum contemplari,
Iustis semper sociari
Merear in gloria.

Orat. ms. Thosanum saec. 15. Cod. Bruxellen. 4948.

127. De Iesu, Maria, Ioseph.

1. O veneranda trinitas,
Iesus, Ioseph et Maria,
Quam coniunxit divinitas
Caritatis concordia.

2. Mater virgo puerpera
Parit in diversorio,
Cui Iesus sugit ubera,
Gaudet Ioseph obsequio.

3. Hic virgo servit virgini
Humili benignitate,
Sed virgineo germini
Ampliori caritate.

4. Magna laus humilitatis
In Ioseph, sed in virgine
Maior, et in deitatis
Prole laus est in culmine.

5. Hunc humilitatis thronum
Trinis distinctum gradibus
Tantumque gratiae donum
Nunc extollamus laudibus.

6. Ut humilitatis vitam
Suis sequi suffragiis
Donetur et per gratiam
Aeternis frui gaudiis.

7. Amen dicamus singuli
Huic sacro coetui trino,
Laudes canentes servuli
Uni trinoque Domino.

Cod. Parisien. 3639. saec. 15/16, mit der Randbemerkung: Gersonis. — 2, 2 Iacet. — Dieses Lied ist Anal. XIX, Nr. 284 als ein Hymnus aus einer anderen Quelle mitgeteilt.

128. De sancto Ioseph.

Sancte Ioseph, fili David,
Te rex summus honoravit,
Quando tibi commendavit
Virginem sanctissimam,
Tu cum illa salutatus,
Rogo, sis et exoratus,
Ut det mihi suus natus
Vitam beatissimam.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Chimen.) 4724. saec. 14.

129. De sancto Iuda.

1. Sanctum Iudam collaudemus,
Caeli civem celebremus
Condignis encomiis,
Particeps qui passionis
Dono retributionis
Gaudet cum apostolis.

2. Lumen erat et dux viae
Caecae genti et Mariae
Iunctus erat sanguine,
Habuit Alphaeum patrem,
Eius confitetur matrem
Se Maria Cleophae.

3. Duodenos eligebat
Christus, quibus decernebat
Munus apostolicum;
Dei nutu deputatus
Est Thadaeus et relatus
In eorum numerum.

4. Tradidit hic mox divinam
Idololatris doctrinam
Docens eos impiger,
Per miracla, quae patravit,
Quod docebat, confirmavit,
Augens fidem fortiter.

5. Clara Iudae sunt portenta,
Quae confirmant instrumenta
Data ab Abagaro,
Huic a se baptizato,
Falsa fide liberato
Profuit auxilio.

6. Nec in animo curabat
Regem tantum, quod rogabat,
Iuvit et in corpore,
Reddita dum sanitate
Facta sibi potestate
Lepram iussit cedere.

7. Tuus zelus non quievit,
Sancte Iuda, qui non sprevit
Regionem Persiae,
Hic idola confundebas,
Fidem felix invehebas
Et Mesopotamiae.

8. Unde turba sacerdotum
Conabatur, ut te totum
Quovis modo perderet,
Cum te Christum praedicante
Non idolum sicut ante
Verba prompte redderet.

9. Dum tu cupis propagare
Christi fidem, te fugare
Dolus vult diaboli,
Cui tamen non cessisti,
Immo cunctis ostendisti
Vanas fraudes erebi.

10. Quidquid mundi contempsisti,
Quod cepisti, docuisti
Cum gentis solamine,
Operam non perdidisti,
Christo multos peperisti
Verbi Dei semine.

11. Quam zelose conscripsisti
Et qua multum profuisti,
Colimus epistolam,
In qua studes nos docere
Viam regiam tenere,
Quae ducit ad patriam.

12. Orbis tibi fert terrarum,
Sancte Iuda, nomen clarum
Praeconis eximii,
Dei te dicunt legatum
Vindicemque veritatum
Venerantur ethnici.

13. Tandem finis est dolorum,
Meta venit et laborum,
Larga tollis praemia,
Virtus tua triumphavit,
Numen mire te ornavit
Martyrum laureola.

14. Nam ab his, quos edocebas
Veram fidem, perferebas
Mortem cadens fustibus,
Vitam Deo reddidisti,
Sed sic polum subiisti
Gaudens cum caelitibus.

15. Apostole lectissime
Et martyr invictissime,
Iuda, preces clientis,
Ut consuevisti, respice,
Devote celer suscipe
Hanc pronitatem mentis.

16. Attende vim certaminis,
Virtutem pete flaminis,
Pro qua has preces promo,
Accedit finis staminis,
Horror venit examinis,
Non titubem in bono.

17. Semper me ad hoc animem,
Ne animam contaminem,
Quae meus est thesaurus,
Tu meus semper doctor sis,
Ne mihi sit cum Deo lis,
Sic mihi manet laurus.

Cod. S. Floriâni XI 447. saec. 16. add. saec. 18.

130. De sancto Ivone.

1. O Ivo, consors caelice
Aeternae lucis deicae,
Qua frueris mirifice,
Te requirentem aspice.

2. O Ivo, caeli lucide
Civis, confessor candide,
Menti meae nunc turbidae
Lumen infunde valide.

3. O Ivo beatissime,
Praedicator peroptime,
Quia commendo tibi me,
Sis meae fautor animae.

4. O Ivo, pater pauperum,
Rogo, rege me miserum,
Ut iter eam prosperum
Ad electorum numerum.

5. O Ivo candens aetheris,
Britonibus prae ceteris,
Novis imbutus literis,
Nunc visu Dei frueris.

6. O Ivo, roga Dominum,
Aeternum patrem luminum,
Ut ad sanctarum virginum
Choros habeam terminum.

7. O Ivo, civis caelicus,
Sis meae mentis medicus
Animaeque causidicus,
Qui tuus vivo clericus.

8. O Ivo, absint vitia,
Fastus et avaritia,
Ira, gula, invidia,
Libido et acidia.

9. O Ivo, tua sanctitas
A me pellat illicitas
Sordes et cordis semitas
Faciat Deo placitas.

10. O Ivo, cuncta crimina
A me prorsus extermina
Et in virtutum semina
Mea dirigas germina.

11. O Ivo, me purifica
Meque Deo vivifica,
Ut per tua mirifica
Perveniam ad caelica.

12. O Ivo, tua gratia
Praestet nobis suffragia,
Quae dent in caeli patria
Beata nobis gaudia.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — Das Gedicht steht unter einer Folge von Sequenzen, ist aber augenscheinlich keine.

131. De sancta Katharina.

O Katharina regia,
Virgo nimis egregia,
Speciosa, amabilis,
Generosa, laudabilis,
5. Virgo Christi castissima,
Sponsa eius dignissima,
Mihi esto propitia,
Quem multa gravant vitia.
Mihi, quaeso, compatere,
10. Ad te compellor fugere,
Per me non possum surgere,
Tu manum mihi porrige.
Vide meam miseriam
Et peccatorum veniam
15. Mihi confer per gratiam
A Deo tibi traditam.
Qui tibi sapientiam
Donavit et potentiam,
Qua rhetores convincere
20. Potuisti celerrime
Et ad Deum converterc
In crucifixi nomine;
Hos ad caeli palatium
Praemittis per martyrium.
25. O invicta constantia,
Blanda vincens et aspera,
Quam non mulcet blanditiis
Nec deterret suppliciis
Imperator Maxentius
30. Te caedens scorpionibus.
Hinc tenebrosi carceris
In profundo detruderis,
Fame, siti et frigore
Maceranda cotidie.

35. Hinc te columba candida
Refovebat interea
Carceris fugans tenebras,
Dum dapes defert caelicas.
Cum te regina visitat,
40. Christus eam illuminat,
Quae cum duce Porphyrio
Coronatur martyrio.
Duces quoque mox milites
Ducenti fiunt martyres,
45. Quorum felix victoria
Tua laus est et gloria.
Post hoc visus est Dominus
Cum caelorum agminibus,
Turba stipatus virginum,
50. Hoc tibi dans solacium:
Agnosce tuum, filia,
[Actorem], pro quo gravia
Suscepisti certamina,
Constans esto per omnia.
55. Tecum sum in exsilio,
Nunquam ego te desero.
O quam magna consolatio
Haec sponsi fuit visitatio.
Bis binae fiunt machinae
60. Rotarum accutissimae,
Quas spernens oras tacite,
Et mox solvuntur turbine;
Et de plebe incredula,
Quae stabat ad spectacula,
65. Quattuor perdit milia
Manus vindex angelica.
Post hoc factum miraculum
Turba gaudet fidelium,

Grex terretur incredulus,
Mente dolet Maxentius.
Cum se vinci a femina
Vidit immitis bellua,
Capitali sententia
Te plecti iubet, domina.
Tamen ante martyrium
Preces fundis ad Dominum
Pro cunctis, qui memoriam
Tui agunt mellifluam.
Exauditur oratio
In caelorum palatio,
Vox tibi mandat caelica,
Impetrasse te omnia.
Hinc grates agens Domino
Cervicem subdis gladio
In crucifixi nomine
Lac effundens pro sanguine.
Corpus sumentes angeli
Condunt in monte Sinai,
Ex quo destillat oleum
Infirmis saluberrimum.
Ubi Deus innumera
Per te fecit miracula,
Sic [et] per orbis climata
Tua laudantur merita.
O viva Christi hostia,
Katharina sanctissima,
Tua sit mihi passio
Peccatorum remissio.
Tua meae dilectio
Sit animae refectio,
Iugis commemoratio
Sit mortis reparatio.
O virgo, sole pulchrior
Et omni melle dulcior,
Fac, ut tua memoria
Sit mihi perpes gloria.
Exaudi haec precamina
Mea delens peccamina,
O virgo potentissima,
Post Mariam dulcissima.
O Maria, flos virginum,
Mitem fac mihi Dominum,
Tuum que Dei filium
Per Katharinae mertium.
Katharina, archangeli
Pro me rogent et angeli,
Apostoli et martyres,
Confessores et virgines,
Cuncta caelorum agmina,
Ut pro me rogent, impetra,
Cum quis in sponsi gloria
Felix vivis per saecula.
O Christe, salus unica,
Qui de carne virginea
Pro me nasci dignatus es
Et mortem crucis passus es,
Sis Katharinae precibus
Mihi semper propitius,
Post huius vitae terminum
Aeternae confer praemium,
Cum patre et sancto flamine
Qui regis sine tempore.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Colonien. 7. — 61. Spernans orans tacide. — 88. Conditur. — 115. O Katharina. — 116. Ut pro me. — 121 Cum quibus. — Vgl. Anal. XV, Nr. 195.

132. De sancta Katharina.

1. Salve, virgo Katharina,
Sponsa Christi eximia,
Corpus meum et anima
Sub tua sint custodia.

2. Benigna patrocinia
Fer tuo servo, domina,
Per te Dei clementia
Expurget mea crimina.

3. O flos et honor virginum,
Amica Dei nimium,
Orā pro me ad filium
Mariae unigenitum.

4. Dilecti aures mulceat
Prex tua et efficiat,
Ut actus meos dirigat
A malisque custodiat.

5. Dulcedo sancti spiritus
Me regat tuis precibus,
Me impleat virtutibus
Tuis sanctis precatibus.

6. Sic tua in hoc saeculo
Me visitet oratio,
Ut Dei in servitio
Cor meum sit in gaudio.

7. Ac dignas laudes Domino
Decantem mentis iubilo,
Ut bona retributio
Mihi detur in ultimo.

8. Tu me fac bene vivere,
Ut in egressu animae
In Dei consolamine
Defungar sine crimine.

9. A morte subitanea
Tu me defende, domina,
Veraque paenitentia
Dones et eucharistia.

10. Et sic post hoc exsilium
Invita tuum famulum,
Caeleste ut palatium
Sit mihi in hospitium.

11. Assit mihi ad obitum
Tuum sanctum auxilium,
Ut laetus queam Dominum
Videre in perpetuum.

Cod. S. Petri Salisburgen. b VIII 1. saec. 15. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. a VI 35. saec. 15. B. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen 20021. C. — 6, 1 Hic tua AB. — 9, 4 Donet AB.

133. De sancta Katharina.

1. Sponsa Christi, Katharina,
Costi regis filia,
Huius mundi pretiosa
Esse probans vilia,
Rubens martyr inter rosas,
Candens inter lilia,
Virgo, prece sponso tuo
Tu me reconcilia.

2. Sit concessa mihi per te
Castitatis gratia,
Ne obfuscet lumen cordis
Carnalis lascivia,
Semper mundum me conservans
A mundi fallacia,
Mundo calle fac transire
Falsae vitae spatia.

3. Christi sponsa generosa
De regali genere,
Christi virgo speciosa
Fide, forma, facie,
Christi martyr gloriosa,
Fundens lac pro sanguine,
Christi gemma pretiosa,
Es potita foedere.

4. Ora pro me sponsum tuum,
Summi regis filium,
Ut inspiret in cor meum
Salutis consilium,
Et in verbis et in factis
Mihi sit auxilium,
Ne me ducat pro delictis
Hostis in exsilium.

5. Quisquis tuam passionnm
Tenet in memoria,
Te pro eo exorasse
Testatur historia,
Tu me serva in hac vita,
Pro tua victoria,
Ut gaudere tecum possim
In aeterna gloria.

Cod. S. Petri Salisburgen. b VIII 1. saec. 13. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. a VI 35. saec. 15. B. — Orat ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. C. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20 124. D. — A hat die Bemerkung: „Aliud carmen sub melodia ut supra.“ Diese Melodie ist die des Pange lingua oder Tibi Christe. Damit das Lied auf diese Melodien gesungen werden könne, ist es in A irrtümlich in sechszeilige Strophen eingeteilt.

134. De sancta Katharina.

1. Kosti regis filia, felix Katherina,
Meorum sis vulnerum vera medicina
Meque tuis precibus serves a ruina,
Ne miser inteream cum peccati spina.

2. Adversus Maxentium constanter stetisti
In agone fidei pro amore Christi,
Quem cum satellitibus suis evicisti,
Me consortem praemii fac, quod meruisti.

3. Turbam philosophicam vincis disputando,
Deum vivum et verum ipsis demonstrando
Et eorum cordibus exemplum praedicando,
Fac, clemens, ne maculer scelere nefando.

4. Horrendo spectaculo subdenda rotarum,
Virgo Deum invocas, qui opus earum
Confregit et populum stravit tenebrarum,
Mihi planctum impetra pro culpis amarum.

5. Electos prae ceteris regis oratores
Quinquagenos superas et habitatores
Regni Dei efficis polique cultores,
Fac, ut tecum colligam paradisi flores.

6. Reginam clarissimam fide illustrasti
Cum duce Porphyrio et coadunasti
Deo per martyrium, quod et tolerasti,
Placa mihi misero hunc, pro quo pugnasti.

7. In fine certaminis vis spiculatoris
Tibi caput amputat, locoque cruoris
Lac ex colle profluit nivei coloris,
Pia mater, mihi sis bravium laboris.

8. Non me, clementissima, spernas ob reatum,
Sed virtutum dotibus effice beatum
Cunctorumque iudicem mihi fac placatum
Ac tuae clementiae sit hoc carmen gratum.

9. Angeli obsequium tibi praebuerunt
Tuumque sanctissimum corpus deduxerunt
In supremum Sinai et sepelierunt,
Christo me concilia, ad quem te duxerunt.

Cod. S. Petri Salisburgen. b VIII 1. saec. 15. A. — Clm. Monacen. (ol. Eberspergen.) 7817 saec. 16. B. — 3, 4 macula A. — 6, 1 clementissimam B. — Str. 8. und 9. fehlen B. — A hat zum Liede die Bemerkung: „Et potest cantari sub duplici nota, unâ sub Patris sapientia, aliâ sub nota venerabilis sacramenti: Ave vivens hostia. Et licet prima eius litera secundum regulas orthograhiae debet scribi per C et non per K, tamen sacra theologia non subiacet regulis grammaticalibus et sic primam eius literam volumus ponere K.“

135. De sancta Katharina.

1. Karismalis Dei cella,
Virginalis tu puella
Digne appellaberis,
Amorosa, veneranda,
Virtuosa, exaltanda
Iuste praedicaberis.

2. Trinitatis insignita
Diva luce margarita,
Martyr, virgo regia,
Honestate gratiosa,
Castitate gloriosa
Formaque egregia.

3. Ex amore es electa,
Summa morum es perfecta
Plena sapientia,
Regi regum desponsata,
Piis cunctis multum grata,
Praedita clementia.

4. Insignis tu generosa
Atque nimis speciosa,
Candens velut lilium,
Nobis patrem fac placatum,
Sacrum flamen, Dei natum
Virginis et filium.

5. Ad superna Dei dona
Ac aeterna caeli bona
Duc nos, decus virginum.

Cod. S. Petri Salisburgen. b VIII 1. saec. 15. A. — Legenda S. Katharinae imp. Argent. 1499. B — Ioan. Iusti Lanspergii Opusc. Spirit. (Colon. 1693) I, 457. C. — 1, 3 appellaris A. — 1, 5 sublimanda C. — 1, 6 praedicaris A. — 3, 1 Ab amore C. — Aus B bei Schade, Geistl. Gedichte vom Niederrhein, p. 117.

136. De sancta Katharina.

1. Claritatis speculum,
Illustrasti saeculum
Virtutum decore,
Signis et prodigiis,
Nos tuis vestigiis
Fac sequaces fore.

2. Nos hic dona gratiae,
Quae es pulchra facie
Sollerter fac sentire,
Nam reginam convertisti,
Eruditos tu fecisti
Domino servire.

3. O Katharina nobilis,
In fide immobilis,
Nos a sorde libera
Et in hora mortis
Ad locum tuae sortis
Voca voce libera.

4. Deprecare regem caeli
Pro me, virgo Katharina,
Adiuvare, quaeso, veni
Et salvare me festina.

Cod. S. Petri Salisburgen. b VIII 1. saec. 15. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. saec. 15. a VI 35. B. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Moacen. 20021 C.

137. De sancta Katharina.

O beata Katharina,
Tuum corpus monte Sina
Ab angelis terrae datum

Aegris sudat rorem gratum.
Gloriosa tua prece
Nos ab omni munda faece,
Ut nos, qui te veneramur,
Per te sursum rapiamur.

Cod. Parisin. 11343. saec. 15.

138. De sancta Katharina.

O pia regina, laesi cordis medicina,
Cernere divina concede mihi, Katharina,
Ut de sentina vitiorum carne supina
Elever ad trina, quo mortis nulla ruina.

Cod. Parisin. 11343. saec. 15.

139. De sancta Katharina.

1. Ave, venerabilis
Virgo Katherina,
Omnibus laudabilis,
Haec tibi propina
Pro me sit et clericis
Et cunctis litteratis
Et omnibus christicolis,
Quos iunge cum beatis.

2. Memor sis martyrii,
Quod sustinuisti
Ob amorem nobilis
Sponsi tui Christi,
Statim quando corpus est
Capite decollatum,
Tunc fuit per angelos
Sinai translatum.

3. Ex quo sanctum oleum
De tua tumba manat,
Quod ibi sine termino
Minime emanat,
Ibi et infirmitas
Per oleum curatur
Quaelibet, in Domino
Si firmitus credatur.

4. Nobilis huius olei
Tribue liquorem,
Ut possimus [effugere]
Quemlibet pudorem
In anima et corpore,
Ut simus securi
Post vitae huius terminum
Ad te transituri.

Orat. ms. Augustanum anni 1469. Clm. Monacen. 3702. — 1, 5 et fehlt. — 4, 8 te transire. — Nach dem Akrostichon Amen zu schliefsen, dürfte man im Vorstehenden den Schlufs eines längeren Liedes vermuten; aber welchen Liedes?

140. De sancta Katharina.

1. Ave, virgo, micans rosa,
Katharina speciosa
Vernansque virtutibus;
Ave, virgo generosa,
Sponsa Christi speciosa,
Regnans in caelestibus.

2. Ave, felix et beata,
Ex illustri procreata
Principum prosapia,
Per Maxentium detenta
Superasti argumenta
Oratorum omnia.

3. Summe lucens, nubens Christum,
Despexisti mundum istum
Eiusque immania
Tormenta non formidasti
Et ad fidem tu vocasti
Corda infidelia.

4. Ave, pia decollata,
Turbis caelicis translata
Sinai cacumina,
Praebens olei linimen
Infirmis aufers dolorem,
Maestis dans solamina.

5. Ave, rosa paradisi,
De qua caeli sunt gavisi
Et sanctorum agmina,
Quando mortis instat hora,
Pro nobis Deum implora
In perenni gloria.

Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. b VIII 1 saec. 15. B. — Cod. S. Petri Salisburgen. a VI 35. saec. 15. C. — 1, 2 Katharina formosa BC. — 1, 3 Vernas quae A. — 3, 3 inania A. — 5, 5 Deum tunc implora ABC.

141. De sancta Katharina.

1. Ave, virgo Katherina,
Ave, martyr et regina,
Ave, sponsa Christi vera,
Ave, mitis et sincera.

2. Virgo Dei, Deo digna,
Christo prece me consigna,
Preces audi peccatoris
Et me munda intus, foris.

3. Preces audi, praesta votum,
Cor in bono fac immotum
Confer mihi cor contritum,
Rege visum et auditum.

4. Rege gustum et olfactum,
Virgo sancta, rege tactum,
Ut in cunctis te regente
Vivam Deo pura mente.

5. O beata Katherina,
Babylonis de sentina
Mihi tutum da ducatum,
Plasmatorem fac placatum.

6. Esto mihi consolatrix,
Pro me sis interpellatrix,
Pro me Christum interpella,
Salva mortis a procella.

7. Superare fac me mundum,
Ne demergar in profundum,
Ne me sinas naufragari
In peccatis in hoc mari.

8. Virgo Dei, nunc memento,
Quo labore, quo tormento
Regnum Dei meruisti,
Quae sic caelum conscendisti.

9. Potens in conspectu Dei
Memor esto, precor, mei,
Memor esto supplicantis,
Memor esto, quod in tantis

10. Sum peccatis constitutus,
Memor esto, quod pollutus
Faece culpae nimis foedor;
Memor esto, quantis laedor

11. Intus, foris culpae spinis;
Fac securum me de minis
Corruentis huius mundi;
Iuva, virgo, ne obtundi

12. Ictu sinas me draconis
Infernalis Babylonis,
Sed da locum et solamen
In caelesti Ierusalem.

13. Agonista Dei fortis,
Esto praesens hora mortis,
Decumbentem fove, leva
Et de morte solve saeva,

14. Ut te duce, Katherina,
Migrer tecum hinc, regina,
Et caelesti fruar dono
Iubilando dulci sono,

15. Laudans Iesum voce digna,
Per quem mira fiunt signa;
Mors me duplex non infestet,
Iesus Christus illud praestet

16. Prece tua exoratus,
Idem pater, idem natus,
Idem utriusque flamen,
Qui vivit et regnat. Amen.

Orationale ms. Lehninen. anni 1518. Cod. Berolinen IV° 29. A. — Orationale ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Darmstadien. 2772. B. — 2, 2 assigna B. — 2, 4 et ut mundet B. — 4, 2 Virgo pia B. — 4, 4 sancta mente B. — 6, 4 Ut me salvet a procella B. — 7, 3 Me non sinas B. — 8, 4 caelos B. — 9, 2 Miserere precor B. — 10, 3 nimis foetor A; Foedus culpae sorde foedor B. — 11, 2 Me securum fac B. — 11, 3 Et tormentis B. — 11, 4 Virgo sancta ne confundi A; obtundi B. — Statt Str. 14 u. 15 in B:

Ut resurgam novus homo,
Civis in caelesti domo,
Duplex mors ne me infestet,
Iesus Christus illud praestet.

Vielleicht ist der betreffende Text in A eine spätere Erweiterung. — 14, 3 domo. — 14, 4 dulci modo; gegen den Reim. — 16, 3 Utriusque idem B. — 16, 4 et regnat in saecula. Amen. A; et regnat Deus. Amen. B. — Mone (III, S. 373) teilt das gleiche Lied aus einer Mainzer und einer Strafsburger Hs. mit.

141a. De sancta Katharina.

1. Gemma Dei pretiosa,
margarita fulgida,
Sponsa Dei gloriosa,
paradisi viola.

2. Virgo Dei, Katharina,
prudens et mitissima,
Quae pro Christo detruncata
aula regnas caelica.

3. Ora pro me peccatore
apud regem gloriae,
Cuius fulges claritate
ut sol in meridie.

4. O beata, benedicta,
dulcis et piissima,
Pulsa prece indefessa
Christi pia viscera,

5. Ut me salvet et gubernet sua semper gratia,
Ut post huius vitae cursum ducat ad caelestia.

Orationale ms. Carth. Erphesfurten. saec. 15. Cod. Rossian. VIII 56. A. — Aus einer Mainzer Hs. des 15. Jahrh. bei Mone (III, S. 374). B. — 1, 3 Speciosa Dei A. — 1, 4 paradisi ianua B. — 2, 1 Virgo martyr Katharina B. — 2, 4 in aula A. — 3, 3 Cuius claritas fulget A. — 4, 1 et benedicta A. — 4, 2 pia A. — 4, 4 pia Christi B. — Als Abschlufs ist angehängt in B: Ubi tecum, virgo sancta, gaudeam in saecula; in A: Ubi tecum, virgo sancta Katharina, gaudet in saeculorum saecula. Amen.

142. De sancta Katharina.

1. Ad laudem tui nominis
Et Katharinae virginis
Assis huic principio,
Ut digna loqui valeam
Et loqui tibi placeam,
Iesu, nostra redemptio.

2. Decora nimis facie,
Vocata gemma Graeciae
Et inspirata caelitus
Est, quam laudare cupio,
Sed spirans huic initio
Veni, creator spiritus.

3. Regnante dudum impio
Sub iudice Maxentio
Perpessa est martyrium
Haec virgo tibi dedita
Et ope tua praedita,
Christe, redemptor omnium.

4. Exorta natalitiis
Non infimis, sed regiis,
Ut Costi regis filia,
Regi se dedit omnium,
Qui conferat in praemium
Beata nobis gaudia.

5. Dum patris in palatio
Sederet, congregatio
Fit generalis populi,
Ut libaretur idolis
Ab his, non tuis incolis,
Iesu, salvator saeculi.

6. Quod Katharina audiens
Surrexit locum adiens
Et obstans constantissime
Cultum talem redarguit
Teque colendum astruit,
Caeli Deus sanctissime.

7. Imbuta liberalibus
Ita florebat artibus
Adhuc aetate tenera,
Quod licuit advertere
In ea relucescere
Aeterna Christi munera.

8. Nam non insipientiam
Huius mundi scientiam
Suumve fingens studium,
Hunc scire solum asserit,
Qui solus cuncta noverit
Primo dierum omnium.

9. In tantum autem profuit
Scientia, qua floruit,
Conclusis ut rhetoribus,
Doctores qui gentilium
Erant, passis martyrium
Exsultet caelum laudibus.

10. His adplicatis ignibus
Non adustis corporibus
Pro fide Christi nominis
Dat mori mirabiliter
Et vivere feliciter
Consors paterni luminis.

11. Cum esset in ergastulo,
Cuiusvis adminiculo
Ne potiretur penitus,
Pro confortanda virgine
De caeli venit culmine
A patre unigenitus.

12. Agnosce, inquit, filia,
Pro quo pati supplicia
Non defers carni propriae,
Age fiducialiter,
Tecum ero perenniter
Splendor paternae gloriae.

13. Completoque certamine
Hoc mox pro meo nomine
Eris, quo nox non nubilat,
Sed dies fulget celebris,
Et semper sine tenebris
Aurora lucis rutilat.

14. Regina cum Porphyrio
Eius freta colloquio
Sic adquievit virgini,
Ut et ipsa relinqueret
Deos vanos et fieret
Iste confessor Domini.

15. Insanit prae angustia
Maxentius, suspiria
Trahens et cordis gemitum
Ex eo, quod Porphyrius
Cum ducentis fit socius,
Deus, tuorum militum.

16. Rotarum moles igitur
Terribilis erigitur
Pro discerpenda virgine,
Sed positam in medio
Salvas ab hoc [exitio],
Salvator mundi, Domine.

17. Interea disrumpitur
Haec moles et conteritur
Inde pars turbae pessimae,
Cumque vindicta cernitur,
Haec pars ad te convertitur,
Aeterne rex altissime.

18. Rex nequam iram concipit,
Caput aufferri praecipit
Demumque regis filiae,
Quam collocat in Sinai
Per angelos Adonai,
Magnae Deus potentiae.

19. Praetereundum etiam
Non est, quod lactis copiam
Spiculatoris rabies
Effudit, dum occubuit,
Ita nam tibi placuit,
Christe, qui lux es et dies.

20. Superna providentia
Quibusdam specialia
Sanctis dat signa munerum,
En, ista privilegia,
Quae sunt ex tua gratia,
Conditor alme siderum.

21. O Katharina, regia
Virgo, nos tuos expia
A livione vitii,
Ut te laudantes iugiter
[Nos] praemiet sublimiter
Summi largitor praemii.

22. Hoc enim donum adnuit,
Tibi dum vox intonuit
Ab arce lapsa supera,
Rex Christe, colunt, praedicant,
Adorant et magnificant
Quem terra pontus aethera.

23. Age proinde, domina,
Ut nostra scripta nomina
[Sint] in libro viventium,
Ubi perennis gloria
[Et] omnibus est omnia
Deus, creator omnium.

24. Nec procul absis, quaesumus,
Te invocantes assumus
Nos peccatores quotiens,
Descenderit pro talibus
Cum de supernis sedibus
Verbum supernum prodiens.

25. Quinimmo carnem induit
Et in ea sustinuit
Mortalis et corporeus
Mortis amaritudinem
Sicque redemit [hominem]
Plasmator hominis Deus.

26. Ecce, quam carum habuit
Ipsum, pro quo succubuit
Vita mortis sententiae,
En, pro eo, [quem] condidit,
In mortem semet tradidit
Summae Deus clementiae.

27. Hoc te felicem moveat,
Ut per te [ei] placeat
Cursus nostrae militiae,
Quo demum iuncti coetui
Sanctorum eius vultui
Hymnum canamus gloriae.

28. Tu felix es, nos miseri,
Tu sancta, nos ex veteri
Fraude fefellit proditor,
Sed tuam ad instantiam
Nostram iuvat miseriam
Telluris ingens conditor.

29. Nos quidem recognoscimus,
Quod nimium peccavimus
Et indigemus venia,
Sed tuis interventibus
Detur te diligentibus
Aeterna caeli gloria.

30. Ad quam caelestem gloriam
Post vitam transitoriam,
Qui te laudamus Dominum,
Duc nos expertes criminis
Huius obtentu virginis,
Iesu, corona virginum.

Cod. Londinen. Reg. 7 A VI. saec. $^{14}/_{15}$. — 2, 4 Et quam. — 2, 5 Sed spirans adhuc initio. — 4, 5 conferret. — 6, 5 colens. — 11, 2 adminiculo. — 13, 3 quo vox non iubilat.

143. De sancta Katharina.

1. O Katharina nobilis,
Virgo gloriosa
Martyr et immobilis,
Florens velut rosa.

2. Costi regis filia
Fuisti procreata,
Sed divina gratia
Salubriter renata.

3. Aetate iuvenili
Christicola fuisti,
Ingenio subtili
Frequenter studuisti.

4. Corpus tuum nobile
Deo obtulisti,
Donum ineffabile
Te ipsi tradidisti.

5. Castitatis annulo
Te Christus subarrhavit,
Qui te amoris vinculo
Dulciter amavit.

6. Sponsa sponso iungitur,
Fovens mente pia,
Neutrum quoque fallitur
Hic a recta via.

7. Cum pudoris lilio
Fuisti famulata
Sponso tuo supplice,
Cui eras grata.

8. Hoc idem cum senserat
Maxentius praeceptor,
Ad eum te vocaverat
Perversae legis lector.

9. Mox cum te cognoverat
Vernam esse Christi,
Te carcere recluserat
Sicque permansisti,

10. Donec a tortoribus
Educi te mandavit
Ac legis perversoribus
Te examinavit.

11. Sed virgo constantissima
Omnes superasti
Omniumque doctissima
Eos profanasti.

12. Fidem sponsi incliti
Ferventer praedicando
Iniquique Maxentii
Deos blasphemando

13. Eius nuptam perfidam
Ad Deum convertisti
Atque turbam maximam
Sequentem legem Christi,

14. Porphyrium, familias
Christum profitentes
Multasque plebeculas
Sibi adhaerentes.

15. Maxentius cum sensiit
Tanta te fecisse,
Animo tristi doluit,
Se nihil perfecisse.

16. Ergastulo te reddidit
Custodibus armatis,
Te fame mori credidit
Panibus non adlatis.

17. Cibisque angelicis
Mire pascebaris
Gaudiis ac caelicis
Laute laetabaris.

18. Imperator impius
Credidit te morti datam,
Sed sponsus eximius
Te paravit sibi gratam.

19. Videns hoc perfidus
Te morti condemnavit,
Quam potuit celeriter
Rotam ordinavit.

20. Rotam cum perfecerat
Rallis adornatam,
Te subire voluit
Deo dedicatam.

21. Amore sponsi incliti,
Virgo, inflammata,
Tormento supplicii
Fuisti praeparata.

22. Sed tuam continentiam
Sponsus demonstravit,
Per machinae sententiam
Tortores devastavit.

23. Tandem sponso patuit
Nuptias sacrare,
Cum tyranno placuit
Te capite truncare.

24. Pie flectens genua
Christum exorasti
Emittensque suspiria
Spiritum commendasti.

25. Lictor fert gladium,
Sed virgo genuflexa,
Ictum duxit validum,
Ab angelis est amplexa.

26. Duceris ad nuptias
Ingenti cum honore,
Ad paradisi portas
Sponsuli cum decore.

27. Corpus tuum digne
Mirifice portatur
Sepeliturque benigne,
Ut nobis praesentatur,

28. In montis pinnaculo
Sinai vocati,
Nobis pro signaculo
Prae cunctis elevati.

29. Passionis tuae gloriam,
Virgo, decantantes
Per daemonis victoriam
Fac nos triumphantes,

30. Ne redemptoris gratia
A lapsu relevatos
Temptatoris retia
Reddant condemnatos.

31. Literarum studiis
Fac nos militari
Earumque industriis
Te semper imitari,

32. Castitatem floridam
Christo praesentare,
Tremendam atque horridam
Poenam evitare.

33. Ad sponsi tui nuptias
Valeamus famulari,
Post huius mundi tenebras
Te dein contemplari,

34. Humanas contumelias
Patienter sustentare,
Ut paradisi portas
Dignemur visitare.

35. A vinculis nos protege,
Virgo gloriosa,
Ne valeat nos laedere
Mens opprobriosa.

36. Nulla morte celeri
Permittas nos perire,
Nusquam poenam tartari
Hostiliter subire.

37. Quousque in hoc exsilio
Sumus duraturi,
Mariae matris filio
Vivamus sorde puri.

38. Cum instat dies horrida
Ac necis inest hora,
Virgo, prece florida
Pro nobis implora,

39. Ut nuptiis sponsalibus
Valeamus interesse
Atque commensalibus
Asscribi stirpis Iesse.

Orat. ms. Pollingense saec. 15. Clm. Monacen. 11917. — 6, 1 iugiter. — 6, 4 Hic fehlt. — 7, 3 offenbar verderbt: l. tuo, supplica? — 9, 1 noverat. — 12, 4 Deos fehlt. — 14, 1 Porphyrio. — 16, 4 non alitis. — 25, 1 Lies: adfert gladium? — 30, 4 Reddat. — 33, 4 Te in contemplari. — 36, 3 poenam temeri.

144. De sancta Katharina.

1. Katharina, o regina,
Virgo, martyr diceris,
Alexandrinalis civis
Tu regalis crederis,
Sponsa Christi principalis
Digne veneraberis.

2. Ab avis et atavis
Alta stirpe genitis,
Regali, imperiali
Dignitate praeditis,
Rege Costo, Sabinella,
Orta ab ingenuis.

3. Tu es filia novella,
Cella eloquentiae,
Simplex, clara columbella,
Stella excellentiae,
Ornans stipem tu agnella,
Fiscella clementiae.

4. Haec puella septenalis
Optimi ingenii
Omnis artis sericalis
Gradu magisterii
Fit perfecta curialis
Ens et magni animi.

5. Est in aula paternali
Docta liberalibus
Cum honore virginali
Cunctis mundi artibus,
Arte summa magistrali
Sublimata caelitus.

6. Repertus non est orator
Huic comparabilis,
Aut omnis doctrinae lator
Ei coaequabilis,
Victus cedit disputator,
Stat insuperabilis.

7. Intenta sic studiosis
Fixum tenens animum,
Occupatum virtuosis,
Mundum spernit lubricum,
Fructuose tempus suum
Expendit ad studium.

8. Nuptui tandem habilis
Regni a baronibus
Pulsaris, matre rogaris,
Intendas sponsalibus,
Ne regnum pateat patris
Gladiis hostilibus.

9. Ab his semel, bis rogata,
Ter quatterque, pluries,
Multorum regum oblata
Tunc magna congeries,
A te indigna putata,
Spreta, ne acciperes.

10. Respuensque fidem Christi
Tumens tunc scientia
Baptizari noluisti,
Luctans eloquentia,
Matris verba neglexisti
Tunc expedientia.

11. Eras tamen nocte una
Cum matre tu dormiens,
Admirandam visionem
Utraque conspiciens,
Nam beata virgo mater
Multos sanctos offerens.

12. Gratiosum inter omnes
Monet, ut eligeres,
Omnes a te refutati
Sunt tamquam degeneres,
Es a matre increpata,
Cur ita desiperes?

13. Iesum Christum, suum natum,
Virgo mater obtulit,
Sponsum verum destinatum
Ipsum tibi protulit,
Sed hunc prorsus praesentatum
Tua mens non respuit.

14. Nam allecta ex inspecta
Eius pulchritudine,
Vita, moribus, virtute,
Forma, fortitudine,
Scientia ac aetate,
Status magnitudine.

15. Ad habendum corde toto
Hunc et nullum alium,
Eum cernis celsiorem
In natis mortalium,
Matri suadens omni voto,
Eius quaerat animum.

16. Generosam Christi matrem
Tua mater adiit,
Natus eius desponsetur
Suae natae, petiit,
Christus eam, baptizari
Nisi vellet, respuit.

17. Ergo fide christiana
Imbui desiderat
Et a quodam eremita
Plene docta fuerat,
Tunc et sacro fonte lota
Christo sic placuerat.

18. Novo annulo arrhata
Amore tunc arserat
Et mundanam omnem artem
Pleno postposuerat,
Sese ad scripturam sacram
Animo transtulerat.

19. Egenis res temporales
Erogare coeperat
Et in regno sui patris
Vice-domnum linquerat,
Urbem ad Alexandrinam
Cum matre perrexerat.

20. Regni matris pars haec erat
Et quieti congrua,
Sed in brevi est defuncta
Eius mater credula,
Hinc clientum turbam magnam
Rexit Dei famula.

21. Omnia honesta, recta
Coepit tunc disponere,
Virtuosis, fructuosis
Ferventer insistere,
Nec sacrarum scripturarum
Studium relinquere.

22. Sed cum die quadam rite
Audisset per nuntium,
Quod in templo idolorum
Grande sacrificium
Per pessimum idolatram
Fieret Maxentium,

23. Accensa fervore zeli
Ad tyrannum abiit,
Inter brutorum caesorum
Strages illum adiit,
Absque Ave condecenti
Vehementer arguit.

24. Virgo ait: Tibi Salve
Congruenter fieret,
Si honestas tui status
Perfecte cognosceret,
Ut vel spreta creatura
Creatorem coleret.

25. Ipse solus Deus verus,
Cui honor, gloria,
Fide, spe et caritate
Habitat in anima,
Dii sunt autem idolorum
Pessima daemonia,

26. Regem regum inhonorant
Summam per superbiam,
Homines sic inducentes
Dei ad iniuriam,
Ut deceptos et abiectos
Trahant ad miseriam.

27. Generosam imperator
Puellam respiciens
Gratiosa eius verba
Audivit impatiens
Et e contra replicavit
Multa ut insipiens.

28. Omni dolo hic versutus
Plenus fraude simulat,
Ad regalem secum aulam
Ire hanc insinuat
Donis magnis munerandam,
Si deos non respuat.

29. Manet autem virgo sacra
Arta sub custodia,
Donec ab extremis terrae
Viri magna copia,
Idolorum defensores
Magna zelotypia

30. Advenirent sapientes,
Famosi scientia,
Gloriantes ut pomposi
Omni eloquentia,
Universosque spernentes
Stulta extollentia.

31. Reducta est ad conflictum
Docta Christi famula,
Confitetur verum Deum
Christum voce sedula,
Obmutescunt quinquaginta,
Fiunt corda tremula.

32. Tandem credunt et affirmant
Christum Dei filium,
Deos falsos detestantur
Nec timent supplicium;
Indignatur et minatur
His hostis incendium.

33. Ignis ergo copiosus
Praeparatur ocius,
In quem draco furiosus
Hos mittit velocius,
Sic cremati, coronati
Regnant gloriosius.

34. Repromittit post haec Caesar
Virgini magnalia,
Post reginam ut sit ipsa
Secunda, non alia,
Totum regnum gubernare,
Haec et multa talia.

35. Sponsa Christi universa
Contempsit ut vacua
Nec curavit de honore,
Nec de vana statua,
Sed derisit promittentem
Atque verba fatua.

36. Porro spretus imperator
Coepit in hanc furere
Ac ministris statim iubet
Vestibus exuere,
Lacerare corpus eius
Scorpionum verbere.

37. Omnia tormenta minans
Clausit in ergastulo,
Ter quaternis hanc diebus
Absque cibo, poculo
Cruciandam, macerandam,
Abit ipse clanculo.

38. Non remansit locus iste
Absque claro lumine
Neque carens angelorum
Dulci consolamine,
Sed refecta caeli cibo
Est et medicamine.

39. Sed et a regina visa
Est et a Porphyrio,
Quibus multa de futuro
Praedixit martyrio,
Quos instructos Christi fide
Dimisit cum gaudio.

40. Ab extremis regionis
Caesar tunc revertitur
Ac pro tribunali sedens,
Virgo nunc adducitur;
Pulchriorem ipsam cernens,
Valde hinc concutitur.

41. Christi testem tunc inquirit,
Quid deliberaverit,
Unum certe e duobus
Dicat, quod elegerit,
Tura si non obtulerit,
Sciat, quod perierit.

42. Respondens tyranno virgo
Voce ait libera:
Neque verba blanda curo
Nec tormenta aspera,
Mori nunc amore Christi
Res est mihi prospera.

43. Ipse leo frendens ore
Extra se tunc rapitur,
Atque horrenda rotarum
Machina construitur,
Ut per eam discerpatur,
Christi martyr ducitur.

44. Statim autem sic adducta
Erectis luminibus
Deum orat, destruatur
Supernis fulminibus,
Nullam tamen laesionem
Agat in hominibus.

45. Tunc virtute vehementi
Machina dissolvitur
Et confracta super gentes
Impetu dispergitur,
Turba quadriges millena
Hominum occiditur.

46. Ista videns imperatrix
Prosilit in medium
Reprobando sui viri
Impium iudicium,
Cernens hanc fidelem factam,
Damnat ad supplicium.

47. Gladio percussa ergo
Migravit ad Dominum,
Tumulata cum honore
Fuit per Porphyrium,
De quo facto diffamatus
Se dat ad martyrium.

48. Laetus hic electus miles,
Prudens, dives, strenuus,
Inter milites ducentos
Primus et praecipuus,
Coram rege profitetur,
Quod sit Christi famulus.

49. Omnes tunc commilitones
Ad fidem converterat,
Quibus et aeterna regna
Consequi promiserat,
Hos hinc omnes Caesar simul
Gladiari iusserat.

50. Rursus infernalis leo
Virginem interrogat,
Haec constanter ante dictam
Vocem veram iterat,
In eam tunc mortis legem
Imperator fulminat.

51. Ista sic damnata morti
Extra urbem ducitur,
Turba magna mulierum
Ei tunc compatitur,
Haec earum vanos fletus
Prohibere nititur.

52. Orandi tunc petit dari
Virgo sibi spatium
Oculisque elevatis
Orat patrem luminum,
Gratias devote agens
Clamat sic ad Dominum:

53. Salus, honor, gloria sit
Tibi, o altissime,
Quod me ad agonis finem
Ducis dignatisssime,
Corpus tibi spiritumque
Reddo fidentissime.

54. Ad choreas virginales,
Da, ut iam perveniam,
Mala, rosas triumphales
Tibi, Christe, colligam,
Aspectus tuos solares
Nunc et semper videam.

55. Oro, Deus, corde toto
Pro me diligentibus,
Passionem pleno voto
Meam recolentibus
Atque spiritu devoto
Mihi congaudentibus,

56. Rogo, Christe Iesu bone,
Pro tua clementia,
Quisquis suo in agone
Sua indigentia
Mea orat passione,
Defer indulgentiam.

57. A fame, infirmitate,
Ab omni molestia,
A clade, necessitate,
Ab omni angustia
Liber sit et sanctitate
Conscendat caelestia.

58. Dum haec verba Christi martyr
Pia mente dixerat,
De sublimi nube caeli
Vox ad eam venerat:
Veni nunc, electa mea,
Te caelum desiderat;

59. Omnes sancti, sponsa mea,
Chorusque virgineus
Te exspectant in chorea
Cantantes serenius,
Rubra stola ac nivea
Ornent te amoenius.

60. Mentibus illi cernuis
Qui te invocaverint,
Passionem quoque tuam
Hic qui celebraverint,
Sciant, quod optata vota
Per te reportaverint.

61. In hac voce consolata
Virgo martyr plurimum,
Collum lacteum sub spata
Tendens orat Dominum;
Sic regina decollata
Consummat martyrium.

62. Nam statim de gleba sacra
Lac fluxit pro sanguine,
Sicca terra sic rigata
Fit fecunda germine,
Fructum ferens non arata
Multa plenitudine.

63. Virtus adest supernalis
Magna multitudine,
Caput, massa virginalis
Transfertur cum lumine,
Pape, montis caelicalis
Sepelitur culmine.

64. Monumentum virgineum
Angelorum opere
Factum exstat marmoreum,
Et de sancto corpore
Morbi sanat aculeum
Fluens sacrum oleum.

65. Porro sacro hoc unguento
Fiunt laudabilia,
Membra hoc medicamento
Sanantur debilia,
Fidei ex fundamento
Fiunt mirabilia.

66. Rursus passa est beata
Anno tricentesimo
Sexto Christum imitata
Menseque Novembrio,
Cum quo regnat elevata
In sublimi solio.

67. Omnem artem doctrinalem
Virgo ista obtinet,
Vitam sapientialem
Haec in summo continet
Gloriamque clericalem
Nunc in caelo possidet.

68. Nam haec virgo gratiosa
Multa privilegia
In se tenet speciosa,
Sanctis singularia,
Ipsi tamen gloriosa
Sunt et generalia.

69. O beata Katharina,
Dei patris natula,
O amabilis regina,
Nati Dei sponsula,
O columba amantina,
Spiritus tu cellula.

70. Bene Christus te dotavit,
Qui fructu centesimo
Te bis terque exaltavit,
Throno praeclarissimo
Coronatam sublimavit
Statu beatissimo.

71. In hoc facto fine tracto,
Virgo amantissima,
Dei ad laudem peracto
Peto te, sanctissima,
Vase luteo confracto
Duc me ad laetissima.

72. Sit beatae Trinitati
Decus, salus, gloria,
Simplae sit et unitati
Honor, hymnus, latria,
Sit aeternae Deitati
Amor, laus in patria.

Cod. S. Petri Salisburgen. b VIII 1 saec. 15. A. — Cod S. Petri Salisburgen. a VI 35 saec. 15. B. — Legenda S. Katharinae imp. Argentinae 1499. C. — 2, 1 et ab aviis C. — 5, 5 Arce C. — 14, 3 virtutibus C. — 17, 5 fonte sacro C. — 32, 6 hostium A. — 35, 4 una statua A. — 60, 2 te nominaverint A. — 67, 5 celicalem C. — 71, 1 finem BC. — Akrostich: „Katherina, regina, generosa virgo martyr, sponsa Christi generosa, ora Dominum pro nobis.“ — Aus C bei Schade, Geistl. Gedichte von Niederrhein, S. 118 ff.

145. De sancta Katharina.

1. Sertum tibi plectitur,
Auri filo nectitur,
Flore fronde comitur,
Prona mente promitur
Tuae laudi consonum.

2. Ave, virgo Katharina,
Te dotavit vis divina
Singulari formae dono,
Grandi castitatis bono,
Te candens decet lilium.

3. Non est in te macula,
Nec sunt in illo iacula
Coloris sorditati,
Hoc ergo sertum vividum
Exornet album lilium
Candoris non foedati.

4. Cerne, virgo, quid adpono,
Tuae sanctitatis dono
Hoc debetur, ut adverto,
Unde tali iungo serto
Nobile solsequium.

5. Tu verum solem es secuta
Et a mundi labe tuta,
Sic flos ille tenet metam
Solis semper ad dietam,
Hoc phoebo dans obsequium.

6. Addo plantas floribus,
Gratis cum odoribus
Hysopum inflecto,
Te virens decet hysopus,
Quam bonae famae titulus
Odore pavit recto.

7. Katharina gloriosa,
Dispensatrix operosa,
Quinquagenos oratores
Tu vicisti, quos honores,
Laurus decet inclita.

8. Argumentis quos vicisti,
Hos ad Christum convertisti,
Gaude semper et laetare,
Infideles quae beare
Virtute nosti caelica.

9. Tantae sapientiae
Victricique scientiae
Est gloria promissa;
Hinc est, quod serto florido,
Nunquam futuro torrido
Laurus est immissa.

10. His almis, virgo, floribus
Tam magnisque decoribus
Flos agri mitis iungitur,
Humilitas exprimitur,
Tantae decus gratiae.

11. Ex claris tu parentibus
Divitiis decentibus
Prolata nihil extimas
Vanas gazae copias,
Summae nitens gloriae.

12. Regis dona renuis
Mundique bona fragilis
Prae Christi caritate,
Hinc agri flos humilis
Adponitur prae caeteris
Spreta vanitate.

13. I . . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

14. N . . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

15. A . . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

16. Sambucinos virginali
Flores addimus crinali,
Hic in petris saepe crescit
Atque terrae pastum nescit
In fundo virens arido.

17. Uirgo, gaude, carceraris,
Pastu humano privaris,
Duodenisque diebus
Nullus tibi fulsit phoebus
Duro sub ergastulo.

18. Sed non sic, virgo, vinceris,
Affatu Christi frueris,
Qui te confortavit,
Qui te constantem reddidit,
In atro lucem edidit,
Te dulci verbo pavit.

19. C . . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

20. Indo, virgo, violam,
Tuae laudis servulam,
Hanc viator saepe legit,
Remoratur, dum hanc fregit,
Curas linquens arduas.

21. P . . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

22. Ecce, rutam nunc adfingo,
Quam ad praesens sertum cingo,
Ruta genus viperinum
Fugat atque serpentinum
Velut pulsum turbini.

23. Hoc te signat, quod mansisti
Ope custodita Christi
Tunc, poenalis quando rota
Fuit a te versa tota
Gentili nocens agmini.

24. O . . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

25. Componuntur serto rosae,
Quae designant pretiosae
Tuae mortis gloriosae
Memoranti gratiose
Felix hoc mysterium.

26. Cruorem notat rubicunda,
Alba rosa laetabunda
Lac post ensem fusum notat,
Hac te dote Christus dotat
Pudoris ad indicium.

27. Recte gaudes bravio
Munerata caelico
Martyrio completo,
Rosarum nunc fasciculus
Sit nostri serti titulus
Decore multum laeto.

28. I . . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

29. Necto folia cedrina,
Per haec patet vis divina,
Qua tuum corpus, Katharina,
Collocatur monte Sina
Superna per obsequia.

30. Alta cedrus dicitur
Et ob hoc inicitur
Virginali serto,
Nam ad montem tollitur,
Ab angelis conducitur
Iussu Dei certo.

31. Laetare semper et gaude,
Virgo felix, digna laude,
Pace fruens sempiterna,
Vita semper et aeterna
Iuncta Dei filio.

32. Et in terris honoraris
Miris satis atque raris
Dei donis fecundaris,
Illic gaudes et laetaris
In virginum consortio.

33. A liquore fluido,
Qui corpore virgineo
Modo manat miro,
Aeternam pacem denotans
Oliva praestat remicans
In tui serti gyro.

34. Mille modi flosculorum
Denotantes gaudiorum
Tuorum multiformitatem
Aeternamque felicitatem
Iunguntur huic circulo.

35. Ergo, virgo, iam complexum
Et devota mente nexum
Sertum non materiale,
Sed ex animo mentale,
Pia, clemens, suscipe.

36. Nostras preces accipe,
Affectum mentis recipe
Pro plena factione,
Te diligentes dilige,
Conforta, iuva, dirige
Mortis in agone.

Cod. S. Petri Salisburgen. b II 38. saec. 15. — 1, 2 Quos auri. — 17, 2 tu privaris. — 20, 1 Inde. — 20, 2 laudi. — Aufschrift: Sertum seu crinale beatae Katherinae, virginis et martyris almae; Akrostich: Sancta Katherina, suscipe hoc crinale. Amen. Dasselbe zeigt die Lücken des Textes an. — Je 3 Strophen gehören metrisch zusammen; jede dritte ist eine Art Abgesang.

146. De sancto Laurentio.

1. Sublimato laureato
Laus sit nunc Laurentio,
Hoste strato qui stellato
Caeli gaudet solio.

2. Blandimentis vel tormentis
Nec cedit hic Decio,
Nec plumbatis caesus cratis
Uritur incendio.

3. O miranda, praedicanda
Caecorum sanatio,
Quos per crucis signum lucis
Insignivit radio.

4. Martyr pie, me Mariae
Commendato filio,
Prece fusa me excusa
Quem accusat actio.

Cod. Londinen. Arundel 201. saec. 13. — 1, 2 Laudibus Laurentio.

147. De sancto Laurentio.

1. O Laurenti, martyr Christi,
Tu sitisti, occurristi
Et bibisti, ut cupisti,
Dirum haustum, holocaustum
Factus totus, sic fis notus
Toti mundo, cum iucundo
Praeconio laudabilis.
Sixtus dixit ut propheta:
Tibi restat maior meta
Pugnae gloriosioris,
Quod est viri fortioris;
Fili mere, noli flere,
Ecce, vere me sequere
Post triduum spectabilis.

2. Prudens dator thesaurorum,
Quaeris turbas egenorum,
Lavas pedes osculando,
Ore blando consolando
Caecisque per signum crucis
Pie reddis visum lucis,
Post tractus ad certamina.
Quo saeve interrogaris,
[Fustigaris, laniaris,]
Cruentaris cum plumbatis
Laminisque inflammatis
Tuis costis applicatis,
Tandem perfers dirae cratis
Super ignem examina.

3. Heu, heu, vivus ubi discis,
Quomodo necatus piscis
Perassatur, denigratur,
Perforatur, eliquatur
Per nimis ardentes stillas,
Quae urunt tangentes illas,
Et cuncta laete pateris.
Ais namque sensu sano
Ipsis, Decio profano,
Iudici Valeriano
Coetuique horum vano,
Ut gyrarent et vorarent,
Ventres suos satiarent
Ex parte cocti lateris.

4. O Laurenti te colenti,
Servienti, nunc consenti,
Fac sic mecum, ut cor tecum
Illustretur, speculetur
Solum meum verum Deum
Fide pura sine cura
De istis mundialibus.
Martyr bone, mi patrone,
Tua cratis ardens satis
Me defendat et accendat
Dei igne tam benigne,
Ut devictis flammis fictis
Sim immunis sic a prunis
Tremendis gehennalibus.

5. Et duc me post vitae cursum
Ante vultum Dei sursum,
Quo tecum per iubilamen
Deum laudem semper. Amen.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 2, 13 praefers. — 4, 5 Solum verum meum. — Aus anderer Quelle und ohne den Schlufs Anal. XXIX, Nr. 299.

148. De sancto Leonhardo.

Salve, pater pietatis,
Leonharde, desolatis
Singulis refugium,
Febre, morbo fatigatis
Et in partu cruciatis
Celere praesidium,
Vinctis et incarceratis,
Mente rapta consternatis
Singulare gaudium.
Tu, qui tot iam caritatis
Servis confers dona gratis,
Sis nobis solacium
Deprecando pro peccatis,
Ut ad sanctae trinitatis
Ducamur palatium.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 211.

149. De s. Ludovico Alamando.

1. Urbs gratulare nobilis
Arelatensis, praesulis
Tui nova laetitia,
Decorata miraculis,
Gloriosis indiciis
Innumeris, prece pia,
Cardinalis prosapia
Alamandi Ludovici
Insignis et militia
Paradisi magnifici.

2. Arelatis villa, gaude,
Quae diceris digna laude,
Cum paris reformatorem
Sanctae matris ecclesiae,
Unionis pacificae
Possides et amatorem,
Quantam poenam et dolorem
Pro dictae pacis foedere
Sustinuit et laborem,
Nemo posset exprimere.

3. Hic laborans in extremis
Sacramentum unctionis
Sibi dari complacuit,
Minorum ac in ordinis
Conventu castri Salamis
Felix eius finis fuit,
Cito corpus ut decuit
Translatum in Arelate
A clero plebeque fuit
Susceptum honorifice.

4. Non pompose tumulatum,
Sed simpliciter positum
Altaris dextro latere,
Trophimi sancti meritum
Tale quod sit depositum
Credo per regem gloriae,
Qui dat suis sic vivere,
Quod post eorum funera
Caeli fruuntur lumine
Plebique dant subsidia.

5. Anno dicto iubilaeo
Migravit de hoc saeculo
In die quartae feriae
Septembris decimo sexto,
Certum de hoc me teneo,
Quod sit bonae memoriae.
O quantum admirabile
Narrare sit miracula,
Quae fiunt in Arelate
Per ipsius suffragia.

6. O quanto tripudio
Talis vir in saeculo
Debet venerari,
Qui regis palatio
Caelorum solacio
Fruitur perenni.
Ut laete sociari
Secum sine termino
Possimus ac laetari,
Fundat preces Domino.

Cod. Palat. Vindobonen. 3520. saec. 15. — „Prosa de beato Ludovico Alamandi, Cardinali Arelatensi“ († 1426); folgen prosaische Antiphonen und Orationen.

150. De s. Ludovico Alamando.

1. Gaude, praesul sanctitatis,
Inclite Ludovice,
Insignisque civitatis
Arelatis nomine
Cardinalis, deitatis
Praesignite munere.

2. Gaude, pater, caritatis
Fulgens amplitudine
Virtutumque claritatis
Praepollens mirifice,
Donis quippe comprobaris
Praestante tunc numine.

3. Gaude, doctor veritatis,
Canonicae sophiae
Atque splendor castitatis,
Zelator iustitiae,
Gemma nostra clericalis
Factus es dignissime.

4. Gaude, quia lux solaris
Te perfudit gloriae,
Ab omnibus veneraris
Miraculorum ordine,
Nunc in caelis collocaris
Cum sanctorum agmine.

5. Gaude, stella salutaris,
Lumen fundens gratiae,
Portus viae tutus maris
Praedicaris benigne,
Sic pro nobis deprecaris
Iesum, natum Mariae.

Clm. Monacen. 4423 anni 1481. A. — Cod. Palat. Vindobonen. 3520. saec. 15. B. — 2, 4 Praepollenti AB. — 2, 6 nemine A, neupmine B.

151. De sancta Margareta.

1. Ave, virgo gloriosa,
Ave, rosa [speciosa],
Margareta nobilis,
Ave, plena caritate,
Ave, pollens castitate,
Columna immobilis.

2. Ave, sponsa salvatoris,
Ave, puteus pudoris
Magnus altitudine,
Ave, splendens margarita,
Ave, pia, redimita
Mira pulchritudine.

3. Ave, martyr Christi grata,
Ave, summi Dei nata,
Regale palatium,
Ave, virgo Deo grata,
Ave, Christi advocata,
Ora patrem omnium.

4. Cum sis virgo laude digna,
Pia martyr et benigna,
Os meum non sufficit
[Tuas laudes] enarrare
Nec dolores explicare,
Quos tibi tortor intulit.

5. Tamen memor dulci prece,
Quam tu in instanti nece
Feceras ad Dominum,
Ut, qui tuae passionis
Memor esset et doloris,
Sentiret auxilium;

6. Hinc ego te defleo
Suspensam in eculeo,
Percussam virgis acriter,
A quo caesam deponentes
Carceri te recludentes,
Ibi visibiliter

7. Hostis nequam apparebat,
Devorare te volebat,
Sed crucis auxilio
Suas minas evasisti,
Cuius caput contrivisti
Dante Dei filio.

8. Carceri demum emissa,
Vasi aquae es immissa
Colligatis manibus,
In quo Deus te servavit
Et illaesam praesentavit
Tuis tribunalibus.

9. Sed praefecto hoc vidente
Visus est stridere [dente]
In te claram genere,
Decollari te praecepit,
Animam tuam suscepit
Angelus in aethere.

10. Quare tuum venerandum
Nomen atque adorandum
Rogito summopere,
Quatenus me, virgo pura,
Liberes ab omni cura
Et a cuncto scelere.

11. Ac in mea mortis hora
Assis mihi sine mora
Nec me sinas laedere
Potestates damnatorum,
Sed in locum beatorum
Me colloca propere.

Orat. ms. Scotorum Vindobonen. 52 d 11. saec. 15. — 8, 2 Vasi autem es. — 10, 3 Rogito meo in opere. — 11, 6 collocare. — Die Hs. ist unrichtig eingebunden und so die Folge der Blätter gestört. — Bei Mone (III, Nr. 1049) aus einer Karlsruher Hs. — Vgl. unten Nr. 155.

152. De sancta Margareta.

1. Gaude, felix Margarita,
Quod ab aevo sis praescita,
Ut in terris stares ita,
Quod aeterna tibi vita
Praeparatur iugiter.
Gaude, quae per crucis signum
Hostem vincis praemalignum,
Ex cuius fauce resilisti,
Nil doloris tunc sensisti,
Sed triumphans fortiter.

2. Gaude, quia superasti
Mox secundum, quem calcasti
Pede gravi, quod clamavit,
Tibi, pia, revelavit
Secreta, quae nesciveras.
Gaude, virgo, et memento,
Quod tibi datur sub stramento
Olybrii caput, qui tormento
Te necavit trunculento,
Quod totum tu contriveras.

3. Gaude, gemma pretiosa,
Margareta generosa,
Quae per tormenta dolorosa
Rubricata stas ut rosa
Tis sponsi coram facie.
Qui caeli te perfudit rore,
Dulci confortavit ore,
Suam sponsam miro more,
Quae stetisti in decore
Non apparente macie.

4. Gaude, tibi pollicetur,
Qui te in terris veneretur,
Quod mala morte non laedetur,
Nisi prius procuretur
Viatico salvifico.
Ore fulgens Margarita,
Hanc ad cenam nos invita,
Peremptorie nos cita,
Post te curramus via trita
Conductu deifico.

5. Succurre cunctis tu oppressis
Paupertate, cum dives sis,
Quae recusare quidquam nescis
Et ditare homines scis
Providens necessaria.
Da, ut tibi corregnemus,
Creatori laudes demus,
Qui sua carne nos cibavit
Pro nobis cunctaque creavit,
Caelum, terra, maria.

6. Ductrix gregis tu fuisti,
Cum nutrici oboedisti
Humiliter oves minando
Et per prata spatiando
Floresque colligere,
Forte tibi plectens sertum,
Contemplando sponsum certum,
Quem toti mundo praeponebas
Et pura mente disponebas
Hunc solum diligere.

7. Ad sponsi ruis tis amplexum,
Qui tibi per amoris nexum
Coniunctus erat hic in terris,
A quo virgo nunc transferris
Laetanter super sidera.
Mei per hoc tu memento,
Ut cibatus sacramento
Nullo crimine retento
Post te vadam passu lento
Ad aeterna gaudia.

Clm. Monacen. 8394. saec. 15. — 4, 4 procreetur; lies procuretur oder recreetur. — 7, 3 erit hic.

153. De sancta Margareta.

1. O Margarita splendida,
Quae castitatis gratia
Pertulisti immania
In corpore supplicia.

2. Audi preces cum lacrimis,
Terge sordes libidinis,
Tuis me mundans meritis
Cunctis ab immunditiis.

3. O decus Antiochiae,
Paganorum progenie
Ortus de spinis roseus
Flos, prae cunctis pulcherrimus.

4. Te ad incestum flectere
Verbis nequit nec verbere,
Dum carnem cruciatibus
Dilacerat Olybrius.

5. Te orante in carcere
Draconis in effigie
Auctor adit libidinis
Tuis se monstrans meritis.

6. Ungularum et omnia
Poenarum vincis genera
Mox extinctis lampadibus
Per rorem sancti spiritus.

7. Aquae poenalis dolium
Baptismi facis lavacrum
Fusa prece ad Dominum,
Qui solamen est tristium.

8. Terra tremuit subito
Tuo stupens martyrio,
Columba caput caelica
Corona cingit aurea.

9. Paganorum plebs maxima
Dei cernens magnalia
Vana sprevit idola
Et credunt quinque milia.

10. Stans in mortis articulo
Preces fundens altissimo,
Ut tuae mortis memores
Vitae fiant participes,

11. Exaudita a Domino
Cervicem subdit gladio,
Sed consummans martyrium
Percussor reddit spiritum.

12. Membra ruunt virginea,
Felix recedit anima,
Velut columba candida
Regna petens caelestia.

13. O virgo memorabilis,
Sis mihi exorabilis,
Omne malum removens,
Bona cuncta tribuens.

14. O viva Christi hostia,
Margareta sanctissima,
Tua sit mihi passio
Peccatorum remissio.

15. Tua meae dilectio
Sit animae refectio
Iugis commemoratio
Sit mentis reparatio.

16. O virgo, sole pulchrior
Et omni melle dulcior,
Fac, ut tua memoria
Sit mihi perpes gloria.

17. Quae perpetravi scelera
Et mala, sunt innumera,
Ab eorum me sarcina
Tua prece exonera,

18. Ut post hoc triste saeculum
Insertus choro virginum
Per tua sancta merita
Vita fruar perpetua.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 2882. — 14, 3 mihi fehlt. — 15, 1 O quae meae. — Zu Str. 14—16 vgl. Nr. 131, Vers 95—106.

154. De sancta Margareta.

1. Theodosii filia,
Virgo fragrans ut lilia,
Beata Margareta,
Sana sumens consilia,
Christi servans eloquia,
Spiramine repleta.

2. Gentilium de semine
Hanc inflammante flamine
Puella baptizatur,
Quae vincit cum certamine
Olybrium, iuvamine
Christi fide firmatur.

3. Haec nutrici serviebat
Oves suas et pascebat
Virgo cum virginibus,
Quam formosam ut videbat,
In amorem mox ardebat
Infelix Olybrius.

4. Ad praefectum accersitur
Et de fide convenitur
Haec fide galeata,
Sed non cedit blandimentis
Emollitur aut tormentis
Christi cruce signata.

5. Virgo sudat in agone
Spe mercedis et coronae
Ad mortem oboediens,
Morte Christum imitata,
Fide firma roborata,
Firmo gressu gradiens.

6. Puella comprehenditur,
In carcere recluditur
Non devicta precibus,
Flagitiis consumitur,
Virago cuncta patitur
Non cedens tortoribus.

7. Suppliciis conteritur,
Diris poenis affligitur
Columba nobilis,
Sed stabilis efficitur
Et angelo reficitur
Turris in vinculis.

8. De carcere extrahitur,
De novo crucifigitur,
Ut aqua de rivulis,
Caeditur et recaeditur,
Eculeo suspenditur,
Manat rivus sanguinis.

9. O inaudita scelera,
Saeva poena mortifera,
Iudex detestabilis
Comburi iussit latera
Sanctae puellae tenera,
Serpens perterribilis.

10. O quam tristis, dolorosa
Stabat plebs et lacrimosa
Virgini compatiens,
Non devicta, gaudiosa
Stabat virgo virtuosa
Tot tormenta sustinens.

11. O res mira, quae est ista
Pugnans vincens agonista,
Pugillans viriliter?
Magni regis est legista
Stans pro fide decretista
Allegans subtiliter.

12. Haec draconem superavit
Saevum hostem et prostravit
Trusa in ergastulo,
Daemon victus ululavit,
Pede dextro quem calcavit
Crucis cum signaculo.

13. Tunc ense quinque milia
Cadunt, sed per auxilia
Liliosae virginis
Laeti fulgent cum gloria
In paradisi curia
Fonte loti sanguinis.

14. Haec de novo praesentatur
Ad tyrannum, quam hortatur
Adorare idola,
Sed reluctans spoliatur,
Saevis poenis cruciatur
Invicta christicola.

15. Denudatur, flagellatur,
Dulce corpus verberatur
Virgis, scorpionibus,
Ad os caro concrematur,
Trucidatur, laniatur
Ferreis pectinibus.

16. Post in vase collocatur
Aqua pleno et ligatur,
Sed terra concutitur,
Et tyrannus superatur,
Virgo Christi confortatur,
Illaesa egreditur.

17. Virgo Christi collaetatur,
Quod tyrannus expugnatur,
Gaudet victoriosa,
Ad certamen animatur
Et vincendo gratulatur
Puella gratiosa.

18. Sicut aurum repurgatur
In fornace, sic probatur
Haec virgo gloriosa,
Multis poenis haec vexatur,
Nunquam tamen violatur
Certatrix generosa.

19. Pharaonis induratur
Cor ferocis, inflammatur
Furoris incendio,
Et lictorem exhortatur,
Ut puella moriatur
Peracuto gladio.

20. A lictore postulatur
Et pro suis deprecatur
Haec orandi spatium,
Mox de caelis revelatur:
Quod petisti, impetratur.
Vadit ad supplicium.

21. Furor ingens debacchatur,
Ense caput amputatur
Gloriosae virginis,
Paradiso collocatur
Et pro nobis deprecatur
Regem summi numinis.

22. Virgo martyr, tuam genti
Passionem recolenti
Desuper irradia,
Impetrata da petenti,
Partum laetum parienti
Dona prece praevia.

23. Qui pendes ab ubere
Virginis puerperae,
Margaretae precibus
Miseris compatere,
Fac nos tecum vivere,
Iesu, in caelestibus.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343. anni 1351. — 8, 3 ist dem Sinne nach mit 8, 6 zu verbinden.

155. De sancta Margareta.

Ave, virgo nobilis,
Gloriosa Margareta,
Quae divinae subolis
Amore repleta
5. Mundum istum respuisti
Et tormenta pertulisti
Multa, magna atque mira,
Quae tibi iniqui iudicis ira
Saeviendo intulit,
10. Quae, si non, ut sufficit,
Valeo edicere,
Tamen memor tua dulci prece,
Quam tu instanti nece
Fecisti ad Dominum,
15. Ut tuae passionis memores
Sentirent auxilium,
Ego te defleo
Suspensam in eculeo,
Percussam virgis acriter
20. Et depositam eculeo,

Carceri inclusam immaniter,
Ubi visibiliter
Hostis nequam apparebat,
Qui devorare te volebat,
Sed crucis signaculo
Minas eius evasisti
Atque caput contrivisti.
Deinde carcere dimissa
In ferventem aquam es immissa
Et ardorem non sensisti
Per virtutem Iesu Christi.
Sed praefecto haec vidente
Visus est stridere dente
In te claram genere;
Decollari te praecepit,
Animam tuam suscepit
Angelus in aethere.
Ergo tuum venerandum
Nomen atque adorandum
Recolens et passionem
Tibi, sancta virgo, supplico,
Ut in omni meo opere
Me serves ab omni scelere
Ac in mea mortis hora
Assis mihi sine mora
Nec me sinas laedere
Potestates daemonum
Vel eorum versutiam,
Sed emissam animam
In tuam tutelam
Digneris recipere
Et illuc deducere,
Ubi tecum gaudere
Valeat perenniter.

Cod. S. Petri Salisburgen. a VI 35. saec. 15. — Zu Vers 12 ff. vgl. Nr. 151, Str. 5 ff.

156. De s. Maria Magdalena.

Salve, Magdalena mundo veneranda Maria,
Quam Deus ex imo duxit ad alta poli.
Porta salutis, ave, via vitae, spes miserorum,
Felix peccatrix, hospita digna Deo,
Semita iustitiae, pia consolatio lapsis,
Exemplum veniae, lux imitanda reis.
Quae dum maesta pedes Iesu lacrimando lavares,
Mox animae maculas diluit ipse tuae.
Unguentum capiti devota mente dedisti,
Unde repletur adhuc mundus odore bono.
Ore, manu, lacrimis, unguento, mente, capillis
Dans holocausta Deo victima tota manes.
Unde resurgentem meruisti prima videre
Christum, discipulis gaudia certa ferens.
Qui te pro meritis hodie super astra locavit,
Hic nobis tecum vivere praestet. Amen.

Cod. Guelfenbyteran. Helmst. 1392. saec. 15.

157. De s. Maria Magdalena.

Salve, dulcis Magdalena,
Praenobilis et serena,
Quae amore Iesu Christi
Peccati sordes horruisti,
Devota rigans lacrima
Ipsius sancta vestigia
In Pharisaei convivio,
Dolore repleta nimio.
Ob hoc meruisti audire
Verbum pietatis mirae:
Dimissa tibi sunt peccata.
Exhinc tota inflammata

Nunquam redis ad peccata,
Sed virtute cummulata
Manes semper copulata
Christo tuo Domino
Tam in vita quam in morte.
In sanctarum mulierum sorte
Salvatoris passioni
Toti eius et agoni
Interesse meruisti
Et dilectum aspexisti
Virgis caedi, palmis trudi,
Probris, sputis et illudi,
Cum iniquis deputari
Atque spinis coronari,
Cruci tandem conclavari
Atque morte confirmari.
Unde vehementer saevit
Dolor atque planctus crevit,
Luctu crucis occupari
Da cor meum salutari
Una matre cum beata,
Nati morte sauciata.
O Magdalena inclita,
Dehinc mane tu venisti,
Salutare córpus Christi
Ut unguentis perlustrares
Tumbae maerens et astares.
Saevae mortis tunc victorem
Verae vitae et auctorem
Prae cunctis prima aspexisti,
Vitam pandens turbae tristi
Mane prima sabbathi.
Post hoc caelos ascendentem
Patrisque dexteram petentem
Regem immortalitatis
Cernis oculis beatis.
Angelorum cum regina,
Multa turba cum divina
Redis in cenaculum
Expectans miraculum
Doni sancti spiritus,
Quem misit pater et filius
In unionem congregatis.
Mens devota tua tota
Dum caret praesentia,
Cuius beneficia
Cum recolebas sedule,
Tempus ducebas flebile
Et suspirans post dilectum
Mundum spernis et supernis
Frueris decentius.
Carnem annis tu ter denis
Fame, siti atque poenis
Dum adfligis incessanter,
Per contiones tunc laetanter
Septenis horis elevaris,
Pura mente satiaris
Visione deifica.
Post hoc caelum dum ascendis
Et ad terram sanctam scandis,
Psallit chorus angelorum,
Gaudet turba beatorum,
A dilecto salutaris,
Sibi quoque copularis
Per amplexum caritatis
Sociarisque beatis
Angelorum coetibus.
O beata Magdalena,
Dulcis, mitis et amoena,
Mei memor esto, pia,
Dum consisto in hac via
Vitae huius periturae,
Et caelestis ac futurae
Vitae donum degustare
Tecum fac et corregnare
Per cuncta aevi saecula,
O beata Dei famula.

Cod. S. Petri Salisburgen. b VI 3. saec. 15. — 62 spernens.

158. De sancta Maria Magdalena.

O piissima peccatrix,
Pedum Domini lavatrix,
Non de fontibus aquarum,
Sed de guttis lacrimarum,
Ut te multis a peccatis
Fons lavaret pietatis.
O praeclarum Deo templum,
Paenitentium exemplum,

Quae beatos pedes Christi
Sacris crinibus tersisti,
Ut meretricalis usus
A te fieret exclusus
Tergeretque tuas sordes
Manus per misericordes.
O solamen peccatorum,
Certa spes erroneorum,
Quae unguentum pretiosum
Super regem gloriosum
In tugurio leprosi,
Lepra mente scabiosi,
Sacris manibus fudisti,
Neminem erubuisti,
Ut foetori tuae mentis
Bonus odor recumbentis,
Spirantis per unctionem
Faceret abiectionem.
Audi me non exprobrantem,
Sed te magis exorantem,
Per eundem verum Deum
Fac mollescere cor meum,
Fac, ut saxum meae mentis
Fletus adfluat fluentis,
Ut per lacrimationem
Habeam remissionem
Atque bonum per odorem
Perdam criminum foetorem,
Ut purgatus a peccatis
Iungi merear beatis
In sacro regno polorum
Per saecula saeculorum.

Orat. ms. Scotorum Vindobonen. 54 h 8. anni 1410. — 23 foetorem. — Aus einer anderen Quelle in kürzerer Fassung Anal. XV, Nr. 204.

159. De s. Maria Magdalena.

1. O dilectrix Iesu Christi,
Magdalena, quae flevisti
Culpas tuas et lavisti
Pia pedes Domini;
Maculas erubescebas,
Quia Deum offendebas,
Dum te ream cognoscebas,
Te prosternens homini.

2. Amans multum foris ploras,
Corde Christum intus oras
Et pedes eius irroras
Lacrimis uberrime;
Regis caput, pedes ungis,
Te ipsam corde compungis,
Christi gratiam emungis
Puniens asperrime.

3. Inspector mox oculorum
Miseratus est tuorum
Fletuum et peccatorum
Dedit indulgentiam;
Audis: tibi remittuntur
Peccata nec ulciscuntur,
Sed dimissa conteguntur
Per Dei clementiam.

4. Manes sancta pace vadens,
Nunquam mortaliter cadens,
Bona docens, iusta suadens
Toto vitae tempore;
A daemoniis mundatam
Te laetaris et salvatam
Et gratiae reparatam
Anima et corpore.

5. Gaudens Christum imitaris,
Morte fratris conturbaris,
A Domino consolaris
Vivo fratre reddito.
Dei verbum audiendo,
Ad pedes Christi sedendo,
Summam partem eligendo
Felix es hoc addito.

6. Ad crucem Domini stabas,
Cum matre Christi plorabas,
Sepulcro te sociabas
Cunctis recedentibus;
Luges iuxta monumentum,
Fers, quod emeras, unguentum,
Ploras corpus non inventum
Cum feminis flentibus.

7. Nuntiabas surrexisse
Christum fratribus, misisse
Gallilaeam, te vidisse
Redemptorem hominum,
Ascendentem conspexisti
Ultra mare transivisti,
Gentes multas convertisti,
Speluncam ingrederis.

8. Ibi diu paenitebas,
Asperam vitam agebas,
Humano cibo carebas,
Fame tunc non laederis.
Omni die septem horis
Es ab angelorum choris
De spelunca vecta foris,
Sic refecta crederis.

9. Hinc salvator te vocavit
De mundo, quam hic amavit,
Maximinus ministravit
Sacramenta gratiae;
Anima tua caelorum
Regna petit, beatorum
Regem vides angelorum
Laeta clara facie.

10. Nos doce peccata flere,
Commissa semper dolere,
Committenda praecavere
Delicti piacula;
Nobis fletuum da rivum,
Culpae malum ne per clivum
Nobis paret recidivum,
Solve retiacula.

11. Esto nobis advocata,
Speculum veniae data,
Omnis nostra sit laxata
Poena culpae scoria;
Sacram per orationem
Tuam Dei visionem
Habeamus tentionem
Felices in gloria.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. — Eigentümlich ist das Akrostichon: O Maria Magdal[e]na. Iohannes. Letzteres dürfte der Name des Autors sein. War dies Iohannes Betken von Lehnin, der dies Gebetbuch geschrieben? Es heifst nämlich am Schlusse der Hs. fol. 331 b:

Completo libro sit laus et gloria Christo,
Hunc qui scribebat, Iohannes nomen habebat.

Dann: „Eidem praemium praestet, qui aeternaliter vivit et regnat. Completus est liber iste in monasterio lennyn anno Domini 1518 sabbato ante primam dominicam adventus Domini per fratrem Iohannem Betken, sacerdotem et monachum ibi professum.“ Entspräche diese Vermutung der Wirklichkeit, so dürfte Betken Verfasser noch anderer Lieder dieser Handschrift sein. Leider sind aber weitere Indicien, die eine solche Annahme stützen könnten, nicht vorhanden, so dafs es bei Aufwerfung der Frage leider sein Bewenden haben mufs. — Wie das Akrostichon beweist, ist vor 7, 1 eine Halbstrophe ausgefallen.

160. De sancta Maria Magdalena.

1. Maria, spes veniae,
pia Magdalena,
Quae cum Iesu possides
caelorum amoena,
Servum tuum respice
facie serena,
Ne post mortem crucier
gehennali poena.

2. Ad fontem clementiae
aestuans venisti
Pedesque dominicos
lacrimis lavisti,
Cum devotis osculis
capillis tersisti,
Sicque indulgentiam
culpae meruisti.

3. Regi nunc piissimo
reconciliata,
Per multas es lacrimas
ipsi facta grata,
Fac, ut sordes abluam
cunctaque errata,
Ne me Styx tartareus
glutiat post fata.

4. Invenisti gratiam
apud redemptorem,
Qui tuum gratissime
curavit languorem,
Me foedum concilia
sibi peccatorem
Tuumque, piissima,
fove servitorem.

5. Angelorum dominus
te iustificavit,
Cum te a reatibus
gratiose lavit,
Meque scelus multiplex,
proh dolor, prostravit,
Per te Iesus erigat
cum beato David.

6. Memor sis, quod fueris
famosa peccatrix,
Nunc vero peccantium
clemens mediatrix,
Mihi sis propitia,
dulcis miseratrix,
Meae quoque animae
iugis consolatrix.

7. Acta tua pristina
nunc rememorando
Ipsa, mater, replico
non improperando,
Sed Dei clementiam
inde collaudando,
Quam benignam mihi fac
pro me supplicando.

8. Gratia per saecula
te fecit famosam
Nec non peccatoribus
cunctis gratiosam,
Plantans in caelestibus
te clementem rosam,
Me audire dignum fac
tecum caeli prosam.

9. Deus tuis fletibus
per potentem manum
Suscitavit Lazarum
iam perfecte sanum,
Fac me, pia, vincere
hostem veteranum,
Qui, heu, multipliciter
cor seduxit vanum.

10. Ad te, benignissima,
recurro peccator,
Intercede supplicans
pro me, ut salvator
Mea purget scelera,
suus ut amator
Iugiter permaneam
tuusque laudator.

11. Lacrimarum gemitum
Mihi impetrare
Digneris, mitissima,
ut nunc deplorare
Mea possim crimina
teque sic amare,
Ut dignetur Iesus me
tecum coronare.

12. Eia, beatissima,
miserere mei,
Mea fer suspiria
ante thronum Dei,
Fac, ut iungi merear
eius faciei
Tuaeque consocier
sanctae requiei.

13. Nunc ergo, sanctissima,
pensa, quid fuisti,
Quam Dei clementia
tunc indiguisti,
Tu misericordiam
nobis placa Christi,
Sicut eam fieri
tibi voluisti.

14. Amen dico rogans te
Iesu dilectricem,
Meam, quaeso, animam
praevaricatricem
Tuis fac precatibus
hostium victricem
Et aeternis sedibus
tecum assistricem.

Orat. ms. Sigismundi Span de Bernstein anni 1477. Cod. Pragen. XIII H 3 A. — Orat. ms. Lehminense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. B. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20001. C. — 1, 5 Me servum tuum B. — 1, 7 perimar B. — 2, 7 Et sic B. — 3, 2 nunc fehlt B. — 3, 2 tunc reconciliata. — 3, 6 cunctaque peccata B. — 3, 7 u. f. Ne mea pauper anima fiat condemnata B. — 4, 7 Tuum, sancta refove B. — 4, 8 Maria servitorem B. — 5, 8 et per beatum David B. — 7, 1 Acta praecedentia B. — 7, 2 tua memorando B. — 7, 3 Tua, mater, recolo B. — 7, 5 Fidei constantiam B. — 7, 6 in te B; collocando A. — 7, 7 Hanc mihi statim impetra B. — 9, 7 Quem heu A. — 10, 3 Te petens ut flagites B. — 10, 5 Meam salvet animam B. — 11, 4 ut nunc contemplare B. — 11, 5 scelera B. — 11, 7 Ut dignetur Dominus B. — 11, 8 me tecum B. — 12, 2 recordare mei B. — 12, 5 Fac, quod B. — 12, 6 ipsius B. — 13, 1 sacratissima B. — 13, 2 quod B. — 14, 1 dico rogitans. — 14, 3 Meam foedam animam B.

161. De s. Maria Magdalena.

1. Gaude, felix Magdalena,
Crucifixi zelo plena,
Nos perducas ad amoena
Paradisi gaudia;
Dona nobis cor amarum,
Fac repletum lacrimarum,
Sit lamentum nobis carum,
Planctus sit laetitia.

2. Magdalena, nos plorare
Fac, nos tecum supplicare,
Crucifixum fac amare
Cordis desiderio;
Magdalena, nos tuere,
Affectantes tecum flere
Fac, ardere et languere
Amoris incendio.

3. Magdalena, quae fuisti
Sic amica Iesu Christi,
Fac nos flere, quae flevisti,
Sit in fletu gaudium;
Quod audisti, fac audire,
Quod sensisti, fac sentire,
Fac cor nostrum introire
Lugubre suspirium.

4. Istae laudes Magdalenae
Quasi dulces cantilenae
Sint suaves et amoenae
Cordibus fidelium;
Magdalenae cor ardebat,
Suspirabat et gemebat
Nec quiescere valebat
Plorans Dei filium.

5. Propter magnam vim amoris
Plena maximi doloris
Aestuabat intus, foris
Voce lamentabili;
Stabat iuxta monumentum,
Eius cor erat intentum
Circa planctum et lamentum
Corde miserabili.

6. O quam felix tu fuisti,
Lacrimando quae lavisti
Christi pedes et terristi
Tuis sacris crinibus;
O discipula beata,
Quae fuisti Deo grata,
Christi pedes osculata
Tuis ungens manibus.

7. O exemplar paenitentis,
In qua fuit ardor mentis,
Quae gaudebas in lamentis
Anxia doloribus,
Magdalena, manda zelum,
Quem habebas sic anhelum,
Quod perducat nos in caelum
Tuis semper precibus.

8. Magdalena, mala dele,
Tui planctus sint medelae
Semper nobis, sint tutelae
Contra carnis vitia;
Magdalena, dele mala,
Nos tua salva sub ala,
Esto via, dux et scala
Nobis ad caelestia.

Cod. S. Petri Salisburgen. a III 10. saec. 15. A. — Orat. ms. Scotorum Vindobonen. 54 h 8 saec. 15. B. — 1, 8 Planctus et laetitia B. — 4, 4 fidelibus B. — 6, 2 tersisti A. — 6, 3 lavisti A. — 7, 5 manda Deum B. — 7, 6 Nam placatum habes eum B. — 7, 7 fehlt B; spätere Hand hat ergänzt: Carnis et compesce bellum. — 8, 3 fehlt A. — In B schliefst sich an dies Lied unmittelbar an: O piissima peccatrix; s. Nr. 158.

162. De s. Maria Magdalena.

1. Felix, quae caeli solio
Regnas cum Dei filio,
Sponsa Christi beata,
Ad te, mater, confugio,
Me suscipe, refugio
Excelso sublimata.

2. O Magdalena domina,
Mea sume precamina,
Matrona pietatis,
Per te, beata femina,
Tergantur mea crimina,
Lucerna sanctitatis.

3. Manum indigno porrige,
Me peccatorem erige,
Summi regis filia,
Actus et vitam corrige,
Me redemptori dirige
Fragrans velut lilia.

4. A tormentis crucis poenae
Me conserva Magdalenae,
Iesu, sanctis precibus,
Me sub tua manu tene,
Ne involvant me catenae
Hostis cruciatibus.

5. O benigna, laude digna,
Magdalena, lux serena,
Mortuum vivifica,
Per amorem Iesu Christi,
Cuius pedes tu lavisti,
Me sibi iustifica.

6. Lux solaris, o Maria,
Stella maris, mater pia,
Misero compatere,
Caeli throno sublimaris,
Quae cum Christo gloriaris,
Noli me deserere.

7. Iuva, mater, me dolentem
Pro commissis et petentem
Summi patris gratiam,
Ut me solvat a peccatis
Fons totius bonitatis
Et mihi det gloriam.

8. Mater sancta, gemma cara,
Ne me trahat mors amara,
Pium fer auxilium,
Immolatum crucis ara,
Ut me ponat luce clara,
Ora, post exsilium.

9. Mater, ora et implora,
Quem extrema mortis hora
Crucis in patibulo
Verberatum, vulneratum,
Flagellatum, cruciatum
Sic pro suo populo
Et videbas et dolebas,
Et lugebas et gemebas
Astans vultu quaerulo.

10. Ora reginam virginum,
Quae nulli claudit hominum
Gremium pietatis,
Ut interpellet filium,
Qui salus est humilium,
Ne damner pro peccatis.

11. Per te cives angelici
Cum ierarchia triplici
Orent unigenitum,
Simul sanctorum cunei
Et conventus virginei,
Ut me salvet perditum.

12. Per te caeli militia
Mihi fiat propitia,
Maria Magdalena,
Qui tot commisi vitia,
Me, Dei plena gratia,
Iuva prece serena.

13. Qui de Maria virgine
Carnem pro nostro crimine,
Rex omnium creator,
Dignatus es assumere,
Mala velis dissolvere,
Supernae vitae dator.

14. Mundi salvator Domine,
Qui pretioso sanguine
De caelo descendisti
Peccatores redimere,
Digneris mihi parcere,
Qui mortem pertulisti.

15. Per illa salutifera,
Quae te portarunt, viscera,
Precor, fili virginis,
Et per materna ubera,
Quae suxisti fructifera,
Laxa pondus criminis.

16. Iesu, misericordiae
Fons et largitor gratiae,
Rex summae bonitatis,
Per Magdalenae merita
Mea dimitte debita,
Qui regna das beatis.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343 anni 1351. — „Sequentia de s. Maria Magdalena", was irrtümlich ist, wenn Sequenz im liturgischen Verstande genommen wird.

163. De s. Maria Magdalena.

1. Ave, dulcis Magdalena,
Peccatorum spes amoena,
Lumen paenitentium;
Ave, salutaris vena,
Rore caeli vere plena,
Rigans vitam gentium.

2. Ave, hospes gratiosa,
Quam elegit generosa
Proles cum discipulis;
Ave, victrix gloriosa
Summi regis ac famosa
Memoranda saeculis.

3. Ave, testis crucis Christi,
Iesum cernens mente tristi
Mortis pati taedia;
Ave, digna quae fuisti
Prima resurgentis Christi
Mundo ferre gaudia.

4. Ave, digne veneranda,
Quam laudavit adoranda
Dei sapientia;
Ave, cunctis admiranda,
Quae ter denis annis blanda
Hausisti caelestia.

5. Ave, dulcis melodia,
Iuncta sponso propter pia
Amoris obsequia,
Memor esto mente pia
Nunc tuorum, o Maria,
Plena caeli gratia.

Orat. ms. Thosanum saec. 15. Cod. Bruxellen. 4948.

164. De s. Maria Magdalena.

O Maria Magdalena,
Quae quondam fuisti plena
Criminibus universis,
Peccandi modis diversis,
Invenisti fontem David,
Qui te omni sorde lavit
Et mundavit a fluente,
Qui sic manat a te flente,
Quando tua mala luis,
Apparet oculis tuis,
Per quos fluunt duo rivi
Velut aquae fontis vivi.
Hauri mihi inde potum
Et riga me siccum totum,
Ut ille fons pietatis,
Qui te lavit a peccatis
Lavet meum cor obscurum,
Inquinatum et impurum.
O Maria, Dei templum,
Paenitentiae exemplum,
Audi me non exprobrantem,
Sed te magis adorantem.
Tu olim, domina mea,
Eras peccatrix et rea
Et nosti tuo dolori
Quid expedit peccatori.
Pro me tristi fletum quaere,
Qui non possum paenitere
De tot et de tantis malis.
Mihi nullus est aequalis
Fur, meretrix neque praedo,
Non est peior me, ut credo;
Sed si mea mala vigent,
Piget me, quia non pigent.
O Maria Magdalena,
Sicut fuisti egena
Misericordia Dei,
Obsecro, sis memor mei
Et sicut, domina mea,
Ego reus et tu rea,
Fuimus pares in malis,
Fac in bonis sim sodalis.
O solamen miserorum,
Spes et gaudium eorum,
Qui perirent, si non esses,
Pro me rogare non cesses.
Tuus doctor fuit Deus,
Utinam et esset meus,
Ut sic possem paenitere
Et peccata mea flere
Sicut tu paenituisti
Flendo mala, quae fecisti.
Tu es illa, quae vidisti
Totam passionem Christi,
Captum, ductum, accusatum
Ante Pontium Pilatum,
Sputum, caesum, verberatum,
Clavis, lancea foratum,
Caput spinis coronatum,
Nudum in cruce levatum,
Opprobriis saturatum,
Multis spinis oneratum.
Sed propter nostrum peccatum
Ascendit in patibulum.
Non est dolor par dolori,
Quando vides eum mori,
Ubi maior vis amoris,
Maior est poena doloris.
Mirum est, quod non partitur
Tuum cor, cum sepelitur.
Mortuum videre tamen
Erat aliquod solamen.
Sed tu doluisti multum,
Quando relinquis sepultum.

Mox vadis ad institores,
Unguentorum venditores,
Murram et balsamum emis,
Dans in aloes carenis.
Sed tibi videtur parum,
Nam si tua esset Roma,
Totam dares in aroma.
Cito ad sepulcrum redis,
Ubi eum fore credis,
Unguere corpus iacentis
Cum pretiosis unguentis;
Non est mirum, si terreris,
Cum angelum intueris,
Sedentem albis indutum
Super saxum revolutum;
Obstupescis viso vultu
Et non alio tumultu.
Qui dixit: noli timere,
Surrexit Dominus vere,
Voca Petrum et Andream,
Ut eant in Gallilaeam,
Ibi nam videbunt Deum
Omnes credentes in eum.
Sed tu, quem diligis, quaeris
More bonae mulieris,
Perscrutaris monumentum
Et miraris non inventum.
Non inventum quaeris rursum
Et inferius et sursum,
Tantum quaeris et quaesisti,
Donec illum invenisti.
Sed inventum non cognoscis,
Unde ab eodem poscis:
Tulerunt Dominum meum;
Si tu sustulisti eum,
Dic mihi, et ego tollam
In brachiis et in collum.
Iesus pius voce pia
Respondit tibi: Maria.
Hoc est multum bonum omen,
Quando audis tuum nomen.
Citius ad illum vadis
Et ad pedes eius cadis
Credens et adorans eum
Sicut Dominum et Deum.
Ergo, apostola Christi,
Quae prius Christum vidisti
A mortuis resurgentem,
In vera carne viventem,
Pia, dulcis et decora,
Pro me ora, pro me plora,
Ut me servent omni hora
Deus et virgo Maria,
Et non videam infernum,
Sed et gaudium aeternum.

Cod. Parisin. 11343. saec. 15. — 14 me situm. — 78 Donans in aloes carmis. — 111 et in cellam.

165. De sancta Martha.

1. Gaude, Martha laudabilis,
Prosapia spectabilis,
Moribus affabilis,
Famulatrix mirabilis,
Dum Deum recepisti.

2. Gaude, virgo eximia,
Quae puero salubria
Sitienti in maria
Submerso tu prece pia
Vitam restituisti.

3. Gaude, quae magnum draconem,
Ferocem quasi leonem,
Genti danti laesionem,
Per tuam orationem
Mitem fore fecisti.

4. Gaude, fulgens bonitate,
Spe, fideque caritate,
Circumfulta pietate,
Gaudens hospitalitate
Amore Iesu Christi.

5. Gaude, cuius obsequio
Fuit cum Frontone pio
Exercens in officio
Christus verus opilio,
Cui sedule servisti.

6. Tu, quae tot bonis affluis,
Subsidiis continuis
Ora Deum pro famulis
In tua laude sedulis,
Ut non fel Acherontis
Influat, sed mel vivi fontis
Exuberet.

Orat. ms. Libehardi prioris Reichenbacen. anni 1476. Clm. Monacen. 2990.

166. De sancta Martha.

1. Martha, Iesu hospita,
ei praedilecta,
In virtutum culmine
semper stans erecta,
Gressus meos dirige
hic in via recta,
Ut post mortem subeam
paradisi tecta.

2. A caelorum pascuis
ovem me errantem
Respice misericors
te nunc invocantem,
Pro me Iesum obsecra
tecum hospitantem
Et benignum mihi fac
virginis infantem.

3. Rex tuum omnipotens
Lazarum germanum
Tuo fletu suscitat
iam quatriduanum,
A me longe facito
daemonem profanum
Et languenti graviter
piam praebe manum.

4. Tartaricum horridum
draconem stravisti
Et ab eius faucibus
multos eruisti,
Ad tribunal ultimum
dum compellar sisti,
Per te iungar superis,
quibus consedisti.

5. Hora mortis Dominus
te pie visitavit,
Ornando tuam animam
secum deportavit
Ad aeterna gaudia,
quae ipse praeparavit,
Fac, ut Deo socier,
qui te invitavit.

6. Ad te reus propero,
dulcis advocata,
Mea fiat anima
per te Deo grata,
Tua prece transeat
hinc immaculata
Et post finem evolet
ad regna beata.

Orat. ms. Libehardi prioris Reichenbacen. anni 1476. Clm. Monacen. 2990.

167. De sancta Martha.

1. O Martha, Christi hospita,
Pro ipso quam sollicita,
Ad plurima turbata,
Nimirum nedum angelum
Sed angelorum dominum
Suscipere parata,

2. Excellens in hoc Abraham,
Loth, Raguelem et Saram
Et quosque veteranos.
Fratrem vides suscitari,
Christum quoque lacrimari
Affectus ob germanos.

3. Si domui Aegyptii,
Ioseph sui emptitii,
Dominus benedixit,
Obededom propter archam,
Laban Iacob patriarcham,
Iniuste quem afflixit,

4. O quae pax tuae domui
Introitum ob Domini
Provenit, pacis filia?
Requievit et implevit,
Salus quia in te crevit
Totaque familia.

5. Inde vitae caelibatum
Agis et post incolatum
Vocaris ad gloriam,
Non in domum manufactam,
Luto glebisque compactam
Neque transitoriam,

6. Sed in latas mansiones
Caelique papiliones
Et in tabernacula
Quam dilecta, quae cupiscunt,
Qui cum Deo esse gliscunt
Et agno sine macula.

7. Si non frustra in praesenti
Datur cuique sitienti
Calix aquae frigidae,
Si non dantem, hospitantem
Non cibantem nec potantem
Iudex ferit rigide,

8. Quid meretur, qui cibavit,
Hospitavit et potavit
Regem caeli pauperem,
Non habentem, ubi caput
Reclinaret, sed te apud
Invenit sibi requiem?

9. O quam felix et quam laeta
Iuste iusto de propheta
Mercedem iusti recipis!
Prophetarum et iustorum
Omniumque electorum
Summum Deum respicis.

10. Iam in domo ubertatis
De torrente voluptatis
Divinae debriaris,
Iam mensura effluente,
Sinum tuum adimplente
Abunde praemiaris.

11. Eia, verna Christi cara,
Ea dona nobis para
Largo Dei munere,
Ut iam diu tumulati,
Saxi mole praegravati
Peccatorum funere

12. Christi voce respiremus,
Actus vitae iteremus,
Fructus paenitentiae,
Quibus tenebris abiectis
Detur lumen corde rectis
Et spes indulgentiae.

13. Ad nos Christus mox intrare
Mentemque inhabitare
Dignetur per gratiam,
Ob auditum praeceptorum
Derivetur fons donorum
Quasi in Bethaniam.

14. Fac, ut semper satagamus,
Ei digne peragamus
Frequens ministerium,
Interpella, ne lacescat
Manus, tamen non torpescat
Mentis desiderium.

15. Actioni sic instemus,
Sessionem ne frustremus
Aut verbi esuriem,
Sed utraque vita freti
Exhinc transeamus laeti
Ad futuram requiem.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29.

168. De sancto Martino.

Ave, gemma sacerdotum,
Gloriosus es per totum
Et laudandus sine fine,
Sancte pater, o Martine.
Et licet laus peccatoris
Nil fecerit, heu, decoris,
Quidquid tamen mihi deest,
Tua virtus supplex praeest;
Tuae laudi hic instabo,
Semper te magnificabo.
O Martine, gaude, gaude,
Nam es dignus omni laude;
Nemo tantum te laudabit,
Dum in laude claudicabit.
Patriarchis comparatus,
Largitate es praelatus,
Nam vestisti deitatem
Tegens nudi paupertatem.
Compar factus es prophetis
In futuris et secretis
Diu mortem praesciendo,
Hanc amicis praedicendo.
Consors es apostolorum,
Quod est magnum et decorum,
Propter donum hoc insigne:
Apparenter nam in igne
Sanctum pneuma suscepisti,
Dum levasti corpus Christi.
Quamvis non sis vi mactatus,
Martyr tamen es probatus
Stricte corpus affligendo,
Multa dura patiendo.
Es confessor confessorum,
Dux virtutum, splendor morum,
Triplo statu admirandus,
Invitandus et laudandus:
Scilicet in militari,
Monachali, praesulari,
Es lux ita laicorum,
Monachorum, praelatorum.
Post haec virginalis decor
Te exornat. Ergo precor,
Da, ut sim in cunctis horis
Mundus intus, castus foris.
Adhuc pietatem laudo,
Quam fecisti caeco, claudo,
Quos sanasti contra velle.
Ergo, pater, rogo, pelle
Omnem morbum malum a me,
Mentis, corporisque famae.
O patrone summe pie,
Sis dux meus huius viae
Et duc me post vitae cursum
Ante vultum Dei sursum,
Quo tecum per iubilamen
Ipsum laudem semper. Amen

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. A. — Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. B. — Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. C. — 8. supplex adest A. — 49. malum fehlt A.

169. De sancto Martino.

Confessorem veneremur
tanto laeti praeside,
Qui vestitum vidit Christum
bipartito chlamyde.
Usum linguae mutae dedit,
gressum paralyticae,
Celebrantis globus ignis
effulsit de vertice.
Tres defunctos vitae dedit,
lepram mundans osculo,
Solo canes verbo ligat
compassus lepusculae.
Pinum quandam signo crucis
avertit opposito,
Sic Martinus praecellenter
vitae pollet merito.

5. Tibi canto nunc pro tanto
laudis beneficio,
Supplicando me commendo
tuo patrocinio.

6. Solve moles, sicut soles,
Quibus pressus iaceo,
Et excusa, quod confusa
mente factum doleo.

Cod. Londinen. Ar. 201. saec. 13.

170. De sancto Martino.

O virum ineffabilem,
Virtute inaestimabilem,
Martinum, Dei praesulem,
Precor, ut me flebilem
De somno mortis suscites,
Qui mortuos suscitasti tres
In trinitatis nomine.
Sacro tuo precamine
Pellens et daemonia,
Membra curans omnia,
Te quaeso medullitus,
Ut sanes in me caelitus
Prae ceteris quam maxime
Morbos languentis animae.
Tuo namque imperio
Erunt in refrigerio,
Quos impugnant daemones
Et mali premunt homines.
Pietate, quaeso, solita
Crebro iuvando visita,
Qui pares post apostolos
Gratiae tenes titulos,
Faciens prodigia et signa
Multa Deo digna.

Orat. ms. Libehardi prioris Reichenbacen. anni 1476. Clm. Monacen. 299(

171. De sancto Martino.

1. O Martine, flos praesulum,
O conculcator zabuli,
O monachorum speculum,
O vani spretor saeculi,
Quem in mundi climatibus
Tot admirantur populi,
Audi preces cum fletibus
Te venerantis servuli.

2. Alter ego Sulpicius
Me tuo patrocinio
Commendans specialiter,
Te venerari gestio,
Si te velim attollere
Singulari praeconio,
Prae cunctis confessoribus
Iusta fiet laudatio.

3. Tu polles sanctimoniae
Totius privilegio,
Totus caelestis gratiae
Perfusus stillicidio,
In terra manes corpore,
Sed in caeli palatio
Conversaris mente pia
Cum sanctorum consortio.

4. Datum est tibi caelitus
Donum vere mirabile,
Donum ignotum ceteris,
Donum nimis laudabile,
Qui in tumultu populi
Facis sine gravedine,
Quod facere non praevalet
Latens in solitudine.

5. Martine, martyr inclite,
Sed non lictoris gladio,
Qui pro Christo viriliter
Decertasti in stadio,
Te fecit esse martyrem
Corporalis afflictio,
Bellum carnis ac spiritus
cinisque cum cilicio.

6. O Martine dulcissime
Implora pro me Dominum,
Ut ad ipsum perveniam
Post huius vitae terminum,
Rex Christe clementissime,
Domine dominantium,
Esto mihi placabilis
Per Martini suffragium.

7. O praesules et monachi,
Caveamus insidias
Versipellis Leviathan
Sustinentes molestias,
Cum Martino pontifice
Semper inter angustias
Benedicamus Domino,
Deo dicamus gratias.

Cod. Bruxellen. (ol. Gemblacen.) 5397—5407. saec. 13. — Cfr. Catal. Codd. Hagiograph. Bruxellen. I, 506 sq.

172. De sancto Mauritio.

1. Salve, sancte martyr Dei,
O Mauriti, memor mei
Funde precem,
Ne in necem
Corruam vel crimina.

2. Ave, forma vitae rectae,
O Mauriti, mi dilecte,
Tis cor mite,
Verba vitae
Sunt paradisi flumina.

3. Nexus culpae tu recide,
O Mauriti, nunc me vide,
Cor tu lava,
Ne qua prava
Conetur post perficere.

4. Causa subest te rogare,
O Mauriti, tu scis quare,
Non sum fortis
Et in portis
Mortis cogor sistere.

5. Tibi totus sum devotus,
O Mauriti, sis tu totus
Meus, oro,
Qui nunc ploro,
Quod sum nimis aridus.

6. Et tu meus es patronus,
O Mauriti, quia bonus
Es tu multum,
Hinc ad cultum
Tis sum semper avidus.

Miss. ms. Belisianum saec. 15. Cod. Bruxellens. 9786—90. — 2, 4 Verba dire. — 6, 5 semper agilis; gegen den Reim. — Dem Inhalte und der

Aufschrift „Metrum aliud“ nach ein Reimgebet; der Form nach der im selben Mefsbuche vorkommenden Sequenz „Florem mundus protulit“ entlehnt. Das Akrostichon „Sancte“ scheint darauf hinzuweisen, dafs ein zweites Lied von gleichem Verfasser mit dem Akrostichon „Mauriti“ sich diesem anzuschliefsen habe, höchstwahrscheinlich der Hymnus „Multorum militum dux bone martyrum.“ (Anal. XXIII, 243), welcher der gleichen Hs. entnommen ist. Aus dem Grunde und weil der 2. Vers der 1. Strophe jenes Hymnus in der Einzahl spricht „Mauriti, te cano, te modo veneror“, dürfte derselbe eher den Reimgebeten als den Hymnen einzureihen sein.

173. De sancto Mauritio.

O dux Mauriti, qui clarior ab Oriente
Nostras ad partes occiduas veneras,
De quo lux fidei processit ad omnia mundi
Climata, te laudo, te colo, te veneror.
Se tibi praeclara coniunxit turba Thebaea,
Christo devota, fida Deo legio.
Hostes, ut Caesar praecepit Maximianus,
De regno terrae pellere debueras.
Quique viris multis accinctus iussit: Adoret
Omnis bellator idola, turificet,
Et qui contemnet regis mandata, cruore
Purpuret et satiet regia tecta suo.
Qui statuas statuit. Accurrunt undique laeti,
Congaudent iuvenes, tangere sacra volunt.
Multi turificant verbum regale verentes,
Iussio quos terret et facit esse reos;
Cumque tuis sociis, Mauriti, surgis in illo
Tempore, quosque mones, idola despiciant.
Quibus vallatus vacuos sine laude remittis
Regis legatos consolidasque tuos.
Regius inde furor sic arsit, ut hic moreretur,
Quisquis ex cunctis sorte foret decimus.
Ad mortem quasi delicias sic quilibet horum
Festinat quo sit primus in hoc numero.
Rursum legatos spernit, cui vivere sorte
Contigit, hic rursus ense perit decimus.
Cetera cum post hoc contemneret idola turba
Tota Deo martyr fit ea sacra cohors.
Sicque relinquentes infecta negotia regis
In fide Christi quisque manet stabilis.

* * *

Hinc, o dux magne, pro me, te quaeso, rogate
Cum sociis; tibi nam servio mente libens.
Tu mihi prae multis sanctis exstas specialis,
Raynero fragili, tuque miserto mei.

35. Quem, peto, commendes Christo matrique Mariae,
Illius ut flatum regna Dei foveant,
Nec Styga nec tenebras timeat, sed ad aethera scandat,
Cum venerint fata mortis acerba nimis.

Miss. et. Brev. Belisianum saec. 15. Cod. Bruxellen. 9786—90. — Vers 34 nennt sich der Verfasser, derselbe, der auch die prosaische Passio der Thebäer in ebendieser Hs. verfafst hat. Vgl. Catol. codd. hagiograph. bibl. reg. Bruxellen. II, 368.

174. De sancto Mauritio.

1 a. O felix legio,
Quae sursum regio
Resplendes diademate,

1 b. Vide me miserum
Supplicem famulum,
Carentem mentis schemate.

2 a. Radicem Veneris
Et omnis sceleris
Tuis depelle precibus

2 b. Et mala cordium,
Tot mentis sordium
Sum plenus culpae faecibus.

3 a. Assiste supplici,
Nequaquam duplici
Sensus et cordis sinulo,

3 b. Sis tutor corpori,
Sis custos animi
Et miserere parvulo.

4 a. Per tuam gloriam
Conquiram gratiam
Dei patris piissimi,

4 b. Sim mihi notior,
Christo devotior,
Nato patris altissimi.

5 a. Regentem singula
Cunctaque saecula
Depreceris intentius,

5 b. Effundo lacrimas,
Oro, ne Satanas
In me fremat licentius.

6 a. Orantem Dominus
Audiet comminus,
Cum tu pro me rogaveris,

6 b. Nam multis citius
Is est propitius,
Quapropter mihi faveris.

7 a. Redemptor omnium,
Bonorum hominum
Rogo . . . . .

7 b. Per te suscipiat
Et grata habeat
Has preces atque lacrimas.

8 a. Et scis, quod egeo,
Qui mala sentio
Tam multa sine numero,

8 b. Ergo ne differas,
Sed mihi conferas
Opem, ut dicam gratias.

9 a. In diva facie
Cum mentis acie
Contemplaris feliciter,

9 b. Ego criminibus
Et passionibus
Defoedor multipliciter.

10 a. Non possum surgere,
Nisi porrigere
Dignetur manum Dominus,

10 b. Si tu rogaveris,
Si mihi faveris,
Miserebitur citius.

11 a. Ergo tu venias
Sic, ut subvenias,
Conquiram gratiam,

11 b. Quam si meruero,
Nihil non potero,
Nam bona quaeque faciam.

12 a. Reorum timeo
Poenam, quae nimio
Torquet eos supplicio,

12 b. Cum ergo moriar,
Rogo, ne sociar
Damnatis in iudicio.

13 a. O felix anima,
Quae tunc solamina
Persentiet interius.

13 b. Mauriti, venias,
Angorem lenias,
Ne quid fiat deterius.

Miss. ms. Belisianum saec. 15. Cod. Bruxellen. 9786—90. „Aliud metrum sicut Sequentia de sancto Paulo"; also Reimgebet auf ein Sequenzenschema. — 8 b, 3 fehlt der Reim zu 8 a, 3; vielleicht ist zu ordnen: 8 a, 7 a, 7 b, 8 b. — 12 b, 2 die falsche Form sociar scheint der Reim zu schützen.

175. De sancto Mauritio.

1. O quam splendifera lampade matrem
Lustras ecclesiam, turba Thebaea,
In qua praecipuae dux legionis
Fulget Mauritius, nobilis heros.

2. Ut vos Caesarea iussa ciere,
Prompti corripitis arma parendo,
Iunctis agminibus Marte secundo
Augusti cupitis iussa tueri.

3. Lorica, clipeo membra teguntur,
Enses ne feriant hostis acerbi,
Sed longe melius pectora munit
Fervens atque fides inviolata.

4. Vanis numinibus Caesar honores
Divinos voluit turaque ferri,
Cui Christo placita turba rebellat,
Vitam non metuens perdere carnis.

5. Mandat praecipiti fervidus ira
Ex vobis decimum Caesar iniquus
Percelli gladio, flectere cet'ros
Quo posset citius ad sua vota.

6. Sed petrae stabili contio iuncta
Astant intrepidi mente benigna
Mortem pro Domino ferre parati,
Quam complere feri iussa tyranni.

7. Ardet propterea Caesar acerbis
Pulsatus furiis perdere totum
Agmen cum capite caede cruenta,
Mandans militibus, iussa facescant.

8. In saltu veluti fetibus ursa
Raptis atra fremit, utque lupi ceu
Agnos innocuos dente lacescunt,
Sic Christi iugulat impius agmen.

9. Certatim gladiis viscera nudant
Nec volvunt tacito pectore questus,
Armis sed positis more bidentum
Caeduntur proprio sanguine tincti.

10. Terris exuvias fonte rigatas
Linquunt sanguineo, sorte beata
Conscendunt animae regna polorum
Turmis angelicis consociatae.

11. Quae vox expediet singula fando,
Quae tu martyribus munera praestas?
Propter supplicia parva coronas
Sumunt innumera luce micantes.

12. Nobis praesidium ferte, Thebaei,
Ut virtutis iter tramite recto
Carpentes iugiter, suscipiamus
Post vitam fluidam gaudia caeli.

13. Hoc fer, cunctipotens, munere divo
Natum per proprium, pneumate sacro,
Qui tecum moderans cuncta creata
Factis distribuit praemia iusta.

Miss. et Brev. Belisianum saec. 15. Cod. Bruxellen. 9786—90. — 6, 4 ferum. — Aus derselben Quelle Anal. Bolland. VI, 371 sq.

176. De sancto Mauritio.

1. Votivis Christum laudibus
Attollamus attentius
Colentes tirocinium
Tam inclitorum pugilum.

2. Ipse pro his piissime
Dignatus est occumbere;
Hinc magnam putant gloriam
Pro ipso dare animam.

3. Tinctis sanctorum vestibus
Ex confratrum sanguinibus
Fit his maior constantia
Fervoris inflammantia.

4. Exhortantes se mutuo
Interfectorum exemplo
Fidem horum constantiae
Inspiciunt pro codice.

5. Implesse vident opere,
Quod legitur in codice,
Cum se dedere gladio
Pro Christi beneplacito.

6. Hinc et arma proiciunt
Neque ferro se muniunt,
Fit horum subterfugium
Ad divinum auxilium.

7. Cruor Christi percalidus
In horum flagrat mentibus,
Hinc his magnae deliciae
Proprio tingi sanguine.

8. Quod gliscunt, en, percipiunt,
Dum diram necem perferunt
Universi et singuli
Horum cohorte reperti.

9. Poenis torti crudelibus
Equorum trusi pedibus
Rubro mittuntur pallio
Sponso rubro et candido.

10. O quanta iubilatio
Martyrum in collegio
Pro adventu tot militum
Tam constantum, tam fortium!

11. Ipsi ineffabiliter
Exsultant ac fideliter,
Quod morte Christi placita
Huius fruuntur gloria.

12. Christo suam dant gloriam
Asscribuntque victoriam,
Ex cuius dono gratiae
Beati sunt perpetue.

13. Gaude, Victor decrepite,
Consors lucis ac gloriae,
Qui constantia fidei
Meruisti his coniungi.

14. Ad lucrum tuum maximum
Venisti super cuneum
Partientium spolia,
Quibus factus es hostia.

15. Quamvis venisti tardius,
Idem tamen denarius
Tibi datur cum ceteris
Militibus emeritis.

16. Maximiane pessime,
Luge, capillos extrahe;
En, hic datus suspendio
Suspenderis perpetuo.

17. Eia, tirones nobiles,
Eia, Thebaei martyres,
Velitis intercedere
Pro pace matris unicae.

18. Ach, eius reformatio
Vestro fiat praesidio,
Ut tam mater quam filii
Resultent laude Domini.

19. Orate et pro omnibus
Vos pie venerantibus,
Quorum vita hic integra
Est bellum et militia,

20. Ut triumphatis hostibus
Tam saevis, tam fallacibus,
Coniuncti vestro coetui
Proclament mente hilari:

21. Honor, potestas, claritas
Tibi sit, summa trinitas,
Et hoc nunc temporaliter
Et post hoc aeternaliter.

Miss. et Brev. Belisianum saec. 15. Cod. Bruxellen. 9786—90. — 20, 4 Proclamant.

177. De sancto Mauritio.

1. Turba Christi fidelium
Veniat ad spectaculum;
En, Thebaeorum legio
Proponitur in medio.

2. Hi testantur constantia,
Quod fides nostra solida,
Pro qua superlaetissime
Decreverunt occumbere.

3. Nec minis nec blanditiis
Neque ullis suppliciis
Separari ab aliquo
Potuerunt a Domino.

4. Christus horum hic vivere
Spesque futurae gloriae,
Pro ipso quisquam perpeti
Optat medullis animi.

5. His fundum dedit fidei
Iacobus frater Domini
Praedicans ductu spiritus
In orientis partibus.

6. Per ipsum Christum noscere
Merentur et induere,
Fide magis quam antea
Urbs Thebaea fit inclita.

7. Quae perfida tam celebris
Rebus, portis ac populis,
Fidelis quidni ditior,
Clarior ac famosior?

8. Quam fideles sunt incolae,
Horum fit notum undique
Per Christo adversarium
Saevum Diocletianum

9. Missis huius epistolis
Singulis in provinciis;
Ut Christi sit negatio,
Miser scribit pro nihilo.

10. Ad haec a Christi populo
Redditur nec responsio,
Nuntios mittunt vacuos,
Fide plus firmant animos.

11. Ast imperans, ut veniant
Romanisque subveniant,
Rebelles fiant subditi
His, ad hoc sunt promptissimi.

12. Docti erant catholice:
Quae Dei, Deo reddite,
Et Caesari, quae Caesaris
In honestis et licitis.

13. Hinc electa ex populo
Clara militum legio
Velut Augusto subdita
Comparet in urbe Roma,

14. Non, ut fidei detrahant
Seu fidelibus noceant,
Sed uti iustis Caesari
In bellis sint praesidii.

15. A Marcellino, inclito
Urbis Romae episcopo,
Monentur mori potius
Quam nocere fidelibus.

16. Dux ipsorum Mauritius,
Signifer erat Candidus,
Armis viri magnanimi
Fideque constantissimi.

17. Hi cum comilitonibus
Probant palam operibus,
Quod mens horum firmissima
In fide sit catholica.

18. Iussi, ut libent idolis
Resistantque christicolis,
Segregant ab exercitu
Se perfidorum ac ritu.

19. Maximiano Caesari,
Collegae Diocletiani
Remandant cum constantia
Se respuere idola

20. Nec posse cruciatibus
Ad hoc flecti aliquibus,
Ut spreto Christo Domino
Sacrificent diabolo.

21. Statim missis militibus
Singulis horum decimus
Viva Christi fit hostia
Spiculatorum framea.

22. Praebentes prompti capita
Cum ingenti laetitia
Contendunt pie mutuo,
Quis prior cadat gladio.

23. Quantoque hoc fit crebrius
Tanto gaudent uberius,
Ut Christo hoc retribuant,
Quod ab ipso acceperant,

24. En, flammescit calidius
In tuis [his] militibus
Ignis, quem terrae mittere
Venisti tu, rex gloriae,

25. Qui nullius astutia,
Suasu, paenis, saevitia
Valet in ipsis minui
Seu extingui seu dirimi.

26. Id tua operatio,
Iesu, nostra salvatio,
Unde laus, honor, gloria
Tibi sonet in saecula.

Miss. et Brev. Belisianum saec. 15. Cod. Bruxellen. 9786—90. — 7, 2 Robus (Robur); vielleicht letzteres richtig mit elliptischem est resp. erat. — 8, 3 Pro. — 21, 2 Lies: Singulus? —

Trägt schon dieses Lied einen vorwiegend epischen Charakter, dann noch weit mehr, ja ausschliefslich, ein anderes Gedicht auf eben diese Thebäische Legion, „Cives Diocletiani“, das in der gleichen Hs. verzeichnet ist; dasselbe kann keinen Platz in der Hymnologie beanspruchen trotz Chevalier's Repertorium Nr. 3273, wo es als „Hymnus“ figuriert.

178. De sancto Michaele.

1. Michaelis interventu,
Quaeso, velis in conventu
Beatorum omnium,
O mi Deus, gaudiorum
Partem dare, praedictorum
Imperator civium.

2. Inter bella mundanorum
Pro me bella, beatorum
Civium praeposite,
Tua prece placa Deum
Et a nece salva reum,
Angelorum inclite.

3. Corporalem procul pelle,
Temporalem mixtum felle
Curam huius saeculi,
Tua cura me involve
Ligaturamque dissolve
Me stringentis vinculi.

4. Hastam, scutum apprehende,
Me fac tutum, me defende
Ab hostis nequitia,
Tolle, princeps angelorum,
Iam deinceps vitiorum
Mortisque supplicia.

5. Aufer morum pravas spinas
Et sanctorum nunquam sinas
Me disiungi coetibus
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

6. Haustum potus spiritalis,
Fac, ut totus purus malis
In aeternum sentiam,
Matris Christi convivamen
Mihi tristi det solamen
Suam per clementiam.

7. Eius vultus visione
Fac tumultus in agone
Me nigrorum deserant,
Tuo dicti cedant telo,
Quondam victi qui de caelo
Te bellante ruerant.

8. Lotum luctu lacrimarum
Tuo ductu cum tuarum,
Quaeso, precum gratia
In superni choro gregis
Sempiterni vultu regis
Me in aevum satia.

Orat. ms. Scotorum Vindobonen. 54 h 8. anni 1410.

179. De sancto Michaele.

O Michael sancte, precor, ut te mediante
Vincere me facias daemonis insidias,
Hora, qua fortis veniet tribulatio mortis,
Suscipias animam, te precor, ipse meam.

Orat. ms. Italicum saec. 15. ex. Cod. S. Ignatii Londinen. s. n.

180. De sancto Michaele.

1. Inclite caeligena, Michael, fulgoris amoena
Alta colens regna, plus quam dulcedine plena,
Fulmina refraena, pestes, hostes aliena,
Caelica terrena, fac nobis, alme, serena.

2. Tu nimium classis pangentis dies in axis
Tu quia mira facis, fortis pugil, incola pacis,
Tutor in hora sis a dente larvae rapacis
Tu quasi iam passis, archangele, te precor, assis.

3. Te nomine praedit, te nempe ut Deus edit,
Te duce vita redit, a quo prius illa recedit,
Nam tibi concedit Dominus, si quando recedit
Spiritus et credit, Michael hunc ad loca reddit.

4. Fulgens splendore, nimio iam dignus honore,
Praepositi more cunctos praecellis honore,
Angelico flore transcendens cuncta decore,
Daemonis horrore nos prives atque dolore.

5. Signifer o Christi, serpentem qui domuisti,
Mors Antichristi monstrabit, quid valuisti.
Iudicio sisti tua flabit dum tuba tristi,
Per te caelesti patriae iungamur honesti.

6. Ante pericla maris in monte tuba veneraris,
Apuliaeque paris mons est Garganus honoris,
Quae loca praeclaris virtutibus auxiliaris,
Pluribus a caris huc illuc saepe vocaris.

7. Dum Zabulon ussit Michael in monte reluxit,
Divisum duxit fieri mare, dum retro fluxit,
Israel eduxit, Aegypto barbaro cussit,
Sic Deus hoc iussit, qui nobis propitius sit.

8. O primas hagie, paradisi satrapa die,
Dux quoque militiae, ruit ex qua turma Goliae,
Athleta iustitiae, felix assecla Mariae,
Princeps ecclesiae, da nobis dona sophiae.

9. O vos felices per caeli dindima voces,
Gabriel insignes bona qui nova fers super omnes,
Vos cuncti celebres, Raphael, medicina cohaeres,
Nos superum aves reddere, ferte preces.

Cod. Bolonien. (ol. Vedastin.) 97 saec. 15. — Der dunkle Text ist verlockend zu Konjekturen.

181. De sancto Nicolao.

Sancte Dei, flos sanctorum,
Nicolae, fons bonorum,
Te praesumo invocare,
Exaudire me dignare.
Ego miser miserorum,
Pressus mole peccatorum,
Vocans ore te polluto,
Hinc peccare multum puto.
Sed quamvis sim tam indignus,
Tam iniquus, tam malignus,
Semper tamen, dum spirabo,
Nomen tuum invocabo.
Novi, quam sis pius reis,
Et quam clemens semper eis,
Miserator miserorum,
Exauditor peccatorum.
Affuturas tam misellas
Tu ditasti tres puellas,
Ne coactae paupertate
Privarentur honestate,
Deum nimis offensurae,
Per offensam periturae,
Et ne ferrent hunc offensum,
Expendisti tuum censum.

Has puellas sic ditatas,
Castitati foederatas,
Quas inferno abstulisti,
Caelo dignas ostendisti.
Me per carnis incentiva
Facientem tot nociva
Non iam census largitate
Sed fac castum pietate.
Iuvenes tres morituros
Et tres duces perituros
Tua ope liberasti
Et ad vitam revocasti;
Sic ereptum de aeterna
Morte me duc ad superna
Et per terras et per mare
Tua prece me dignare,
Sancte pater, adiuvare,
Post haec Deo commendare.
O amice summe Dei,
Offer pro me preces ei,
Ne me daemon sua fraude
Ab ipsius trahat laude.
O confessor gloriose,
Caritatis copiosae,
In me mitte caritatem
Propter tuam bonitatem;
Meum feci te patronum,
Patrem pium, patrem bonum,
Ergo serva me exilem
Servum tuum, licet vilem.
Nicolae, iam cum sanctis
Portans nomen triumphantis,
Fac me hostes expugnare,
Et pugnando triumphare.
O Israelita vere,
Quam sis pius, fac nitere
In hoc festo, quod tam bono
Commendavi me patrono.
O dulcedo pietatis,
Quis tam mersus in peccatis
De salute desperavit,
Si te pure invocavit?
O miselli, qui peccatis,
Qui peccando desperatis,
Nicolaum invocate,
Nicolaum adclamate.
Nam ex eius tumba manat
Liquor, qui infirmos sanat.
Pietate sic abundat,
Semper fluit et redundat
Ad quoscunque tribulatos
Vel peccatis aggravatos.
O fons pie, cunctis patens,
Ne sis mihi soli latens,
Licet sim offensor Dei
Asto tamen tuae spei.
Totum tibi me subieci,
Dele, quidquid male feci.
O dulcis super mel et lac,
Custodi me in vita hac
Et post huius vitae cultum
Me perduc ad Dei vultum,
In quo summum est solamen,
Ad quod dico semper Amen.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. A. — Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. B. — Orat. ms. Lehninnense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. C.

182. De sancto Nicolao.

Salve, praesul gloriose,
Sante Christi pretiose,
Nicolae, castitati
Virginumque paupertati
Copiose subvenisti,
Mari nautas redemisti,
Vita pene desperatos
Atque morti condemnatos
Innocentes tres milites
Totque servasti iuvenes.
Simulacrumque Dianae
Confregisti mox inane.
Christianus suscitatus
Et Iudaeus baptizatus
Tuis exstitit precibus,
Baptizatur theloneus,
Dum fur opes restituit,
Quas tuae figurae tribuit.

His et aliis miraculis
Decoratum innumeris
Te poscimus, piissime,
Ad Christum mentes dirige,
Impetra bene vivere
Nobis et donum gratiae,
Ut delictorum venia
Nobis detur in patria.

Orat. ms. Gallicum saec. 15. Cod. Barberin. XI. 30. — 10 Totque subvenisti iuvenes. — 13 susitatus. — 17 instituit.

183. De sancto Nicolao.

1. Collaudemus digna laude
Nicolai praeconia,
Qui relicta mundi fraude
Vixit in sanctimonia.
2. Hic mox natus declinavit
A carnis desideriis,
Et se semel lacte pavit
Quartis et sextis feriis.
3. Hic virginum infamiam,
Patris earum inopiam
Ademit et vesaniam,
Dum auri dedit copiam.
4. Pietate sic ornatus
Humilitate claruit
Et de caelis ordinatus
Episcopus vix paruit.
5. Hic nautas a naufragio,
Tres iuvenes a gladio
Solvit suo suffragio,
Vinctos in mortis stadio.
6. Dum triticum conceditur,
Remansit integraliter,
Puer mersus nec laeditur,
Cum scypho venit pariter.
7. In bivio suscitatur
Oppressus fraudis vitio,
Et Iudaeus baptizatur
Auri viso indicio.
8. Et sic plenus virtutibus
Vivens in hoc exsilio
Angelicis conductibus
Iunctus est Dei filio.
9. Eius, Christe, nos obtentu
Libro vitae fac inseri,
Ne cum malorum conventu
Poenis subdamur inferi.
10. Sit laus patri cum filio,
Sancto simul paraclito,
In unitatis solio
Horumque sine termino.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. 14/15.

184. De ss. Petro et Paulo.

Petre, Paule, congaudete,
Servo vestro confavete.
Principes excelsi terrae,
O si possem nunc proferre
5. Vobis laudes deauratas,
Hoc optarem, opes gratas,
Nam vos principales estis,
Ut est Christus ipse testis.
Vos praelati praelatorum,
10. Principes apostolorum,
Vos columnae columnarum,
Lumina ecclesiarum,
Quarum primi plantatores,
Summi duces et rectores.
15. Vos estis et patres patrum,
Veri dilectores fratrum,
Clari caeli sine nube
Et doctorum altae tubae,
Fontes christianae legis
20. Et pastores Christi gregis.
Unus vas electionis,
Alter fons dilectionis,
Unus magnus praedicator,
Alter caeli reserator.
25. Quid virtutis, quid honoris,
Spei, fidei, amoris,
Quidquid decet paenitentem
Vel in bonis procedentem

Aut in cunctis iam perfectum,
Vos praebetis iter rectum.
O patroni, vobis credo,
Ad vos spero, vobis me do,
Mala cuncta effugate,
Dona cuncta procurate,
Sic ut mihi sint in morte
Mox apertae caeli portae.
Pater, natus, sacrum flamen,
Unus Deus det hoc. Amen.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. A. — Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. B. — Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. C.

185. De ss. Petro et Paulo.

1. Petre, gregis Christi pastor,
Carnis legis, qua infestor,
Sis destructor precibus,
Praedicator Paule gentis,
Elevator sis iacentis
In peccati faecibus.

2. Eia, Petre, tuis donis
Nunquam taetrae visionis
Me terror exterreat,
Ac ut iungar lucis aulae,
Fac, compungar, sancte Paule,
Sic, ut hostis corruat.

3. Tu dignare, Petre, mentem
Mihi dare nunc deflentem
Sordes cuñctas vitii;
Vas electum, per lamenta
Fac me rectum, ut tormenta
Evadam suplicii.

4. Rogo, precem pro me funde,
Petre, necem qua confunde
Qua et me custodias,
Largitatem, Paule, patris,
Pietatem Christi matris
Me sentire facias.

5. Vasta spinam peccatorum
Et reginam, Petre, morum
Mihi fac propitiam,
Veritatis doctor bone,
Dictae satis in agone
Fac iuvamen sentiam.

6. Sic moderna fac percurram,
Ut aeterna non incurram,
Petre, loca flentium,
Sed largire finem sanctum,
Tollens dirae mortis planctum,
Paule, doctor gentium.

Orat. ms. Scotorum Vindobonen. 54 h 8. anni 1410. —

186. De sancta Petronella.

1. Salve, felix Petronella,
Florens ut rosa puella
Atque virgo egregia,
Beati Petri filia.

2. Salve, venusta facie
Ac mira pulchritudine,
Qua te comes ad copulam
Cupit, ut daret maculam.

3. Sed tu petis indutias,
Te ut aptes ad nuptias,
Sumpto Christi sacramento
Ipsum adis in momento.

4. Salve, mitis discipula
Mariae et pedissequa,
Cuius mores et opera
Erant tibi vitae norma.

5. Salve, quae sic profecisti
Disciplina matris Christi,
Cuius docta es exemplo,
Semper quod maneres virgo.

6. Salve, agri quae thesaurum
Invenisti pretiosum,
Propter quem et contempsisti
Mundum et quae habuisti.

7. Salve, o negotiatrix
Prudens, mei sis amatrix,
Quae inventam pretiosam
Comparasti margaritam,
Quae te in aeternitate
Sua lustrat claritate.

8. Salve, o prudentum una,
Pura permanens a cuna,
Tua lampas fulgens plena
Oleo ut lux serena.

9. Salve, quae sic te aptasti
Christo, sponso obviasti,
Cum quo nuptias intrasti,
Sicut semper tu optasti.

10. Salve, sancta Petronella,
Comple meum, rogo, velle,
Quod nosti, o virgo bona,
Optans mea sis patrona.

11. Salve, proles, honor patris,
Clarum decus tuae matris,
Ob quam Deum digne laudat
Parens et utrique plaudat.

12. Salve, albior agnella
Super nivem, Petronella,
Agnum sequens Christum regem
Inter puritatis gregem.

13. Salve, virgo mihi cara,
Tuum patrem, rogo, para,
Ut sit meus interventor,
Cum hinc iudici praesentor,

14. Apud eum, quem potentem
Tuum credo sic parentem,
Ut, quodcumque vult rogare,
Possit illud impetrare.

15. Quapropter tibi supplico,
Insta pro me patri tuo,
Quod oret, ut placabilem
Videam Christi faciem,

16. Ac coram eo gratiam
Sua prece inveniam,
Quando suo iudicio
Me praesentare debeo.

17. Hoc des mihi, sancte Petre,
Amore tuae filiae,
Quae tua gaudet gloria,
Et tu eius aureola
Per infinita saecula.

Orat. ms. Libehardi, prioris Reichenbacen. anni 1476. Clm. Monacen. 2990. — 10, 3 o fehlt. — 13, 3 sit fehlt.

187. De sancta Regina.

Ave, felix o Regina,
Virtus quia te divina
Magna ditavit gratia.
Salve, fulgens columbina
Simplicitate, serpentina
Callebas prudentia.
Vale, fervens iam divina
Facie, nos a ruina
Serva Dei gratia.

Orat. ms. Carthus. Colonien. saec. 15. Cod. Colonien. 28.

188. De sancta Rosalia.

1. Ave, flos Rosalia,
Deo dans sponsalia
Silibaldi filia,
Ducis in Sicilia.

2. Quae sub annis teneris
Molles sedes generis
Mutasti cum rigidis
Locis, antris frigidis.

3. Parca somni, taedia
Fugiens, inedia
Corpus iugi macerans
Et flagellis lacerans.

4. Solo suco germinum
Usque vitae terminum
Caeli rore victitans,
Deo laudes dictitans.

5. Crucifixum gnaviter
Contemplata suaviter
Lacrimis frequentibus
Facie fluentibus.

6. Hinc a caeli pueris
Contigit ut fueris
Saepe blande colita,
Consolari solita.

7. Virginis in gremio
Quasi throni praemio
Vidisti caeli lilium
Considere filium.

8. Cuius ad aethereum
Thalamum, sidereum
Migrasti palatium,
Caelitum solacium.

9. Eia, nunc, Rosalia,
Fac, ut pro Italia,
Sic et nostra patria
Fiat peste libera.

Cod. Mus. Lincen. s. n. saec. 17. — Dem Reime zufolge ist man versucht, auf ein höheres Alter des Liedes zu schliefsen.

189. De sancto Sebaldo.

1. Adonai Deus, sis
laudabilis in saecula,
In iustis qui tuis
facis mirabilia.

2. Quorum de collegio
pium tu visistasti
Sebaldum, quem miraculis
deinceps decorasti.

3. Christi nam consilia
sequens se negavit,
Quem parens pridem Francia
delicate pavit.

4. Inflammatur pariter
pneumatis ardore,
Eeremum quod petiit
iuventutis flore.

5. Hinc devote visitat
limina sanctorum,
Iungens in itinere
se coetui bonorum.

6. Quibus patientibus
famem ministravit
Et eos tua gratia
pane caeli pavit.

7. Vacuo de vasculo
propinavit merum
Sitienti populo
te Deum laudans verum.

8. Ratisponam veniens
Birro transfretavit,
Ibi vitrum pauperis
confractum reformavit.

9. Verbum Dei praedicans
frequentius auditur,
Haereticus hoc improbans
ad mentum deglutitur.

10. Perculsus ille protinus
veniam petivit,
Consecutus gratiam
incolumis exivit.

11. Sebaldus vir divinitus
ex glacie creavit,
Ad quod necessarius
se ipsum applicavit.

12. Mulieris animum
hic ut revocaret,
Caseum in lapidem
vertit, quod apparet.

13. Caecus quidam oculis
indebite privatus
Per eum fuit pristinae
sanitati datus.

14. A multis pro virtutibus
crebro veneratur,
Humana laus sed penitus
ab eo refutatur.

15. Per spinas et tribulos
iugiter meavit,
Nudos pedes proprio
in cruore lavit.

16. Suae mortis tempore
Nuremberck inivit,
Septembris quartodecimo
Kalendas obivit.

17. Cuius felix anima
per angelos suscepta
Coronam vitae citius
caelestis est adepta.

18. Iumentis ab indomitis
corpus vehebatur
Sorte data, stant et haec
hic, ubi tumulatur.

19. Ex equis et feminam
in super liberavit
Circulus de feretro,
quae cereum levavit.

20. Barba qui delusit hunc
electum, verberatur
In faciem ab eo tunc,
ocello quod privatur.

21. His es multis talibus
tu, Deus, visitasti
Sebaldum virtutibus
eumque sublimasti

22. Cum sanctis aeternaliter
in aedibus polorum,
Trinus unus per saecula
qui regnas saeculorum.

23. Ergo nunc suppliciter
te, Deus, exoramus,
Maiestati iugiter
et tuae supplicamus,

24. Ut qui tantam gratiam
beato contulisti
Sebaldo, quem in Nuren-
berck
patronum elegisti,

25. Velis nos defendere
ab universis malis
Tuaeque protegere
divinitatis alis,

26. Ne tentationibus
a Satana vincamur
Et [in] criminalibus
peccatis moriamur,

27. Ut cum bonis operibus
nostra finiatur
Vita et salubrius
a te nobis dicatur:

28. Properate citius
ad vestrum patronum,
Canticum angelicum
cantantes ante thronum.

29. In quo me videbitis
claritate tanta,
Quae non computabitis
qualis sit et quanta.

30. Hoc praesta, Deus genitor,
hoc praesta, unus natus,
Praestet hoc aequaliter,
qui est amborum flatus.

31. Praestet sancta trinitas
solius deitatis,
Ut laetemur iugiter
in aevum cum beatis.

Cod. Palat. Vindobonen. 3301 saec. 16. — 14, 1 per virtutibus. — 18, 3 stans. — 19, 2 in suis. — 24, 3 Sebaldum. — 25, 4 divitis sub alis.

190. De sancto Sebastiano.

1. Ave, dux Sebastiane,
Narbonensi civitate
Corpore progenitus,
Urbis post Mediolanae
Civis, prudens et amate,
Perornate caelitus.

2. Ave, tiro christiane,
Strenue Sebastiane,
Fac nos cuncta mentis sanae
Vincere contagia.
Ave, praecellens athleta
Christi, fac nos mente laeta
Peccatorum labe spreta
Consequi caelestia.

3. Ave, miles laudis mirae,
Cui parem invenire
Nullus tunc praevaluit,
Quando corpore manebas
Terris, cunctos praecellebas,
Et hoc clare claruit.

4. Ave, virtutum patrator,
Veri caelibatus amator
In te et in ceteris;
Ave, Iesu praedicator,
Esto nobis defensator
Animae et corporis.

5. Ave, qui sagittas passus
Ut esses ericio
Similis, nec ob hoc lassus
Perstabas in atrio
Obiurgans imperatores
Impugnantes bonos mores,
Qui tandem te peremerunt
Fustibus et absconderunt,
Ut non honorareris
A christianis veris.

6. Ave, qui es relevatus,
Ut tumulareris,
Sis pro nobis exoratus,
Ut propitieris,
Et pro nobis semper ora,

Quod nunc et in mortis hora
Caeli pane satiemur
Et in Christo gloriemur
Hic et regno caelorum;
Quod da, Deus deorum,
Per omnia saecula saeculorum.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. S. Dorotheae) 4724. saec. 15.

191. De sancto Sebastiano.

O quam mira refulsit gratia
Sebastianus, martyr inclitus,
Qui militis portans insignia,
Sed de fratrum palma sollicitus
Confortavit corda trementia
Verbo sibi collato caelitus.

Orat. ms. Carth. Colonien saec. 15. Cod. Colonien. 28. A. — Orat. ms. Burgundicum saec. 15. Cod. Palat. Vindobon. 1862. B. — Heures a lusaige de Rome imp. Parisiis s. a. [1516] C. — Offic. B. M. V. sec. usum Romanum imp. Parisiis [Kerver] 1501. D. — Offic. B. M. V. sec. usum Romanum imp. Parisiis [Hardouyn] s. a. [1509]. E. — Heures a lusaige de Romme imp. Parisiis [Poytevin] 1502. F. — 5 corda pasentia B, lies paventia B. — 6 Domino sibi B, lies Dono sibi.

192. De sancto Sebastiano.

O sancte Sebastiane,
Semper, vespere et mane,
Horis cunctis et momentis,
Dum adhuc sum sanae mentis,
Me protege et conserva
Et a me, martyr, enerva
Infirmitatem noxiam,
Vocatam epidimiam.
Tu de peste huiusmodi
Defende me et custodi
Et omnes parentes meos,
Qui nos confitemur reos
Deo et sanctae Mariae
Et tibi, o martyr pie.
Tu, Mediolanus civis,
Hanc pestilentiam, si vis,
Potes facere cessare
Et a Deo impetrare,
Quia a multis est scitum,
Quod de hoc habes meritum.
Zoe mutam tu sanasti
Et sanatam restaurasti
Nicostrato eius viro,
Hoc faciens modo miro.
In agone consolabas
Martyres et promittebas
Eis sempiternam vitam
Et martyribus debitam.
O martyr Sebastiane,
Tu semper nobiscum mane,
Atque per tua merita
Nos, qui sumus in hac vita,
Custodi, serva et rege
Et a peste nos protege
Praesentans nos trinitati
Et virgini sanctae matri
Et sic vitam finiamus,
Quod mercedem habeamus
Et martyrum consortium
Ac videre Deum pium.

Orat. ms. Pollingense saec. 15. Clm. Monacen. 11908. A. — Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. B. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Palat. Vindobonen. 4106. C. — Sequent. ms. saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Parisin. 17309. D. — Clm. Monacen. (ol. SS. Udalrici et Afrae) 4423. anni 1481. E. — 1. O fehlt CE. — 7. Infirmitatem maximam E. — 15. Mediolonensis A. — 21. Ecce mutam E. — 22. destituisti E. — 23. Inconstricto eius E. — 26. Et martyres promittebas E. — 31. Semper per tua E. — 39. Ut martyrum consortio A. — 40. Caeli fruamur merito A. — In D steht das Lied als Sequenz mit seiner Melodie; es ist aber ursprünglich Reimgebet, wie ganz abgesehen vom Auftreten des Liedes in den Hss. Form und Fassung desselben bezeugen.

193. De sancto Servatio.

1. O praesul mitissime,
Sanctus et benignus,
Servati sanctissime,
Omni laude dignus.

2. Gloria tua redolet
In orbe terrarum,
Mundus iustum te concrepet
Omnium causarum.

3. Tuam doctrinam inclitam
Illaesam servasti
Absque ruga et macula
Sponsamque amasti.

4. Dona nempe, a Domino
Quae tibi collata,
Impertire tuo famulo,
Et sunt Deo grata.

5. Tibi fuerat tradita
Potestas ligandi,
Ut ablueres scelera
Clave absolvendi.

6. Nam balsamo iucundior
Vita tu flagrans,
Ad laborandum pronior,
Totum mundum sanans.

7. Precibus nunc flagito
Tuum consolamen,
Totis viribus rogito
Fortius iuvamen.

8. Cum in hoc mundo degimus
Ab hoste [non] securi,
Iudicio timebimus
Saeculi futuri.

9. Cum hostis accusaverit,
Nobis tunc assistas,
Quousque fugam dederit,
A nobis nec desistas.

10. Sed funde preces iugiter,
Ut tecum laudemus,
Corregnando perenniter
Domino assistemus.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. — 8, 3 ne timebimus.

194. De sancto Servatio.

1. Salve, pater et patrone,
Servati sanctissime,
Sis protector in agone
Horae mortis ultimae.
Nazaraeus ieiunabat
Omni die strictius,
Quem Servatium vocabat
Summi Dei nuntius.

2. Iesu Christi tu cognatus
Carnis ex propagine,
Tu servator nobis datus
Proprio de nomine,
Adulescens peregrinus
Urbis Ierosolymae,
Factus presbyter divinus
Vivendo castissime.

3. Insignis propheta Christi
Tungrim, urbem regiam,
Destruendam praedixisti
Atque totam Galliam;
In activa stabas vita
Cunctis benefaciens,
Diva carpens eremita,
Totus Deum sitiens.

4. Tu praeclarus propugnator
Fidei catholicae
Et fidelis exprobrator
Tabis avaritiae,
Signa fiunt, fontes scatent
Per te multis vicibus
Et arcana Dei patent
Tuis in sermonibus.

5. Tu apostolus vocaris,
Missus ab Armenia,
Et in omni lingua faris
Docens Christi nuntia,
Ligas, solvis a peccatis
Virtute deifica,
Tibi Petrus clavem gratis
Vi dat apostolica.

6. Quamquam martyr cruentatus
Non sis datus gladio,
Palma martyris privatus
Non es desiderio,
Fustibus et pugnis caedit
Te offendens Tungria,
Et te gens Hunnorum laedit
Captans in Italia.

7. Dum servasti caelibatum,
Virginem te dixerim,
Angelis te conservatum
In hac vita noverim,
Tua vita gloriosa
Resplendet miraculis,
Mors et tua pretiosa
Fiet cunctis saeculis.

Cod. Bruxellen. (ol. Traiecten.) 8404—8409. saec. 16. — 3, 7 Divina carpens. — 3, 8 Toto Deum. — Vor dem Liede befindet sich noch folgende nicht dazu gehörige Strophe:

O patrone,
Pastor bone,
Servati sanctissime,
Pro me Deum
Ora meum
Et a malis redime,
Duc ad vitam
Infinitam,
Ubi salus animae.

195. De sancto Sigismundo.

1. Sanctus hic vir Sigismundus,
Rex Burgundis oriundus
Fulget hic miraculis,
Sanctitate mira claret.
Quis non odas sibi daret
Cordis ac suspiria?

2. Nam dum Christum deprecatur,
A supremis sibi datur
Potestas in infimis,
Morbos sanat et aegrotum,
Caecis visum, claudis motum
Dat claris indiciis.

3. Ergo, sancte Sigismunde,
Preces Christo pro me funde,
Fer, praebe auxilium,
Meae da fragilitati
Modicaeque parvitati
Vires, robur, praemium.

4. Da menti prava vitare,
Corde Christo insudare
Vera mentis latria,
Da post huius vitae mortem
Deum intueri fortem
In caelesti patria.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20124. — 4, 2 Toto corde Christo insudare.

196. De sancto Sixto.

1. Ave, pater et Domine,
Sixte, te Dei nomine
Imploro, ne me deseras,
Sed pro me preces offeras
Altissimo, ne peream,
Sed hostibus praevaleam
Cunctis et in virtutibus
Per te perorner omnibus.

2. Ave, pater omnis orbis,
Pie Sixte, altis morbis
Nostris pie miserere
Fac vitaque nos gaudere
In anima et corpore
Nunc et in omni tempore,
Sed praecipue peccatis
A nobis procul fugatis.

3. Ave, doctus Graeciae,
Flos exortus ab Athenis,
Prius philosophiae
Scriptis mundis pompis plenis,
Sixte, qui floruisti,
Sed ipsam reliquisti
Teque subdidisti
Suavi iugo Christi.

4. Ave, dulcis domine,
Tibi cupio placere,
Hinc in Iesu nomine
Te exoro, miserere
Nunc mihi peccatori,
Qui tibi preces fundo,
Non me permittas mori
Peccatorum profundo.

5. Ave, Sixte peroptime,
Post Petrum papa septime,
Per quem septenum numerum
In te virtutum cumulum
Completum esse novimus,
Unde potes, quod petimus,
Nobis et cunctis subditis
Prodesse sanctis meritis.

6. Ave, martyr et pontifex,
Virtutum potens artifex,
Sixte, praesul Romanorum,
Hinc fidelium cunctorum,
Sed nobis specialis,
Qui degimus sub alis
Tuis, quis confovemur,
Adesto, ne damnemur.

7. Ave, Sixte beate,
Praedulcis et amate,
Qui tibi supplicamus,
Fac tecum gaudeamus
In summis caelorum
Per saecula saeculorum.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. S. Dorotheae) 4724. saec. 15.

197. De ss. Sixto et Sebastiano.

1. O patroni venerandi,
Recolendi et amandi
Et laude dignissimi,
Sixte et Sebastiane,
Vobis nos et nostra sane
Conservetis optimi.

2. Vestri sumus, non negamus,
Vobis nostra vota damus,
Ceu valemus et laudamus,
Rogantes, quod placeamus
Vobis, pii domini;
Sixte praesul, alter miles,
Ambo proceres heriles,
Nos peccatis nimis viles
Preces damus, sed exiles,
Audire dignemini.

3. Nos in malo statu sumus
Et deficimus ut fumus,
Iuvate, carissimi,
Et adeste nobis semper
Et salvate nos potenter,
O patroni optimi.

4. Primus pater spiritalis,
Alter tutor temporalis,
Defendatis nos a malis
Confoventes piis alis,
Ut digne laudemini,
O benigni domini.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. S. Dorotheae Vindobonen.) 4724 saec. 15. — Sixtus und Sebastian waren die Patrone von Herrenchiemsee.

198. De B. Stanislao Casimiritano.

1. Contemplator trinitatis,
Recens rosa castitatis,
Flos oboedientiae,
Stanislae, lacrimanti
Assis et te imploranti,
Iubar sanctimoniae.

2. Funde preces, flecte Deum,
Ut illustret pectus meum,
Ad te mentem erigo,
Ut sim salvus tuo dono,
Meam in te spem repono,
Te patronum eligo.

3. Verbi Dei praedicator,
Fervens virtutum amator,
Gemma pudicitiae,
Vagos stringe cogitatus,
Per te in me firmus status
Regnet continentiae.

4. Sensus firma fluctuantes,
Hostes fuga conturbantes,
Comprime daemonia,
Firma mentem, iram frena,
Confer pacem, cor serena,
Aufer adversantia.

5. Praeelecte, tu dignare
Peccatori impetrare
Mihi Christi veniam,
Ut sic possim respirare
Et excessus emendare
Consecutus gratiam.

6. Confer vitae sanctitatem
Corporisque sanitatem,
Da quieta tempora,
Auge meram caritatem,
Cordis tolle pravitatem,
Me languentem robora.

7. O lucerna, flos virtutum,
Nobis praebens iter tutum,
Stella lucens saeculo,
Iubar tuae claritatis
Me defendat a peccatis,
Tollat ab ergastulo.

8. Vitae meae rege cursum
Ac post mortem trahe sursum,
Confer caeli gaudia,
Ubi Deum contemplari
Iustisque associari
Merear in gloria.

Compendium variarum devotionum in ordine Canonicorum regularium Lateranensium Congregationis Cracoviensis absolvi solitarum. Cracoviae typis aeademicis collegii maioris 1778. Aus den Verhältnissen des Reimes ist auf ein höheres Alter des Liedes zu schliefsen. — In den Acta SS. (Mai VII, 563) als „Hymnus“ u. z. „ex ms. latino“.

199. De sancto Stephano.

Tu qui formam caritatis
Doces in certamine,
Es defensor veritatis
Plenus sacro flamine,
Qui clamas pro sceleratis:
Parce eis, Domine,

Serva tuis a peccatis,
Protomartyr Stephane.
Funde preces pro devoto
Tibi nunc collegio,
Ut tuo propitiatus
Interventu Dominus
Nos purgatos a peccatis
Iungat caeli civibus.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Collegii SS. Trinitatis Oxonien. 13.

200. De sancto Stephano.

1. Stephanus Israelita,
Legis ordine levita,
Fide praestans, probus vita,
Plenus septem munerum,
Timens Deum, servus bonus,
Dulce Christi ferens onus,
Ab ecclesia patronus
Est electus pauperum,
Expers labe vitiorum
Ob prodigia signorum
Praedicans discipulorum
Augmentavit numerum.

2. Pollens actu, verbo clarus,
Lucens mundo, Deo carus,
Legis Dei non ignarus,
Constans in iustitia,
Huic dono singulari
Protomartyr appellari
Datum est et contemplari
Dominum in gloria.
Ad tormentum iudicatus,
Poenis magnis lapidatus,
Christum sequens est precatus
Pro lictorum venia.

3. Novum psallere concentum
Caeli credimus conventum
Propter martyris adventum,
Purpurati sanguine,
Ubi cum sanctorum coetu
Semper gaudet absque fletu
Fruiturque sine metu
Vultus Dei lumine.
Sancte signifer regalis,
Mortis victor triumphalis
Supplica pro nobis malis
In extremo turbine.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

201. In Inventione s. Stephani.

1. O sanctorum splendor, Deus,
Ecce, plus quam Helisaeus
Hic virtutum Stephanus,
Cuius ossa pullulare
Facis iam de terra clare
Saeculi conspectibus.

2. Ad contactum quorum plures
Reviviscunt et odores
Sunt medelae languidis,
Super pedes stant confracti,
Caeci, surdi, muti, tacti
Variis incommodis.

3. Recte calatho rosarum
Demonstrantur rubearum,
Nam reflorent denuo,
Mundo paene senescente
In salutem sunt inventae,
Ut spirent continuo.

4. Stillant caeli, terra gignit,
Tua virtus cum insignit
Martyris reliquias,
Quibus erant sociati,
Diu satis occultati,
Nicodemus, Abibas

5. Et Gamaliel, legalis
Doctor, cuius praedialis
Sinus has gestaverat,
Hic persuaso Luciano
Eas loco de profano
Tolli demandaverat,

6. Usquequo non aperiret
Tumulos, cum iam saeviret
Ira Dei in populo,
Praesul, sub quo revelandi
Erant, simul sublevandi
Revoluto loculo.

7. Auditui fit gaudium,
Exsultant in vi plausuum
Ossa humiliata,
Aperiuntur tumuli,
Tolluntur loco humili
In Sion collocata.

8. Sicca licet vehementer,
Vivunt tamen evidenter
Mira rerum gratia,
Insufflavit vis divina
His, ut essent medicina
Per terrarum spatia.

9. Quattuor a ventis venit
Spiritus, qui ossa lenit
Commovens ad sonitum,
Totus orbis ut agnoscat
Sicque spem salutis poscat
Horum ad introitum.

10. Hinc prodigia, hinc signa
Redeunt, quae vivis digna
Fecerat memoria,
Mortuum prophetat corpus,
Non est monstrum neque morbus
Iam non carens scoria.

11. Tua virtus est haec, Christe,
Tuus grandis honor iste
Tuaque dignatio,
Qua dilectum sic sublimas,
Ut tironum ipse primas
Sit mundi gloriatio.

12. Dum non solum laureatus
Spiritu, sed declaratus
Corpore claresceret,
Ut virtutum instrumentum
Passionis ob tormentum
Palmamque capesceret.

13. Quod post lustra tot revelas,
Non relinquis neque zelas,
Sed vis palam pateat,
De te martyr glorietur,
Ut hic ibique beetur
Neque usquam lateat.

14. Nos vita tantum vivimus,
Post mortem nihil possumus,
Quo nomen celebremus;
Iste sanctus iam post fata
Magis lucet ope grata
Miraculis supremus.

15. Sit proinde laus immensa
Tibi Deo nunc impensa,
Sit perennis gloria,
Sanctum tuum qui dignaris
Tantum, per quem operaris
Tanta mirabilia.

16. Ipso nobis obtinente
Prece tam indesinente
Atque sacris meritis
Praesta, Deus, ut purgemus
Mala, quae commissa flemus
Dolentes de praeteritis.

17. Hinc certemus mente pura,
Ne sit carnis ulla cura
Acta desideriis,
Sed iam in anteriora
Contendamus omni hora
Spretis saecli feriis.

18. Da, ut Christum, quem monstravit
Plebi, dure qui hunc stravit,
Nobis reconciliet
Et placatum det videre
Comprehensumque tenere,
Unde non exsiliet.

19. Ad amplexus dulces Christi
Constringamur nece tristi
Effugata penitus,
Non in quavis parte sola,
Sed vestiti dupla stola
Iucundemur caelitus.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. — 3, 1 Recte calcato.

202. De sancto Thoma.

1. Sancte Thoma, princeps mundi,
Fac me, quaeso, non confundi
Ob culparum gravitatem,
Fac me tuam dignitatem
Digne semper exaltare
Et devote invocare.

2. Christum tantum dilexisti,
Mori secum quod cupisti
Dicens: et nos gradiamur
Et cum illo moriamur.
Exquiris nec prius scitam
Viam, veritatem, vitam.

3. Non credendo Christi miris
Veram fidem experiris,
Tangendo humanitatem
Es confessus deitatem,
Inde nobis fortitudo
Crescit et beatitudo.

4. Veritatem sic expertus
Hinc fis Christi testis certus,
Magnus mundi praedicator,
Trium regum baptizator,
Commendaris Christi ore,
Te fidelem servum fore.

5. Nam quod lucrum acquisisti,
Totum Christo attulisti,
Contemplator o caelestis,
Tu in nuptiarum festis
Semper caelum intuendo
Nil edendo vel bibendo.

6. Tuae carnis es afflictor,
Castitatis benedictor,
Es in donis thesaurorum
Pius pater egenorum
Et palatii fundator,
Fratris regis suscitator.

7. Ipsum regem sic repente
Acquiris cum multa gente,
Omnes aegros hic sanando
Transis inde praedicando,
Lanceis post perforaris
Et sic martyr coronaris.

8. Errorum tu es contemptor,
Perfidorum es peremptor,
Nam nunquam in civitate,
Qua iaces in veritate,
Vivit quis haereticorum,
Iudaeorum, paganorum.

9. Digitis, cum quibus Christi
Sacrum latus tetigisti,
Sacramentum praebes dignis,
Denegando hoc indignis,
Et hoc fit in manifesto
Omni anno tuo festo.

10. Vere signum tale, tantum
Nunquam fit per quemquam sanctum;
O mi princeps tam praeclare,
Praeelecte mihi care,
Quamvis sim peccator totus,
Tibi tamen sum devotus.

11. Te honoro teque amo,
Te requiro, ad te clamo,
Firma me in castitate,
Spe, fide et caritate,
Fac mẽ Deo sic servire,
Ne contingat me perire,
Duc per viam veritatis
Me ad vitam claritatis
Statim, cum amittam flamen;
Verus Deus det hoc. Amen.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. A. — Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. B. — Miss. ms. Belisianum saec. 15. Cod. Bruxellen. 9786—90. C. — Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. D. — 1, 1 Gaude Thoma D. — 3, 1 Tunc credendo D. — 7, 3 tunc sanando D. — 7, 4 Transis hinc D. — 8, 1 es fehlt D; O errorum tu contemptor AB. — 8, 2 tu es C. — 10, 1 tale tuum C. — 11, 10 Deus verus A.

203. Mira consonantia sanctorum Thomae apostoli et Thomae archiepiscopi et martyris.

1. Duae stellae claritatis
Verum solem aequitatis
Ambiunt in medio.
Thomas Thomasque sunt stellae,
Sol est virginalis cellae
Proles in praesaepio.

2. Centrum, cum quo laterantur,
Pari tomo contemplantur
Hinc inde dispositi,
Sed hi caelis orientes
Ortum Christi sunt cingentes
In terrenis positi.

3. Militum, qui stipant regem,
Festa servant, cum his legem
Eundem per ordinem,
Primum dedit rex priori,
Postremum posteriori
Iuxta rectitudinem.

4. Lustratores dies bini
Utrique diei quini
Signant praeminentiam,
Hi natales, hic natalis,
Licet aliter sit talis
Causam habens aliam.

5. Sicut temporum nascendi,
Sic locorum patiendi
Consonat distantia,
Ut a multis est assertum
Et videtur scripto certum
Quadam cum historia.

6. Prior Thomas ad aurorae
Limen sitam Indiam,
Alter purpurat cruore
Sub occasu Angliam.

7. Qui, quod crucifixi dico
Propter agni victimam,
In telluris umbilico
Vallant Ierosolimam.

8. Thomas est apostolus
Et patronus caelicus,
Thomas est filiolus
Et vir apostolicus.

9. Hic primorum legatorum
Unus est in serie,
Hic legatus et primatus
Culmen tenens Angliae.

10. Ambo patres est pastores
Oleique filii,
Primus reserat canores
Clausos nece socii.

11. Cantica, quae cessavere
Flente Cantuaria,
Primi contigit patere
Post ad natalitia.

12. Ferro primus perforatur,
Et secundus trucidatur
Ferri saevis ictibus,
Hic in paganorum fano,
Hic in metropolitano
Templo sacro cultibus.

13. Sic natalem salvatoris
Thomae saepit iunioris
Senisque nativitas,
In prioris festo natum,
Nono die coronatum
Reddit immortalitas.

14. Ergo simus mente sursum,
Ut post vitae nostrae cursum
Nobis meta posita
Nos cum coetu angelorum
Christus iungat per amborum
Preces atque merita.

Cod. Trecen. (ol. Claraevallen.) 990. saec. 12. add. saec. $^{12}/_{13}$. — 2, 2 thomo, unter Anspielung auf Thomas.

204. De sancto Udalrico.

Salve, praesul bone, miserorum fide patrone,
Udalrice, grate pugil Christique beate,
Nobilis et miles, actus omnino viriles
Qui perfecisti, pugnans pro nomine Christi
5. Sub floridis annis cum saevis namque tyrannis,
Quos tu vicisti, licet aspera multa tulisti.
O praesul mitis, palmas verae quoque vitis,
Nomine pro Christi passus qui multa fuisti,
Ecce, triumphasti, cunctos hostes superasti,
10. Nunc iucundaris aliqua nec mole gravaris,
Corregnans laetus Christo sine fine quietus.
Eia, praedigne, pie, clemens, large, benigne,
Ob Christi nomen, per quod sortitus es omen
Tanti dulcoris et veri culmen honoris,
15. Me miserum, qui te nunc pulso, respice mite
Iugiter orando pro me semperque iuvando,
Ut mea sit vita virtutum luce polita
Deque malis tuta mundi curisque soluta.
Omnem languorem mentis carnisque dolorem
20. In me tua cura removeque tua prece pura,
Reprime nocturnos hostes pariterque diurnos,
Ne spolient, tundant, alia mihi vel mala fundant.
Ast obitus hora pietate tu mihi rora,
Gratum solamen mihi sis et dux ad ovamen.
25. Regni caelorum, gaudens ubi turma piorum
Concinit ante Dei vultum carmen iubilaei.
O flos caelestis, pia dans solamina maestis,

Ora pro cunctis vivis et corpore functis,
Ut vivis detur venia, pax et cumuletur,
Detur et aeterna lux functis aede superna.
O praesul invicte, si quisquam veneratur te
Te prece pulsando vel digne te venerando,
Hic, si turbatus fuerit, languore gravatus
Aut paupertate quacunque vel anxietate,
Per te sanetur, ditetur vel laetificetur.
Praestet plasmator hominum pius et miserator,
Omnipotens Dominus, qui regnat trinus et unus.

Clm. Monacen. 8394. saec. 15. A. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20124. B.

205. De sancta Ursula.

1. Uirgo prudentissima,
Ursula regalis,
Decorata sanguine
mortis triumphalis,
O clemens, ab omnibus
me defende malis,
Ne unquam me cruciet
flamma gehennalis.

2. Regi praeclarissimo
Britannorum nata
Filioque Angliae
regis desponsata,
Undecim es milibus
virginum dotata,
Cuncta dele crimina
a me perpetrata.

3. Sanctorum reliquias
Romae visitastis
Papamque cum pluribus
sanctis congregastis,
Cum quibus Coloniae
mortem tolerastis
Et ad caeli nuptias
pariter intrastis.

4. Uirgines sanctissimae,
pro me supplicate,
Domini clementiam
mihi impetrate
Atque omne noxium
a me propulsate
Vestroque consortio
me associate.

5. Laudis huius canticum
a vestro conceptum,
Heu, indigno famulo
vobis sit acceptum,
Et a poenis tartari
me per vos ereptum
Gaudeam et gratia
Dei circumsaeptum.

6. Ad vos felicissimas,
angelis aequales,
Suspiro feliciter,
petens, quod larvales
Facies non videam
neque infernales,
Sed per vos possideam
sedes aeternales.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen IV° 29.

206. De sancta Ursula.

1. Uale, Venus Agrippinae,
Cui latae sunt reginae
Vice dotis peregrinae
Clarae bis athletae quinae,
Undena demum milia.
Regis nata Britannorum,
Gaude, victrix tyrannorum,
Theotheca paganorum,
Cephas gregis Anglicorum
Velantium per maria.

2. Salve, turma virginalis,
Vernans Ursulae sub alis,
Gaza ducis immortalis,
Quam necavit gens Hunnalis
Coloniae cis moenia.
Unde coetus Seraphici,
Iubilo canunt Anglici,
Tremiscunt daemoniaci,
Evanescunt barbarici,
Tota gaudet Almannia.

3. Laetare, Sion filia,
Cum hymnis ducens lilia,
Post agnum psallens gloria
In tuba Neomenia
Chorizas cum laetitia.
Ad has choreas gaudio
Nos florens transfer contio,
Ut tecum in tripudio
Fruamur Dei filio
In summi regis curia.

Orat. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Londinen. Reg. 2 A II. — 1, 7 doctrix tyrannorum.

207. De sancta Ursula.

1. O Christi martyr Ursula,
Deo praeelecta,
Quae de stirpe regia
Crederis profecta,
Tu pro Christi nomine
Martyr es effecta,
Mea per te omnia,
Rogo, sint protecta.

2. Tua sancta castitas
Ad te copulavit
Praesules et virgines,
Deus quas optavit,
Sed tyranni feritas
Has martyrizavit,
Christus quas in gloria
Secum collocavit.

3. Hinc te precor, Ursula,
Tua cum cohorte,
Aliquod solacium
Mihi fer in morte,
Contra hostes singulos
Sis tutamen forte,
Ut polorum pateant
Mihi per te portae.

4. O vos almae virgines,
Martyres beatae,
Quae cum ipsa Ursula
Truci morti datae
Estis, non pro crimine
Sed pro castitate,
Mortis in articulo
Vos me visitate.

5. Precor et, ut sentiam
Vestra sancta prece
Largam Christi gratiam
Mihi missam de se,
Ut purgari valeam
A peccati faece
Et salvari merear
Ab aeterna nece.

Cod. Palat. Vindobonen. 4087. saec. 15. — 1, 4 Crederis esse profecta. — 3, 1 sancta Ursula. — 4, 5 Estis fehlt.

II.

MORALIA.

208. De Amore Christi.

1. Si mihi vis firmare
Iurato foedere,
Quod nil velis amare,
Me solum quaerere,
Promitto plura dare,
Me tibi iungere,
Cuncta bella domare,
Ut possis superare,
Vires tribuere.

2. Imprimis cor consulta,
Quid vis eligere?
Requirunt, ecce, multa
Tuum diligere,
Sed vide, ne sis stulta,
Cura distinguere,
Si sum eligendus,
Cunctisque praeponendus,
Noli me spernere.

3. Ego natura Deus
De patre prodiens,
Ut mundaretur reus
In matrem veniens,
Factus pauper Ebraeus,
In cruce patiens
Patenter demonstravi,
Quod nimis te amavi
Tam magna faciens.

4. Dicas ad amatores:
Quid pro me facitis?
O carnales amores,
Vos me inficitis,
O vos, mundani flores,
Cito deficitis,
O mali suggestores,
Ad aeternos ardores
Vos me conducitis.

5. De me nihil habebis
Nisi solacium,
Nunc modicum censebis
Mentale gaudium,
Post aeterne ridebis
In regno civium,
Beata quae tenebis,
Cum mihi cohaerebis
Intra palatium.

6. Erras, si reperire
Te putas melius,
Totum debet transire
Bonum exterius,
In toxicum redire,
Quod sapit dulcius;
Ergo vitam acquire,
Quae non potest perire
Vivendo sanctius.

Cod. Londinen. Reg. 7 A VI. saec. $^{14}/_{15}$. — 2, 6 Cara distinguere. — 2, 8 proponendus.

209. De Amore Christi.

1. Tu, qui cor tuum furaris
Christo et praebes creaturis,
A quibus forsan nec amaris
Sed fictis falleris figuris,
Heu quantis subdis te pressuris,
Multiplex vae in omnibus,
Circumdaris diversis curis,
Fugae patet introitus.

2. Nonne vides et perpendis,
Quod dolus est in omnibus,
Pro quibus Deum offendis,
Quo nihil est fidelius,
[Quo] nihil [est] sanctius,
[Quo] nil [est] iucundius
Nil denique gratius,
Nil denique felicius?

3. Cur despecto creatore
Vagaris post inania
Humano vinctus amore?
Nonne est insania,
Quod in terrenis delectaris
Et fastidis caelestia?
Vae tibi, qui in his moraris,
Nam brevis horum gloria.

4. Cur refutatur dulcis hospes
Pro mortali creatura?
Quo veniente cedunt hostes,
Pluunt bona, absunt dura,
Succedit pax et fugit cura;
Assunt enim nuptiae,
Hilarescit mens secura
Ab hostium formidine.

5. Cum sponsi tui immortalis
Templum, a quo possidetur,
Nonne plurimum gravaris,
Quod Deus a te separetur?
Qui, ut in te delectetur
Et mansionem in te faciat,
Quod nullus alius meretur,
Cor sibi dari postulat.

6. Ergo, sponsa Dei vivi,
Fuge modernos amatores;
Frequenter legi et audivi,
Quod dolus est in omnibus,
Et quod gratiae destructores,
Salutis sint adversarii,
Turbationis illatores
Et cruciatus varii.

7. O anima, quae [mansura]
Iuberis diligere,
Cur vana et peritura
Christo vis praeponere,
Qui te lavit sanguine.
Quis fecit tibi talia?
Noli parvipendere
Dona tam insignia.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. $^{14}/_{15}$. — 1, 6 Multipliciter vae. — 2, 5 nil. — 6, 5 gratiae sint; nach diesem Verse folgt noch überzählig: Summi boni despoliatores. — 6, 6 sint fehlt. — Auf die Schwankungen des Versmafses nach Silbenzahl und Rhythmus braucht wohl nicht aufmerksam gemacht zu werden.

210. Dialogus Papae et Mariae V.

Papa.

1. Ave, sacratissima
Dei creatura,
Simul nobilissima,
Digne te natura
Cessit, beatissima,
In partu quae pura
Es, excellentissima
Praesens et futura.

Papa.

2. Beatorum omnium
Virgo praeelecta,
Deum, deorum Dominum,
Generans perfecta,
Cum regina caelorum
Per eum sis electa,
Nobis per te pateat,
Peto, via recta.

Papa.

3. Cuius condicionis sit,
Sexus vel dignitatis,
Qui devotionis causa
Suis pro peccatis
Te matrem invocaverit,
Hunc absolve gratis
Et mansionem sibi da
In regno claritatis.

Papa.

4. De tua pietate
Credo quod nullus desperet,
Qui cum suavitate
Sua crimina defleret,
Et honestati tuae
Semper inhaereret,
Ad hoc omnis homo, peto,
Fortiter laboret.

Maria.

5. Ecce, nullum derelinquo,
De me qui confidit,
Huic ego adpropinquo
Statim, dum elidit
Crimina per gemitum
Vel confitendo scidit,
Illi mea gratia
Peroptime providit.

Papa.

6. Fundamentum fidei
Mater sis decora
Fiduciaque spei
Ultima in hora,
Relicto hoc exsilio
In caelum duci labora
Et coram tuo filio
Pro nobis exora.

Maria.

7. Gratia sum plena
Summi salvatoris,
Egoque regina
Nuncupor amoris,
Omnibus propino
Pocula dulcoris
Et architriclina
In angelorum choris.

Papa.

8. Honor pulchritudinis
Tuae dignitatis
Et decor magnitudinis
Tantae honestatis
Te decet peroptime,
Ut illa cum gravatis
Velis condividere
More pietatis.

Maria.

9. Illi qui a vitiis
Volunt resilire,
Illos in tristitiis
Non sino perire,
Superfluentem gratiam
Illis impertire
Cupio, quod appetant
Iustitiam sitire.

Papa.

10. Karitatis viscera
Nobis demonstrato
Et honestatis munera
Nobis propinato,
Relicto hoc exsilio
Tibi et tuo nato
In caelo collocemur
Iesu Christo dato.

Maria.

11. Leges cum theologia
Hoc de me fatentur,
Canones et melodia
Vobis congratulentur,
Quod animae fidelium
Per me redimentur
Ac infernales poenas
Nullas patientur.

Maria.

12. Mater ego facta sum
Propter peccatores,
De quibus forent aliqui
Facti meliores,
Illis sum subsidium,
Qui corrigunt errores
Et multos coram filio
Habebunt honores.

Papa.

13. Nobilis et generosa
Christi imperatrix,
Nobis esto fructuosa
Semper advocatrix,
Humilis, quoque formosa,
Nostra reformatrix
Et in te confidentibus
Sis semper reparatrix.

Maria.

14. O dic mihi, famule,
Es aliquem scrutatus,
Qui postulavit veniam
Et qui sit condemnatus?
Multos cum Theophilo,
Qui fuit desperatus,
Saepe consolata sum,
Cum ipse sit beatus.

Papa.

15. Peccata nostra nimia,
Heu, sunt infinita,
Delicta quoque crimina,
Quae, pro dolor, in vita
Vel contra Deum fecimus,
Te peto, redde quita,
Quae nondum emendavimus,
Tu dele, margarita.

Maria.

16. Quaeso, mi dilecte fili,
Verbis cum sinceris
Funde preces sine mora,
Taliter mederis
Cum dolore cordis
Gemitibusque veris
Vitam contemplativam duc,
Sic mecum semper eris.

Papa.

17. Rebus transitoriis
Difficulter cedo,
Poenis castigatoriis
Invitus carnem laedo
Sed praecellenti gratiae
Tuae tantum credo,
Quapropter tuo filio
Semperque tibi me do.

Maria.

18. Serve, serves mea scripta
Et quae tibi dico,
Licet ego benedicta
Sim, non maledico,
Non postponas Deum tuum,
Ne cum inimico
Tibi merces condonetur
Nunc et in antiquo.

Papa.

19. Tanta virtus, simul fides
De te recitatur,
Illum scio non elides,
Qui de te gloriatur,
Sed a tuo filio
Ille coronatur
Et per tuam dexteram
Post hoc condonatur.

Maria.

20. Vita, dilectissime,
Foret tibi data
Et sensibus, carissime,
Quinis adornata,
Nobilem per animam
Sunt membra decorata,
Custodi hanc a vitiis,
Sic erit Deo grata.

Papa.

21. Xriste, tua loquitur
Mater valde dure,
Licet consoletur me,
Tamen valde pure
Mihi dat intellegere,
Quantae sint pressurae,
Quapropter, Iesu Christe, me
Commendo tuae curae.

Maria.

22. Y, mi fili, mater tua
Loquitur aperte,
Cunctis utriusque sexus
Asserendo certe,
Licet meus natus tuus
Frater sit aperte,
Te non locat cum beatis
Gratis, scias per te.

Papa.

23. Zelus nostrum tu celato,
Christus donet (nos) deflere
Nostra possimus scelera,
Nostrique miserere,
Graviter offendimus
Te, taliter medere,
Nos cum caelorum civibus
Fac caelum possidere.

Christus.

24. Congregando congregabo
Illos, qui fecerunt
Mei patris voluntatem
Mihique crediderunt
Et pietatis opera
Quinque compleverunt,
Illos iam certifico,
Quod semper mecum erunt.

Papa.

25. AB hoc qui legerit
Suis pro peccatis
Et gratias exegerit
Matri honestatis,
Ille memor mei sit,
Ut nos cum beatis
Deus collocet simul
In regno claritatis.

Cod. Maihingen. (ol. Faucen.) II 1. 8° 31. saec. 15. A. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Sangallen. 485. B. — Orat. ms. Carthus. Hildesheimen. saec. 15. Cod. Iosephini Hildesheimen. 3 (6). C. — Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. D.

1, 1 Ave, virgo sacratissima BC. — 1, 4 Digne tibi natura ABC. — 1, 5 Cesset B; Testis verissima C; Tu excellentissima D. — 1, 6 In partu quia A; In partu quoque D. — 1, 7 Es fehlt B; Casta beatissima D. — 1, 8 Piis et futura B. — 2, 2 praedilecta BC. — 2, 5 Dum A; regina tu caelorum D. — 2, 7 Nobis ut peto via D. — 2, 8 Via peto recta BC; Pateat per te recta D. — 3, 2 Sexusve sit vel dignitatis D. — 3, 3 causa devotionis C; Qui te causa D. — 3, 4 Suisque pro B; Suis exorat pro D. — 3, 5 fehlt D; invocavit B. — 3, 6 mater gratis D. — 3, 7 Et mansionem praestabis D. — 3, 8 Tis in regno D. — 4, 2 Credo fehlt A. — 4, 4 Sua fehlt A; peccata C. — 4, 5 Sed honestati B; Si honestati D. — 4, 6 Semper ut inhaeret ABC. — 4, 7 Et ad hoc omnis homo hodie D. — 4, 8 Ut peto fortiter D. — 5, 3 Illi mea gratia D. — 5, 4 Sententiam cum elidit B; Peroptime providit D. — 5, 5 Huic ego appropinquo D. — 5, 6 Statim dum elidit D. — 5, 7 Crimina per gemitum D. — 5, 8 Vel confitendo scidit D. — 6, 3 Fiduciaque vel spei B; simul spei AC. — 6, 6 In caelum nos labora A, duci nos C, nos duci D. — 6, 8 Tu pro nobis D. — 7, 1 Gratia repleta sum A, Gratia quod repleta B. — 7, 2 Sum summi B. — 7, 3 Eius quod regina B. — 7, 5 sq. pocula propino D. — 8, 3 Et deitas B. — 8, 6 Ut illa tamen gratis D. — 9, 1 Illis A. — 9, 2 Solent resilire A. — 9, 5 Supereffluente A. — 9, 7 Cupio iustitiam D. — 9, 8 Quod appetant D. — 10, 6 Tibi quoque nato A. — 10, 7 caelis B, caelum CD. — 10, 8 Rite Iesu Christo B. — 11, 1 Lege A. — 11, 3 cum melodia D. — 11, 4 Nobis BD. — 11, 7 Ita quod infernalis ABC. — 11, 8 Nunquam D. — 12, 3 Ex quibus B. — 12, 7 Et fehlt C. — 11, 8 Accipiant D. — 13, 3 Nobilis esto D. — 13, 5 Humilisque D. — 13, 6 informatrix C. — 13, 8 Sis fortis D. — 14, 3 gratiam A. — 14, 4 damnatus D. — 14, 7 Saepius B. — 15, 2 et infinita B. — 15, 4 Quod B. — 15, 5 Vel fehlt C. — 15, 6 redde fehlt BD. — 15, 7 Quae non D; Quod nondum B. — 16, 1 fili fehlt A. — 16, 2 Verbis fehlt B. — 16, 6 Et gemitibus cum veris AC; Et gemitus cum B. — 17, 7 fehlt C; Vitam contemplationem ducas B; Contemplativam ducas D. — 17, 8 semper mecum B; Vitam, sic mecum eris D. — 17, 5 praecellente A; Quaecunque tuo filio D. — 17, 6 Quia semper tibi me do D. — 17, 7 Nam praecellenti gratiae D. — 17, 8 Tuae tantum cedo D. — 18, 1 mea dicta A; Serve fehlt D. — 18, 2 Quae tibi, fili, dico D. — 18, 3 ego fehlt D; sim benedicta C. — 18, 4 Sum ob hoc D; Non tamen maledico C. — 18, 6 in inimico B; Meo vivas cum inimico D. — 18, 7 Tibi mentes condonatur B; Tibi merces tunc donetur D. — 18, 8 Similis cum antiquo D. — 19, 1 fidis B; Tanta simul virtus et fides C: Tanta similis fides D. — 19, 4 De te qui D. — 19, 7 Et per tuam pietatem BC; Ac per tua merita D. — 19, 8 Ad caelestia perducatur D. — 20, 1 dulcissima A, dulcissime B. — 20, 3 Et fehlt D. — 20, 4 Quiris A, quaevis B, quivis D. — 20, 7 Custodo D. — 21, 1 sq. Christe mater tua loquitur AB. — 21, 3 consoletur reos

D. — 21, 5 intellegere dat D. — 21, 7 Iesu fehlt A. — 22, 1 O mi fili B, mater mea BCD. — 22, 2 directe D. — 22, 3 Cunctisque B. — 22, 4 certe fehlt C. — 22, 6 experte C. — 22, 7 Te non licet D; Non te locat cum locis B. — 23, 1 Zelus = Scelus. — 23, 2 Christus fehlt BCD. — 23, 3 ut possimus A; poscimus B; crimina D. — 23, 4 que fehlt D. — Str. 24 u. 25 umgestellt BCD. — 24, 3 Voluntatem mei patris D. — 24, 4 Nec non crediderunt D. — 24, 5 Et opera pietatis D; Et caritatis C. — 24, 6 Omnem compleverunt D; Quandoque compleverunt C. — 24, 7 Illos certifica B, nunc certifico D. — 24, 8 Mecumque semper erunt A; Mecum quoque semper B. — 25, 1 Et qui hoc cum A; Et ob hoc qui B; Z hoc qui D; (AB hoc = Abcedarium hoc.) — 25, 2 Suisque C; Praesens pro D. — 25, 3 gratiam B. — 25, 4 Mariae honestatis A; Maternae honestatis D; Matri pietatis C. — 25, 5 Et ille A, Ut ille BC; mei memor C; Et memor mei D. — 25, 6 nos fehlt B; Ut me cum C; Nec non cum D. — 25, 7 Deus nos collocet B; simul fehlt B; collocet insimul A; insimul collocet D. — Statt der Aufschritt Papa setzt B stets Peccator; vor Str. 21 irrig Maria A; vor Str. 22 Christus BCD; vor Str. 25 Auctor B, Auctor orationis D, letzteres ebenso vor Str. 24. — „Oratio beati Urbani quinti, qui ditavit cuilibet oranti [sic] pro peccatis suis et in laude gloriosae virginis Mariae a qualibet litera Alphabeti duobus annis uno criminalium, reliquo venialium indulgentiae. C; „Istas septem orationes, ut fertur, compilavit summus pontifex Urbanus V, conferens de qualibet litera Alphabeti, quotiens integra sequens oratio fuerit lecta, indulgentiam unius anni criminalium et unius anni venialium peccatorum.“ D. — Vergl. auch Milchsack I, 96 sqq.

211. Alphabetum de bonis sacerdotibus.

1. Ad perennis vitae fontem
et amoena pascua
Praesul anxio qui corde
scandere desiderat,
Talem se per omne tempus
curet ut exhibeat:

2. Bonus pastor ad commissi
ovilis custodiam
Mente semper circumspecta
ardenter invigilat,
Pestifer ne lupus oves
fauce artet improba.

3. Curis nunquam perituris
mentem piam occupat,
Sed satagit, gregis sui
numerum ut augeat,
Pro quo metuit nec mortis
subire discrimina.

4. Dignis semper studiosus
occupatur actibus,
Aut sacrarum paginarum
lectione pascitur,
Aut cernendo mente Christum
ad superna ducitur.

5. Exit et activae vitae
interdum ad spatia,
Inter cetera et carnis
praeparat subsidia,
Inquilinis et externis,
ne desit, quod tribuat.

6. Ferculorum alimentis
famem pellit carneam,
Mentium suavis verbi
effugat inopiam,
Gemina relevans ope
miserorum viscera.

7. Gratis ut redemptor iussit
munerum charismata
Dignis tribuit spernendo
tripartita munera
Manus et obsequiorum
favorumque retia.

8. Honus esse non honorem
sacri gradus culmina
Mente cernens perituras
refugit delicias,
Aliorum curam gerens
postponendo propriam.

9. Iubar solis ut refulgens
noctis fugat tenebras,
Lumine sic verbi lustrat
audientum pectora
Bonus praesul et expellit
vitiorum nebulas.

10. Karitatis quod est Deus,
sic custodit lineam,
Ut potentes et egenos
aequaliter diligat
Et ne minimis se unquam
per tumorem praeferat.

11. Lychnos manibus retentans,
id est bona opera
Proximis monstrare studet,
lumbos super ubera
Cingit etiam, quod cordis
possidet munditiam.

12. Malos congruis terrendo
corrigit affatibus,
Bonos ad perseverandum
blandis mulcet vocibus,
Nova referens de regno,
prisca de supplicio.

13. Non cessat precari Christum
plebis pro excessibus,
In vigiliis se ipsum
mactans et ieiuniis,
Hostia sit viva Deo,
monet ut apostolus.

14. Omnia fit cunctis, gaudet
simul cum gaudentibus,
Cum maerentibus tristatur,
deplorat cum flentibus,
Ceü propriis sic dolet
alienis lapsibus.

15. Prudens ut serpens malorum
devitat astutiam,
Simplex ut columba nulli
rependit malitiam,
Bos est tolerando mala,
leo contra vitia.

16. Quinque vel duo suscepta
talentorum pondera
Reportare redemptori
satagit duplicia,
Timens, ne exteriores
mittatur in tenebras.

17. Rationis freno semper
sensum regit proprium,
Noxia non aure capit,
non cernit luminibus,
Nil olfactu, nil in gustu,
nil peccat in actibus.

18. Sicut tuba vocis suae
exaltat melodiam
Populorum sine metu,
dum coercet crimina,
Miscens asperis fomenta
tristibusque mitia.

19. Talis quisque praesul iustus,
cum iudex advenerit,
Quantos hic sermone suo
Christo acquisierit,
Praemia pro tantis regni
ab ipso accipiet.

20. Vos itaque, magni patres,
praesules egregii,
Imitari tales, precor,
ardenter contendite
Et eorum per exempla
sedule gradimini.

21. Xristi Domini praecepta
gestate sub pectore,
Mundi vana et caduca
perfecte deserite,
Crucem semper baiulantes
magistrum sequimini.

22. Ymnis iugiter et psalmis
Deo laudem pangite,
Plebem Christi boni semper
exemplis imbuite,
Linguae nunquam claustris
vestris
damnentur silentia.

23. Zelum hostis praecavete
circumspecte undique,
Possidete, dicat iudex
iustus ut, cum venerit,
Praeparatum vobis regnum
mundi ab origine.

Cod. Sangallen. 573. saec. $^{10}/_{11}$. — 2, 5 Fertifer. — 7, 2 numerum. — 10, 6 proferat. — 11, 1 Licinos manibus. — 13, 1 peccari. — 16, 3 redemptoris. — 17, 2 sensus erigit.

212. Alphabetum de malis Sacerdotibus.

1. Aquarum meis quis det fontem oculis
Ad deplorandam pastorum amariter
Reprobam vitam non tenentem tramitem
Mente supernum?

2. Bonus, pro suis qui det vitam ovibus,
Vix reperitur pastor his temporibus,
At mercenariis abundant ovilium
Saepta sacrorum.

3. Curis mundanis pastores inserviunt
Lucrisque cuncti inhiant fugacibus,
Idcirco lupi patet grex dominicus
Morsibus atris.

4. Divinae legis abdita mysteria
Plebibus Christi non est qui aperiat,
Nec est ieiunis mentibus qui praebeat
Pabula verbi.

5. En, adimpletur, quod sagaci spiritu
Propheta dixit: erit sicut populus
Sic et sacerdos tempore novissimo
Cordis egeni.

6. Factum videmus quod divina sonuit
Vox, vitae nostrae sal infatuatum est,
Quod ne iam foras mittatur timendum est,
Ad nihil aptum.

7. Gratis accepta munerum charismata
Gratis non dantur, expetuntur praemia,
Ne qua sit ictus timetur sententia
Simon iniquus.

8. Honores sacros adipisci cupiunt,
Non ut doctrinis erudiant subditos,
Sed ut stipentur, verbis obsequentium
Plus venerentur.

9. Iuvamen ferre oppressis cum debeant
Et recreare tribulantum viscera,
Hos inde premunt, illos magis sauciant
Flumine verbi.

10. Karitas vera, quod est donum optimum,
Non est in illis, despiciunt subditos,
Pauperes spernunt, peregrinos respuunt
Mente tumenti.

11. Lychnos ardentes, ut praecepit Dominus,
Manu non gestant, ut accendant proximos,
Nec dare laxis curant, heü, pro dolor,
Cingula lumbis.

12. Mundi repleta iugera sunt messibus,
Messores desunt metendi segetibus,
Mitte per fruges tuos operarios,
Christe, precamur.

13. Non est medelam qui praebeat languidis
Quique elisos et confractos elevet,
Nisi nos rector corrigas iustissime,
Nempe perimus.

14. Omnes, quod suum est, pastores quaesitant,
Neglegunt curam gregis et custodiam,
Ideo morbi vis saeva et lurida
Serpit in omnes.

15. Pastorum pastor cito iam adveniet;
Quid vos pastores facietis, dicite,
Commisi gregis qui curam neglegitis
Vana sequentes?

16. Qui terrae datum absondit in scrobibus
Talentum, diris mancipatur ignibus,
Cur non timetur, ne parva sit illius
Poena, sequaces?

17. Resistit nullus oppressori pauperum,
Canes sunt muti, elatrare nesciunt
Nunc sacerdotes, ut librorum veterum
Dicta loquuntur.

18. Si quando forte de scripturis aliquid
Vel vile narrant, vanae laude gloriae
Ut extollantur, non ut prosint animae,
Mente volutant.

19. Terra suetis infecunda frugibus
Hic non ornatur, non est modus aërum,
Diversis mundus hinc malis opprimitur
Iam ruiturus.

20. Vineam patris, o proles altissimi,
Iam bone pastor miseratus respice,
Sana contritos et iacentes erige,
Ne pereamus.

21. eXtolle nomen sacerdotum infimis,
Quod volutatur terra sub negotiis,
Et fac, ut tibi famulentur iugiter,
Rector Olympi.

22. Ymnos psalmosque, da, ut tibi concinant,
Tramitem rectum, concede, ut teneant
Nec iam incedant amplius per invia
Perditionis.

23. Zelo benigno, tribue, ut ardeant
Curamque sui ovilis ut habeant
Et tecum sancta possidere valeant
Gaudia regni.

Cod. Sangallen. 573. saec. $^{10}/_{11}$. — 8, 3 stipantur mis obsequentium. — 14, 1 quae suum. — 20, 1 Vinea. — 21, 4 Recta Olympi.

213. Dictamen de Presbyteris.

1. Multi sunt presbyteri,
qui ignorant, quare
Super domum Domini
gallus solet stare;
Quod propono breviter
vobis propalare,
Si vultis benevolas
aures mihi dare.

2. Gallus est mirabilis
Dei creatura
Et recte presbyteri
illius figura,
Qui praeest ecclesiae
animarum cura,
Stans pro suis subditis
contra nocitura.

3. Supra crucem positus
gallus contra ventum
Caput diligentius
erigit extentum,
Sic plebanus, ubi scit
praedonis adventum,
Illi se obiciat
pro grege bidentum.

4. Videmus, quod piger est
gallus aliquando
Sive levis nimium
contra ventum stando,
Sic multi presbyteri
quasi dormitando
Locum dant diabolo,
praedoni nefando.

5. Gallus regit plurimam
turbam gallinarum
Et sollicitudinem
magnam habet harum,
Sic plebanus capiens
curam animarum
Doceat et faciat,
quod sit Deo carum.

6. Gallus granum colligens
convocat uxores
Et illud distribuit
ante cariores,
Tales discat presbyter
pietatis mores
Dando suis subditis
scripturarum flores.

7. Gallus tempus praecinens
horae nocturnalis
Primitus a propriis
se castigat alis,
Castigando primum se
pastor fiat talis,
Tunc dicendo subvenit
subditorum malis.

8. Quasi rex in capite
gallus coronatur,
In pede calcaribus
ut miles armatur,
Quanto plus fit senior,
pennis deauratur,
In nocte dum concinit,
leo conturbatur.

9. Sic pastor, qui bene scit
populo praeesse,
Pigros cum calcaribus
monet indefesse,
Confortando debiles
verbi Dei messe,
Post laborem aureus
ut rex debet esse.

10. Solet leo tremere
de galli canore,
Et fugit diabolus,
solito de more
Gallus cum cantaverit,
sed magis ab ore
Albi galli; reor hoc
in figura fore.

11. Castitas albedine
solet figurari,
Et plebani maxime
solent honorari
Illi, qui luxuria
nolunt inquinari,
Ab hic credo citius
daemones fugari.

12. Gallus suas feminas
solet verberare,
Has, quas cum extraneo
novit ambulare,
Sic sacerdos subditos
debet castigare,
Contra legem Domini
qui solent peccare.

13. Basiliscus nascitur
ovis de gallorum,
Sic crescit diabolus
ex presbyterorum
Magna neglegentia,
qui de subditorum
Non curant sceleribus
nec de spe caelorum.

14. Pullos solet ducere
gallus mutilatus,
Et a mulieribus
per hoc fit amatus,
Sic pro caeli gloria
presbyter castratus
Deo et hominibus
per hoc erit gratus.

15. Gallus nunquam negligit
tempus vespertinum,
Tunc cum suis subditis
volat ad supinum,
Ut in nocte media
tempus matutinum
Servis Dei praecinat
ad opus divinum.

16. Sic et bonus presbyter
respuens terrena
Ducat suos subditos
ex inferni poena
Praebens iter caelicum
caeli per amoena,
Cum Christus advenerit,
turba sit serena.

17. Haec nobis sufficiant
de gallo notata
Et in audientium
corda sint locata
Tenaci memoria,
quasi nux muscata
Plus reddit aromata
bene masticata.

18. Imitator galli sis,
sapiens plebane,
Vivendo sollicite,
consurgendo mane,
Lege, stude, praedica,
horas tuas cane
Et sic in caelestibus
corde, mente mane.

Cant. ms. Engelbergense saec. 14. Cod. Engelbergen. 314. A. — Collect. ms. Campense saec. 14/15. Cod. Vindobonen. 883. B. — Collect. ms. Stiriacense saec. 15. Cod. Stiriacen. L 26 [s. n.] C. — Collect. ms. incerti orig. saec. 15. Clm. Monacen. 641. D.

1, 3 Supra A. — 1, 4 debet stare B. — 1, 5 Hoc propono A; Sed hoc vobis breviter D; fehlt B. — 1, 6 volo propalare D; vobis propellare C; fehlt B. — 1, 7 Aures si benivolas D. — 1, 8 Mihi vultis dare D. — Str. 2 ist Str. 3 D, Str. 4 C. — 1, 3 Et recte sic presbyter A; Et sic bonus presbyter D. — 2, 4 eius fit figura A. — 2, 5 Praecst qui D. — 2, 6 cura animarum B; pastorali cura C. — Str. 3 ist Str. 2 CD. — 3, 5 Sic sacerdos A. — 3, 6 daemonis A. — 3, 7 Illic AC; Illuc D; Illi se obviat B. — 3, 8 grege pro D. — Str. 4 fehlt AD; ist Str 3 C. — 4, 3 lenis B. — Str. 5 ist Str. 9 A. — 5, 4 magnam gerit D. — 5, 5 Sic sacerdos A, cupiens D, copiam B. — 5, 6 habens animarum B. — Str. 6 ist Str. 5 C. — 6, 1 granum repperit AB. — 6, 2 et vocat AB. — 6, 3 illud spargit protinus C. — 6, 4 inter cariores D. — 6, 5 Sic addiscant clerici A; Discant sic presbyteri D. — 6, 7 Doceant et faciant A; Sua distribuere D. — 6, 8 pro Deo et honores D. — Str. 7 ist Str. 8 C; fehlt A. — 7, 5 se fehlt C. — Str. 7 lautet in D:

Gallus nocte media studet personare,
Ante cantum fortiter alas ventilare,
Sic sacerdos providus sera noctis hora
Ad laudandum Dominum surgat sine mora.

Schon der Reim verrät hier die Bearbeitung. — Str. 8—11 fehlen D. — Str. 8 ist Str. 9 C; Str. 4 A. — 8, 5 plus sit A. — 8, 6 decoratur A. — 9, 1 Sic sacerdos, qui debet A; Sic sacerdos, qui bene scit C. — 9, 4 monens A. — Str. 10 und 11 fehlen A. — Str. 10 ist Str. 11 C. — 10, 1 Leo solet C. — 10, 5 Dum gallus cantaverit B. — 10, 6 fehlt B. — Str. 11 ist Str. 12 C. — 11, 3 Et maxime presbyteri C. — 11, 4 debent vicari [1: venerari?] C. — 11, 5 Illum quod luxuria. B. — 11, 6 potest inquinari B. — Str. 12 ist Str. 7 A, Str. 8 D. — 12, 3 extraneis A. — Str. 12 lautet in D:

Gallus fert calcaria more militari
Castigando feminas nutu salutari,
Sic sacerdos corrigat legis transitores
Verbis et figitiis [sic], ut sint meliores.

Str. 13—18 fehlen D. — Str. 13 ist Str. 8 A. — 13, 2 ex ovis gallorum B. — 13, 3 Sic crescit vis daemoniorum A; sic surgit vis daemonis C. — 13, 4 de presbyterorum A. — 13, 5 Multa negligentia AC. — 13, 6 quia subditorum B. — 13, 8 nec regnum caelorum B. — Nach Str. 13 hat B noch folgendes: In pede fert calculum gallus mutilatus, Quando diu vixerit et inveteratus. Damit bricht das Lied in B ab — Str. 14 ist Str. 10. A. — 14, 2 mulitatos A; maritatus C. — 13, 3 Ut in mulieribus C. — 13, 4 semper est amatus A. — 14, 5 Sic procedit gloria A. — 14, 8 semper erit gratus C. — Str. 15 ist Str. 6 C; Str. 11 A. — 15, 3 Et cum suis A. — 15, 7 Dei servis C. — Auf diese Str. folgt [als Str. 7] in C die folgende, die eine Verschmelzung von Str. 15 und 16 in eine zu sein scheint:

Quando solis radius ad occasum tendit,
Gallus ad cubiculum altius ascendit,
Sic sacerdos, qui vere Deum apprehendit,
Perituri saeculi decus parvipendit.

Str. 17 ist Str. 6. C. — 17, 2 narrata C. — 17, 4 sint dictata A. — 17, 7 Plus reddunt A; Pios reddit odoratus C. — Str. 18 ist Str. 15 C, Str. 9 D. — 18, 7 Possis ut cum subditis D. — 18, 8 caeli frui pane D. — Aufser diesen Str. hat C noch [als Str. 14] die folgende:

Cappo senex lapidem solet enutrire,
Qui est inter principes dignitatis mirae,
Sic sacerdos, qui caste se scit custodire,
Calculum recipiet, qui nequit perire.

Eine Singweise zu dem Liede bietet A:





Aus einer Handschrift der Stiftskirche in Öhringen steht das Lied mit weiteren Lesarten und Fehlern in Serapeum I, 107 und daraus bei Duméril II, 12 ff. Neuerdings aus einer Lemeper Handschrift des 18. Jahrh. im Kölner Pastoralblatt 1898, 56 u. f. — In B steht am Schlusse des Gedichtes: „Wilhelmus Nan, sacerdos in Leyden."

214. De Statu Sacerdotali.

1. Viri beatissimi
sacerdotes Dei,
Praecones altissimi,
lucernae diei,
Caritatis radio
fulgentes et spei,
Auribus percipite
verba oris mei.

2. Vos in sanctuario
Deo deservitis,
Vos vocavit palmites
Christus, vera vitis,
Cavete, ne steriles
aut inanes sitis,
Si cum vero stipite
vivere velitis.

3. Vos cepistis vineam
Dei procurare,
Quam doctrinae rivulis
debetis rigare,
Spinas atque tribulos
prorsus exstirpare,
Ut radices fidei
possint germinare.

4. Vos estis catholicae
legis protectores,
Sal terrae, lux hominum,
ovium pastores,
Muri domus Israel,
morum correctores,
Iudices ecclesiae
gentium doctores.

5. Si cadat protectio
legis, lex labetur,
Si sal evanuerit
in quo salietur?
Nisi lux appareat,
via nescietur,
Si pastor non vigilet,
ovile frangetur.

6. Vos estis in area
boves triturantes,
Prudenter a palea
grana separantes,
Vos habent pro speculo
legem ignorantes
Laici, qui fragiles
sunt et inconstantes.

7. Quidquid vident laici
vobis displicere,
Dicunt procul dubio
sibi non licere,
Quidquid vos in opere
vident adimplere,
Credunt esse licitum
et culpa carere.

8. Cum pastores ovium
sitis constituti,
Non estote desides
sicut canes muti,
Vobis non deficiant
latratus acuti,
Lupus rapax invidet
ovium saluti.

9. Grex fidelis triplici
cibo sustinetur:
Corpore dominico,
quo salus augetur,
Sermonis compendio,
quod discrete detur,
Mundano cibario,
ne periclitetur.

10. Ovibus tenemini
Vestris praedicare,
Sed quid, quibus, qualiter,
ubi, quando, quare,
Debetis sollicite
praeconsiderare,
Ne quis in officio
dicat vos errare.

11. Spectat ad officium
vestrae dignitatis
Gratiam petentibus
dona dare gratis,
Sed, si cuiquam fidei
munera vendatis,
Incursuros Giezi
lepram vos sciatis.

12. Gratis eucharistiam
plebi ministrate,
Gratis confitemini,
gratis baptizate,
Secundum apostolum
cunctis gratis date,
Solum id, quod fuerit
vestrum, conservate.

13. Vestra conversatio
sit religiosa,
Munda conscientia,
vita virtuosa,
Regularis habitus
mensque gratiosa,
Nulla vos coinquinet
labes criminosa,

14. Nullus fastus deprimat
signum vestrae vestis,
Gravis in intuitu
habitus sit testis,
Nihil vos illaqueet
curis inhonestis,
Quibus claves traditae
regni sunt caelestis.

15. Estote breviloqui,
ne vos ad reatum
Protrahat loquacitas,
nutrix vanitatum,
Verbum, quod proponitis,
sit abbreviatum,
Nam in multiloquio
non deest peccatum.

16. Estote benevoli,
sobrii, prudentes,
Iusti, casti, simplices,
pii, patientes,
Hospitales, humiles,
subditos docentes,
Consolantes miseros,
pravos corrigentes.

17. Utinam sic gerere
curam pastoralem
Possitis et ducere
vitam spiritalem,
Ut, cum exueritis
chlamydem carnalem,
Induat vos Dominus
stolam aeternalem.

Collect. ms. Augustanum saec. 15. Clm. Monacen. 3594. A. — Collect. ms. Stiriacense saec. 15. Cod. Stiriacen. L 26 [s. n.] B. — Praecordiale devotorum imp. Argentinae 1489 C. — 1, 1 Viri venerabiles C. — 1, 4 lucerna Dei C. — 1, 6 atque spei C. — 2, 1 in sacerdotis B. — 2, 5 nec inanes A. — Str. 3 steht hinter Str. 5 AC. — 3, 4 rogare B. — 3, 6 procul exstirpare AC. — 4, 2 sq. sind 4, 5 sq. C. — Str. 5 fehlt B. — 5, 2 lex habetur A. — 5, 7 Nec si pastor vigilet A. — 6, 8 et ignorantes C. — Str. 9 fehlt B. — 9, 7 Mundo C. — 10, 1 Omnibus C. — 10, 6 pie considerare A. — 10, 7 Nequam in A. — 10, 8 dicant A. — 11, 3 Gratiae C. — 11, 5 si unquam C. — 11, 7 Gezi AC; Iesi B. — 11, 8 lepram tunc sciatis B. — 12, 6 cuncta B. — 12, 8 bonum conservate B. — 13, 6 mens quoque A. — 13, 7 coinquinat A. — 14, 2 vestrae mentis A. — 15, 5 apponitis C. — 15, 8 deerit B. — 16, 1 Estote lingua cauti C. — 16, 5 homines A. — 17, 3 Velitis et ducere C. — Vgl. betreffs des Inhaltes weiter unten das Lied: „Tempus acceptabile“ Str. 13 sqq.

215. De Pastore et Mercenario.

1. Ille pastor optimus
Merito censetur,
Qui pro suis ovibus
Mori non veretur.

2. Ille mercenarius
Iure nuncupetur,
Qui, dum venit lupulus,
In fugam vertetur.

3. Vere mercenarii
Multi sunt praelati,
Ad curam dominici
Gregis sunt vocati,

4. Cuius lanam tollere
Semper sunt parati,
Ipsum sed defendere
Raro sunt probati.

5. Hi, dum lupum viderint
Gregem invadentem
Ipsumque perpenderint
Viribus potentem,

6. Parvipendunt ponere
Animam pro grege,
Terga fugae reddere
Sed habent pro lege.

7. Plus augere numerum
Volunt confessorum,
Quam implere martyrum
Candidatum chorum.

8. Sed si lupus fuerit
Viribus minutis,
Pellisque remanserit
Pretiosa tutis,

9. In tantum de pretio
Pellis gratulantur,
De gregis periculo
Quod vix recordantur.

10. De pastoris nomine
Gratulantur multum,
Pecoris sed minime
Sui noscunt vultum,

11. Cuius quando maculas
Sors detur videre,
Ingentes laetitias
Cernuntur habere.

12. Sperantes sunt situlae
De repletione,
Non curantes maculae
De remotione.

13. Sui gregem Domini
Quando vigilare
Deberent solliciti,
Ne posset errare,

14. Intra tecta latitant
Sopore torpentes
Vel, si forte vigilant,
Male sunt studentes.

15. Non student, ut animas
Perditas lucrentur,
Sed carnis delicias
Quomodo sectentur.

16. Ad particularia
Ultra non descendam,
Ne, si dicam singula,
Hos nimis offendam.

17. Deus, cui omnia
Nuda sunt secreta,
Horum novit studia
Perversis repleta.

18. Non abs re cauponibus
Isti comparantur,
Qui licet in domibus
Laute nutriantur,

19. Illos tamen procreant
Filios gallinae,
Hinc fit, ut proficiant,
Dum caxant coquinae.

20. Quis in domo Domini
Lautius nutritur,
Quam praelati singuli,
Sicut vulgo scitur?

21. Si quis videt filios
Horum spiritales,
Utinam non spurios
Gignerent carnales.

22. Ad quem ergo reliquum
Usum deputantur,
Quam ut ad igniculum
Coquinae ferantur

23. Huius, qui diabolus
Idcirco vocatur,
Quod martellus geminus
Ei tribuatur?

24. Unus est materia
In re quavis vilis,
Alter est et anima
Naturae subtilis.

25. Non solum non liberant
Suos ab errore,
Sed eosdem maculant
Pravo suo more.

26. Istos ergo fugere,
Quando bonum sentis,
Et velis corrigere
Librum tuae mentis.

27. Tunc ad exemplaria
Recurras antiqua,
Quoniam recentia
Nimis sunt iniqua.

28. Multa fuit bonitas
Pastorum priorum;
Qualis sed perversitas
Patet modernorum?

29. De quo si metaphoram
Delectat audire,
Carmen tibi proferam
Quod potes sentire:

30. Duplex animalium
Genus reperitur,
Ut ex libris plurium
Sapientum scitur.

31. Uni cibus deficit,
Ubi generatur,
Natura cur praecipit,
Ut hoc moveatur

32. De nativo loculo
Sicque cibum quaerat,
Sicut naturatio
Donat, vitam gerat.

33. Provisum est aliter
In loco nativo
De cibo, qui corpori
Competens sit vivo.

34. Hoc non locum variat
Dilatationis
Motu, sed plus fluctuat
Vi constructionis.

35. Primitus ecclesia
Pauperes habebat
Pastores, ad varia
Loca quos mittebat,

36. Ut gregis dominici
Curam observarent
Sicque suo corpori
Cibum procurarent.

37. Semen evangelicum
Ubique spargebant,
Unde messis plurimum
Pretium metebant.

38. Postquam est ecclesiae
Venenum infusum
Grandis opulentiae,
Hunc mutavit usum.

39. Pastores cur renuunt
Locum variare,
Propter quod incipiunt
Oves deviare.

40. Hi licet localiter
Bene non moventur,
Vere tamen aliter
Moveri videntur.

41. Spiritu superbiae
Moti dilatantur,
Peste avaritiae
Constricti gravantur.

42. Sic demum sufficiat
Malis de praelatis,
Quos de malo retrahat
Mater pietatis.

43. Adhuc habet alios
Grex Dei pastores,
Qui nec gazae cumulos
Quaerunt nec honores.

44. Sed solum desiderant,
Ut sibi commissum
Gregem sic custodiant,
Ne intret abyssum.

45. Ipsum verbo nutriunt
Simul et exemplo,
In plateis instruunt
Simul et in templo.

46. Pro gregis periculo
Vitam levipendunt,
Coram omni populo
Saepe quod ostendunt.

47. Personas offendere
Non curant potentum,
Timeo sed vivere
Horum nusquam centum.

48. Isti, quia populum
Vivi docuerunt,
Post vitae curriculum
Ut poli lux erunt,

49. Et quia iustitiam
Propagabant Dei,
Pure cernent gloriam
Suae faciei,

50. Cum bonis qui satiat
Horum appetitum;
Quae videre faciat
Nos in infinitum

51. Christus Dei filius
Simul et Mariae,
Qui suis doloribus
Nos salvavit pie.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883 saec. $^{14}/_{15}$. — 2, 2 nuncupatur. — 18, 1 ab re caponibus. — 19, 4 caxat; vgl. Ducange s. v. caxitare. — 32, 2 sic quod. — 36, 3 Sic quod.

216. De Malis Clericis.

1. Trahunt in praecipitia,
Qui nos tenentur regere,
Si, quae docent salubria,
Pravo deformant opere,
Frui gaudent potentia
Honoris sine onere.

2. Onus, quod nobis alligant,
Nolunt movere digito,
Hinc est, quod eos diligant,
Qui palpant in abscondito,
Hos a secretis abigant,
Qui terrent vitae merito.

2. Culpa meretur gratiam,
Quam demeretur meritum,
Nam palponum fallaciam
Plus captant aure divitum,
Quam bonorum prudentiam,
Qui dissuadent libitum.

4. Omne cor maerens hodie,
Caput et omne languidum,
Clerus campo licentiae
Vagus et vulgus sordidum
Semen legis et gratiae
Solum condit in aridum.

Cod. Oxonien. Rawlinson. C. 510. saec. 13. — Das Lied wäre wohl richtiger den Cantiones zugeteilt worden, ist aber dort übersehen worden.

217. De Religione.

Religio sine corde pio non adpretiatur,
Religio, te non sapio, si mens adulatur,
Religio, te despicio, si mundus amatur,
Religio non principio sed fine probatur.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. S. Pantaleonis Colonien.) 4947. saec. 15.

218. De Vita Religiosa.

1. Si vis bonus fieri
moribus et vita,
Quidquid Deo displicet,
sollerter evita,
Esto contra vitia
virilis et ita
Cum bonis angelica
erit tibi vita.

2. De quocunque veniant
climate terrarum,
Dilectionem dilige
rerum honestarum,
Nam sic pater luminum
te habebit carum,
Apud quem acceptio
non est personarum.

3. Omnes innocentia
vitae commendati,
In quacunque fuerint
regione nati,
Tibi sint in Domino
fratres et cognati
Et amoris nexibus
firmis foederati.

4. Aures meis monitis
et mentem inclina,
Malorum consortium
attente declina,
Pedem fige fortiter
in lege divina,
Stando tamen praecave
tibi a ruina.

5. Audi, quid te doceat
ethica Catonis:
Malos vita cautius,
ambula cum bonis.
His et dictis concordant
iussa Salomonis,
Caelestis prudentiae
quae sunt plena donis.

6. Dicam tibi breviter:
nunquam bonus eris,
Si malorum gratiam
et favorem quaeris,
Nam inevitabile
esse arbitreris,
Quin, si attrectaveris
picem, maculeris.

7. Bonorum vestigiis
constanter adhaere,
A bonis consilium
et solamen quaere,
Quamdiu te videro
malis displicere,
Habeo fiduciam,
ut vivas sincere.

8. Sed contra blanditias
hominis deliri
Non minus sollicite
volo te muniri,
Nam seduci saepius
et circumveniri
Contingit blanditiis
mentem boni viri.

9. Haec ergo memoriae
commenda tenaci
Et complenda suscipe
studio vivaci,
Ne a terribilibus
minis, a fallaci
Promisso exorbites
a via veraci.

10. Salubri scientiam
hauri de doctrina
Et, quod inde hauseris,
aliis propina,
Sic cortinam trahere
legitur cortina,
Et curati morbidis
fiunt medicina.

11. Manus, mentem, labia
serva semper munda,
Crebris conscientiam
fletibus emunda,
Exemplo laudabili
alios fecunda,
Sic metes de fertili
semine iucunda.

12. Carnis insolentiam
doma et refrena
Primis eius motibus
adhibendo frena,
Nam in illis latitat
vitiorum vena,
Per quam mens efficitur
virtutis egena.

13. Carnis motus reprime
cibi parcitate,
Cibo cibum vermium
ciba moderate,
Ne ventris ingluvies
mentem castitate
Privet et destituat
morum levitate.

14. Nam qui desideria
carnis amplexatur,
Per quae verus animae
vigor enervatur,
Hostem armat gladio,
quo percutiatur,
Atque in se suscitat
flammam, qua uratur.

15. Animae imperio
caro castigetur
Eique ut dominae
semper ancilletur,
Ut tua legitime
domus ordinetur,
Dum suo officio
utraque fungetur.

16. Vide, quam sit flebilis
praesens mundi status,
Homo quod continuum
ad laborem natus,
Quam sit miserabili
pondere prostratus,
Addictus miseriae
huius incolatus.

17. Tuos ergo dirige
in Deum conatus
Et in terris dilue
lacrimis reatus,
Ut ad summi nuptias
regis invitatus
Decenti compareas
veste adornatus.

18. Curam ne adhibeas
vel cor tuum vanis,
Ecce, mundus deperit
cum rebus mundanis,
Mors rapit cotidie
iuvenes cum canis,
Fortes cum debilibus,
aegrotos cum sanis.

19. Te mortis memoria
revocet a malis,
Te timor corripiat
poenae gehennalis,
Ubi ponit impios
dolor aeternalis,
Maeror indeficiens
et mors immortalis.

20. Cum ad cordis ostium
coeperit pulsare
Prava cogitatio,
statim repugnare,
Artes et insidias
hostis propulsare,
Nam sic debes colubri
caput conculcare.

21. Ecce, dies Domini
tamquam fur venturus
Hortatur, ut viliget
homo moriturus,
Ubi sit, consideret,
et quo deventurus,
Rationem operum
Deo redditurus.

Collect. ms. incertae originis saec. 15. Clm. Monacen. 641. — 4, 5 finge. — 18, 3 mundus perit. — 19, 3 corripiet. — 20, 5 Aures.

219. De Vita Religiosa.

Qui crucis in ligno fera mortis iura subisti
Et miseris vitam defunctis restituisti,
Perpetua nos pace tua, rex Christe, guberna.

Ad patriam caeli suspirans mente fideli
5. Omnia postponat, quae mundus munera donat,
Mundum devincat, mundum, sua seque relinquat,
Se mundo mundumque sibi pariter crucifigat,
Se Domino Dominumque sibi sumpta cruce iungat,

Nulla re tractus penitus nullaque coactus
Ad laevum deflectat iter dextrumve sequatur,
Sed medium virtutis iter semper gradiatur,
Ne per multa vagans Dominum sibi promereatur.
Rebus in adversis constans humilisque sed erit,
Nullo prava modo faciat bona transgrediendo,
Nullo recta modo postponat prava sequendo.
Quae Domino placeant, ea cogitet et meditetur
Et pro posse suo constanter agens operetur,
Impulsu nullo faciens contraria Christo.
A se deficiat, quo gratior hostia fiat,
Suave Deo munus cum Christo spiritus unus,
Ipsi coniunctus dono charismatis unctus,
Sic circumspectus homo, non per plurima sectus,
Omne, quod effatur, quod agit vel quod meditatur,
Ut bene sit placitum Domino, concurrit in unum,
Per callem rectum vir iustus redit ad unum.
Hic igitur talis summae cultor deitatis
Omine veracis censetur simplicitatis.
Fratribus optatis bona dando simplicitatis,
Per quam mundatis species claret deitatis,
Simplicibus, non duplicibus requies tribuetur,
Nam Dominus cum simplicibus fari perhibetur.
Simplicitas recta devitat devia secta,
Pluribus abiecta salvandis est via recta.
Non quaerens rimam sedem sibi collocat imam,
Dando stolam primam regionem reddit opimam,
Incautos munit, discordes ipsa counit,
Quos socians unit, contra temptamina munit.
Elevat ex undis mundi nos ipsa profundis,
Spiritibus mundis mundi quoque iungit in undis.
Fallere non novit, procul a se nova removit,
Lites submovit, quia pacis gaudia novit.
Lampas calcata nunc est fulgore parata,
Quando die grata pax fiet multiplicata.
Ergo Deo grati, per aquam flatumque renati.

Cod. Zwettalen. 70. saec. 14. in. — Das Gedicht trägt die Aufschrift „Versus de sancta cruce“, ist indes ein moralisierendes Lehrgedicht. Vers 1—3 bilden sichtlich eine Invocatio als Exordium.

220. De Forma vivendi Monachorum.

Christus nobis tradidit
formam hic vivendi
Et exemplo docuit
viam gradiendi,
Ut mundana vanitas
possit vilipendi,
Et aeterna bonitas
queat apprehendi.

2. Christus quidquid fecerat,
nostra est doctrina,
Quidquid ipse pertulit,
nostra medicina.
Omnia patrata sunt,
nos ut a ruina
Salvaret clementius
pietas divina.

3. Eia, ergo, monache,
verus miles Christi,
Qui te spreto saeculo
Deo spopondisti,
Age nunc viriliter,
sicut incepisti,
Ipse te non deserit,
cui te dedisti.

4. Quidquid tibi accidit,
quidquid patieris,
Christum semper respice
ipsumque sequeris,
Forma vitae tuae sit,
sicque semper eris
Patienter sustinens,
ut tu coroneris.

5. Cum in choro steteris
laude in divina,
Vagam mentem erige,
ne ruat supina
Cogitando vanius,
de mundi sentina
Ad laudis dulcedinem
mentis cor inclina.

6. Longis in vigiliis
choro stans ligatus
Cogitabis, qualiter
Christus flagellatus
Pro tuo peccamine
sitque morti datus,
De tali spectamine
sit tuus cogitatus.

7. Quando in capitulo
eris proclamatus
Et propter invidiam
forte accusatus,
Durusque tibi fuerit
praesidens praelatus,
Patienter sustine,
et eris beatus.

8. Christi patientiam
volve tunc in mente,
Qui damnatus fuerat
pessima a gente,
Turpiter adloquitur
ipso nil loquente,
Ut agnus obmutuit
coram se tondente.

9. In labore manuum
quamvis tu graveris,
Omni patientia
fac, quod tu iuberis,
Et hoc voluntarie
dono ne priveris,
Sic perfectus monachus
coram Deo eris.

10. Laborando cogites,
quod Christus non quievit,
Suae carnis commoda
otiando sprevit,
Portans crucem propriam
mandatum implevit,
Sic exemplum exhibens
omnia complevit.

11. Dum in refectorio
non bene condita
Dantur necessaria
languescente vita,
Benedicas Domino,
a quo sunt largita,
Patienter sustinens
cogitabis ita:

12. Brevis erit terminus
Huius malae vitae,
Christus hoc sustinuit,
sustine tu rite,
Magnum erit praemium,
quies sine lite,
Dulcis vox: ad gaudium,
dilecti mi, venite.

13. Dum in tuo lectulo
sunt stramenta dura,
Et labore lassa sunt
genua et crura,
Nihil vani cogites
pensans mente pura,
Et de rebus saeculi
non sit tibi cura.

14. Tua meditatio
sit de cruce Christi,
Omnibus quae durior,
quae tu pertulisti,
Qualiter redemptus sis,
quod non meruisti,
Inque tuo lectulo
sint tractatus isti.

15. Si te temptat Dominus
per infirmitatem
Vel dolorum gravium
per diversitatem,
Habe patientiam
atque pietatem,
Dominus te visitat
ad utilitatem.

16. Christus personaliter
pertulit dolores
Et dolere patitur
suos cariores,
Ut dolendo iugiter
fiant puriores
Et cum caeli civibus
habeant honores.

17. Cum praelatos videris
splendida in mensa
Delicate vivere
plurima expensa,
Pauperum penuria
illic vilipensa,
Caveas a murmure
et in corde pensa:

18. Pro tuis miseriis
habebis tu mercedem,
In caelesti gaudio
claritatis sedem,
Hic vivendo misere
impetrabis aedem
Angelorum, ideo
siste tuum pedem.

19. Abbas si te diligit
una cum priore,
Hoc servare studeas
summo cum timore,
Hos turbare caveas
mente, corde, ore
Et sincere diligas
omni cum honore.

20. Ioseph Christi fuerat
pater putativus,
Quem Christus dilexerat,
quamvis genitivus
Ipsius non fuerat,
tamen subiectivus
Esse sibi voluit
formam positivus.

21. Summe tamen caveas
esse adulator,
Falsum verum dicere,
et falsificator,
Ne placendo ipsis sis
pauperum damnator,
Mortem prius elige,
quam sis criminator.

22. Talis Iudas exstitit
dispensator Christi,
Quem mercando tradidit,
sic sunt omnes isti,
Qui pro gula pauperes
damnant voce tristi,
Hos in poenis pessimis
Deus iubet sisti.

23. Si non habes gratiam
forte praelatorum,
Manus tunc incidere
timeas eorum
Et Christo adhaereas
frequentando chorum,
Ipse te custodiet,
qui spes est iustorum.

24. Christus, Dei filius,
doctor veritatis,
Reclamavit publice
viam falsitatis,
Propter hoc displicuit
scribis et praelatis,
Talia si sustines,
hoc non erit gratis.

25. Si pro neglegentia
fueris argutus,
Habe patientiam,
tace quasi mutus,
Respondendo frivole
non sis dissolutus,
Sciens linguam regere
eris semper tutus.

26. Iesus, puer parvulus,
salus nostrae spei,
Virgam matris timuit
oboediendo ei,
Non loquendo moritur,
impii Iudaei
Dum cruci affigerent
verum natum Dei.

27. Quando tu ab aliquo
fueris turbâtus,
Tu debes ignoscere,
quamvis non rogatus,
In bono malum vincere
semper sis paratus,
In tali patientia
felix monachatus.

28. Sic te Christus docuit,
verus rex caelorum,
Patienter tacuit,
quando Iudaeorum
Pertulit opprobria,
nihil servans horum
Patiendo supplicat
memor miserorum.

29. Si quemquam de fratribus
videris errare,
Hunc in mansuetudine
debes increpare,
Tua propter monita
si non vult cessare,
Tibi sit sicut ethnicus,
et hoc dico quare.

30. Christus multos docuit,
qui non sunt salvati,
Quibus pie profuit,
non fuerunt grati,
Caute arguendi sunt,
qui non sunt sensati,
Ne te tractent turpiter,
qui nil volunt pati.

31. Si in vehementia
aliquem turbasti
Signo, verbo factoque,
quidquid perpetrasti,
Roga, ut dimittat hoc,
in quo tu peccasti,
Et emendare studeas
instar viri casti.

32. Quem Christus non laeserat,
habuit placatum,
Inimico blandiens
efficit beatum,
Hoc exemplum exhibens
ob tuum reatum,
Tuum adversarium
duc ad bonum statum.

33. Si arrident prospera,
tu non exalteris,
Semper te humilia,
caute glorieris,
Deus dat haec omnia,
quem tu depreceris,
Quid sis, qualis, intra te
Semper memor eris.

34. Christus, rex altissimus,
non se exaltavit,
Sed pro te humiliter
se humiliavit,
Quidquid es, ab ipso es,
ipse te creavit,
Illi te humilies,
qui te sic beavit.

35. Si praecellis alios
aliqua virtute,
Noli hos despicere
te regendo tute,
Sed collauda Dominum
tua pro salute,
Non spernendo aliquem,
sic servabis tu te.

36. Non sprevit altissimus
viles peccatores,
Hinc nos docens clarius,
quod inferiores
Non debemus spernere
neque viliores
Exhibendo iugiter
omnibus honores.

37. Si tuo iudicio
iam simpliciores
Praeferuntur aliis
et sunt digniores,
Quorum tibi displicet
tam vita quam mores,
His, si Deum diligis,
exhibe honores.

38. Qui sua potentia
caelum, terram rexit,
Regi a simplicibus
pro te non despexit,
Crucis mortem pessimam
pro te non neglexit.
Quid pro illo sustines,
qui te sic dilexit?

39. Illud semper cogita,
ad quid tu venisti,
Cui servis, propter quid,
quae tu quaesivisti;
Et labores maximos,
quos tu pertulisti,
Noli gratis perdere
stans in laude Christi.

40. Quid ad te, si alii
currunt indirecte?
Gressus tuos dirige,
ambula perfecte,
Christus viam docuit
ambulandi recte,
Quem sequendo iugiter
cor et crura flecte.

41. Christus pro te pertulit
plurima tormenta,
Et ei compassa sunt
cuncta elementa,
Quae in tuo saepius
corde repraesenta,
Patienter sustinens,
pauca temptamenta.

42. Si commotus fueris,
ille perturbatus,
Verbera si sustines,
ille flagellatus,
Iuste si argueris,
hic male tractatus,
Quidquid mali sustines,
ille plus tristatus.

43. Deo semper servias
cum stabilitate,
Stabiliri expetas
sua pietate,
Ne perdas miserias,
quas cum gravitate
Acquisisti longius,
has non move a te.

44. Nil valet incipere,
nisi compleatur,
Laus in fine canitur
et corona datur,
Christus post miserias
caelo coronatur,
Noli retrospicere,
merces ne perdatur.

45. Tua consolatio
sacra sit scriptura,
In qua saepe studeas
perlegendo plura,
Multa tu invenies,
quae sunt placitura,
Quae te a multiplici
liberabunt cura.

46. Nihil est utilius
sacra lectione,
Vel orare saepius
cum devotione,
Ista reddunt monachum
habilem coronae,
Ergo tuum studium
in istis compone.

47. In perturbationibus,
pauper monachelle,
Invoca auxilium
inclitae puellae
Mariae, ut adiuvet,
ne laedant procellae,
Ipsa te eripiet
a doloris felle.

48. Quidquid facis, ubi sis,
claustro vel in via,
Illa semper tecum sit
dulcis vox: Maria.
Haec est custos pauperis
et matrona pia,
Haec tuum viaticum,
tua melodia.

49. Deum patrem gloriae
lauda omni hora
Et credendo firmiter
debite honora,
Qui te sibi similat
specie decora,
Cui ut tu placeas,
sedule labora.

50. Eius quoque filium,
nostrum consolamen,
Prece pia invoca
atque sacrum flamen,
Ut nos omnes adiuvet,
qui timent turbamen,
Et a malo liberet
in aeternum. Amen.

Cod. Altovaden. 31. saec. 15. A. — Cod. Sangallen. 925. saec. 15. B. — Cod. Sangallen. 933. anni 1401. C. — Cod. Sangallen. 930. saec. 15. D. — Clm. Monacen. (ol. Augustan.) 3594. saec. 15. E. — Clm. Monacen. (ol. Pollingen.) 11724 saec. 15. F. — Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14793. anni 1488. G. — Clm. Monacen. (ol. Roten.) 15611. saec. 15. H. — Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14357. saec. 15. I. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19902. saec. 15. K. — Cod. Valentianen. (ol. Spanheimen.) 244. saec. 15. L. — Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Lunaelacen.) 3848. M. — Cod. Palat. Vindobonen. 4121. saec. 15. N. — Clm. Monacen. 641. saec. 15. O. — Cod. S. Petri Salisburgen. b IV 3. saec. 15. P.

1, 2 formam hanc O; hanc formam BE; formulam vivendi C; regulam vivendi P. — 1, 5 Ut humana BE. — 2, 1 quidquid fecit A; quidquid docuit O. — 2, 2 nobis est O. — 2, 3 Et quod ipse O. — 2, 4 est medicina C. — 2, 5 parata O. — 3, 1 ergo clerice BE. — 3, 2 verus gerres B, heres E. — 3, 4 Deo spopondisti C. — 3, 5 fideliter A. — 3, 8 te dedisti A. — Str. 4 fehlt O. — 4, 1 Quidquid acciderit C. — 4, 5 Norma C. — 6, 3 Cogites tu O. — 6, 4 fuerit flagellatus O. — Nach Str. 6 Si per negligentiam etc. O. cfr. Str. 25. — 7, 4 forsan O. — 7, 5 Durus quoque tibi sit O. — 8, 3 damnatus exstitit BE. — 8, 5 illuditur C, Korrektur wegen der falschen Passivform? — 8, 8 coram praesidente C. — 9, 3 Fac cum patientia A; Omni cum patientia C. — 9, 4 uti tu iuberis A; tu fac quod B. — 9, 5 Sed et voluntario A. — 9, 6 dono ne C — 9, 7 Sicque A; perfectus clericus B. — 10, 2 quod fehlt BC. — 10, 3 Vilis carnis ABC. — 10, 4 occidendo O. — 10, 8 facere consuevit O. — Str. 1—10 fehlen D. — 11, 1 Cum in C; Cumque in A. — 11, 2 bene non O. — 11, 7 sufferens A. — 12, 4 Sustinebis rite. — Str. 13—16 hinter Str. 36. O. — 13, 1 Cum in BC. — 13, 6 pausans O. — 14, 3 quod durior C; Omnibus opprobriis O.— 22, 4 quam tu O. — 14, 7 In tuoque BC; In tuo quoque O. — 15, 1 Dominus temptat E. — 15, 6 senti pietatem A. — 16, 3 pariter B. — 16, 4 quos scit cariores B. — 16, 6 clariores B. — 17, 1 Dum praelatos D; Cum praelatum E. — 17, 5

praesentia A. — 18, 4 claritatum BCE. — 18, 5 sq. Illic tuum protinus colloca sic pedem O. — 18, 7 sq. Hic vivendo misere impetrabis aedem O. — 19, 1 Praelatus si te BCE. — 19, 3 Hos servare BE. — 19, 4 cum honore O. — 19, 5 Hoc turbare A. — 19, 8 cum timore C. — Str. 20 hinter 48 C. — 20, 2 palatinus E. — 20, 5 sq. Ipse non tamen fuerat subicativus B; Ipse non fuerat CDE. — 20, 8 exemplar positivus B; positivus — ponens, proponens. — 21, 3 Falsam rem dicere BC. — 21, 5 Et placendo impiis O; Ut placendo ipsis sis A. — 21, 8 quam talis sis trunicator AO. — 22, 1 Judas dicitur A. — 22, 3 Cum mercando A. — 22, 4 Sicut omnes isti O. — 22, 5 pauperem O. — 22, 6 Damnant vultu Christi A. — 22, 7 in poenis tartari O. — 22, 8 index iubet A. — 23, 2 tuorum praelatorum ABC. — 24, 4 caveas eorum O. — 24, 8 qui est rex caelorum O. — Str. 24 fehlt BCO. — Str. 25 fehlt O. — 25, 2 redargutus B. — Str. 26 fehlt O. — 26, 1 Christus puer B. — 26, 7 affixerant A. — 27, 3 Ignosce illi subito A; Debes ei ignoscere BC. — 27, 5 In bonum malum vertere A. — 27, 8 Verus monachatus C; est sanctus monachatus O. — Str. 28 fehlt O. — 28, 3 doluit BC. — 28, 6 nil servans B, nil reservans C. — 29, 1 Si aliquem de ABC. — 29, 3 cum mansuetudine O. — 30, 3 Quibus ipse profuit O. — 30, 4 manserunt ingrati O. — 30, 5 Qui redarguendi sunt O. — 30, 6 qui sunt insensati B; non bene sensati O. — 30, 7 te tradant O; turpiis O. — Str. 31—34 incl. fehlen O. — 31, 6 in quem A. — 32, 2 ut habuit BC. — 32, 6 optimum reatum B. — 34, 3 propter te A. — 34, 5 ab eo es BC. — Str. 35 und 36 stehen hinter Str. 23. O. — 35, 3 despernere O. — 35, 4 regendo te A. — 35, 6 de tua virtute O. — 35, 8 sic salvaberis ABC. — Str. 37 und 38 fehlen O. — 37, 7 diliges B. — 37, 8 magnos exhibe C. — 38, 1 Quia sua E. — 38, 7 pro isto A; sustinens C. — 39, 2 propter quod venisti O. — 39, 4 quem tu A; vel quae quaesivisti O. — Str. 40—43 incl. fehlen O. — 40, 6 ambulando A. — 40, 7 Quam A. — 41, 3 sunt compassa A. — 41, 5 Quae in corde saepius BC. — 41, 6 tuo repraesenta C, repensa B. — 42, 3 sustinens B. — 42, 7 male sustinens B. — 43, 3 exspectes A. — 43, 8 moveas a te A. — 45, 2 sit sacra A. — 45, 6 quae sint O. — 45, 8 liberant A. — 46, 3 orare Dominum A. — 46, 7 Crucem tuum studium A. — 46, 8 in illis BC; ministerii sic A. — 47, 1 In tribulationibus BC; In tribulatione tua E. — 47, 2 pauper tu clerice B, clericule E. — 47, 3 Implora tu O. — 47, 5 ut te adiuvet AO. — 47, 6 te laedant A. — 48, 5 pauperum O. — 48, 6 patrona O. — 48, 8 tua fehlt O, sit melodia O. — 49, 5 simulat O. — 49, 7 Cui tu ut O. — 50, 1 Huius quoque E. — 50, 2 nostrumque solamen O. — 50, 3 Pia semper invoca O. — 50, 5 Ut et omnes O.

Der Str. 1 gehen in A folgende zwei Strophen vorauf:

Qui transitis, monachi, omnes huc venite
Et virtutum floribus caput redimite,
Si audire cupitis nobile Venite,
Cum in fine dicetur reprobis Abite.

Haec doctrina instruit cor humiliare
Et in schola Domini caute ambulare,
Hanc tabulam tu, monache, noli declinare,
Sed perlege iugiter atque meditare.

In M geht dem Gedichte die Bemerkung vorauf: „Incipit formula domini Petri, abbatis Aulae Regiae [Königssaal oder Zbraslaw a. d. Moldau bei Prag], composita ad aedificationem fratris et monachi devoti." Dann folgen die Verse:

O bone claustralis, Christi protectus sub alis,
Per celerem cursum properans ad praemia sursum,
Nulla sinistrorum te flectant, nulla retrorsum
Gaudia terrena, licet haec videantur amoena.
Moribus insiste, vitiis orando resiste,

Motibus resiste pravis, bonus est labor iste.
Despice ridere, cum psallis, ne tibi digne
Cum reprobris barathri ardere contingat in igne.
Dum cantas hymnos, noli proferre cachinnos,
Non vult, quem quaeris, ut eum ridendo preceris,
Fletum ridenti promittit, gaudia flenti.
Flentes exaudit, pietatis viscera claudit
His, qui non plorant, vel eis, qui segniter orant.

Daran schliefst sich „Christus nobis tradidit“ etc., welches mit der Angabe schliefst: Explicit formula domini Petri, abbatis Aulae regiae, composita in aedificationem monachi devoti. Diese Angabe scheint sich wohl nur auf obige gereimten Hexameter beziehen zu können, da als Verfasser der „Forma vivendi“ Henricus de Hassia genannt wird: „Hainrici de Hassia versus de forma vivendi“ E; „Hainrici de Hassia dicta“ G. — Vgl. F. W. E. Roth, zur Bibliographie des Henricus Hembuche de Hassia, dictus de Langenstein. Leipzig 1888, p. 13.

221. Exhortatio ad Monachos de contemptu saeculi.

I.

1. Si vis esse coenobita,
Huius vitae vitam vita,
Ut sis re et nomine,
Tuae mentis sordes munda,
Ut sit Deo laus iucunda
In utroque homine.

2. Solus Deus diligatur,
Cui soli relinquatur
Omnis laus et gloria,
Honor, virtus et potestas
Ipsi sit, cuius maiestas
Replet regit omnia.

3. Non est tuum honorari,
Non affectes hoc laudari,
Cum sis vitae miserae;
Quidquid hic honoris captas,
Si non Deo totum aptas,
Perdis tuum vivere.

4. Non tam facile honores,
Si sentirent et labores,
Affectarent clerici,
Qui praeesse non prodesse
Quaerit, perdit suum esse,
Poena dignus duplici.

5. Ad honores sunt parati,
Dono Dei sunt ingrati
Iuvenes cum senibus,
Totum datur dignitati,
Parum aut nil sanctitati
His nostris temporibus.

6. Sicque vita laicorum
Parum distat a porcorum
Consuetudinibus,
Supra modum epulantur,
Intus foris excaecantur,
Pleni malis moribus.

7. De salute animarum
Rarus sermo, sed terrarum
Amplitudo quaeritur;
Qui nunc potest plus ditari,
Vel in altum sublimari,
Hic beatus dicitur.

8. Mundus finem iam minatur,
Qui tot malis inquinatur,
Quod praedixit veritas;
Caritas iam refrigescit,
Omnis sanctus obmutescit,
Abundat iniquitas.

9. Potens ridet impotentem,
Sic astutus innocentem,
Adulescens veterem,
Vir a fratre supplantatur,
Puer patri adversatur,
Dives spernit pauperem.

10. Sanctus hodie putatur,
Qui non nimis inquinatur
Malis criminalibus,
Normam vitae si requiris,
Non hanc quaeras iam in viris
Sed in voluminibus.

11. Perit lex a sacerdote,
Pereunt virtutes totae,
A sene consilium;
Multos habemus doctores,
Sed paucissimos factores
In vita mortalium.

12. Hanc vitae captivitatem,
Si manentem civitatem
Hic haberem, plangerem;
Fertur plane captivitas,
Ubi nescitur veritas;
Vae, si semper viverem!

13. Heu, heu, homo cur creatur,
Qui tot malis captivatur,
Velit nolit moritur?
Quod est malum, hoc vitare,
Vel, quod bonum, hoc amare
Vix infelix cogitur.

14. Unde nemo iam gravari
Debet, si sic consolari
Omnis iustus renuit;
Immo satis est dolendus
Et a Deo respuendus,
Qui non mundum respuit.

15. In hoc tamen consolatur
Vere sanctus et laetatur,
Quia mundus transiet;
Flere de occasu mundi
Debent peccatis immundi,
Quorum dolor veniet.

16. Ad te ergo revertere,
Homo, prostratus misere,
Cur sis factus, considera;
Te Deus sibi similem
Fecit, sed tu dissimilem
Te facis augens scelera.

17. Consors quondam angelorum
Legem tenes iumentorum
Ipsis factus similis;
Esca ventri, venter escis
Hunc et has frenare nescis,
Propter quod es fragilis.

II.

18. Surge, miser, quid dormitas?
Imitare coenobitas
Antiquorum temporum,
Qui tenentes viam vitae
Contempserunt non invite
Opes, vires corporum.

19. Erant mundo crucifixi,
Mundus ipsis, et transfixi
Caritatis gladio,
Vitam hanc parvi pendebant,
Nam caelesti adhaerebant
Magno desiderio.

20. Corpus satis castigabant,
Lectionibus vacabant,
Et orabant iugiter,
Nunquam erant otiosi,
Omnibus affectuosi;
Vade, fac similiter.

21. Et conserves te devotum,
Quidquid vides, fuge totum,
Paupertatem elige;
Non te locus vilitatis
Angat vel extremitatis,
Sed nesciri dilige.

22. Te praelato subiugabis,
Quidquid iubet, observabis,
Et hoc voluntarie;
Noli facta iudicare
Praelatorum, sed vitare
Debes fel invidiae.

23. Temet ipsum reprehende
Diligenter et attende,
Ne quem unquam iudices,
Pro te reddes rationem,
Nunquam proferas sermonem,
Ut te ipsum vindices.

24. Erit tibi salutare,
Si amari et amare
Omni hora studeas;
Quidquid facis, reprobatur
Apud Deum nec laudatur,
Nisi pacem tenças.

25. Diligantur iuniores,
Venerentur seniores,
Esto carus omnibus,
Non accipies personam,
Sed amabis vitam bonam
In cunctis hominibus.

26. Sic gaudere cum gaudente
Bonum est Paulo dicente
Et flere cum flentibus,
Ordinatus ordinatis,
Patiens inordinatis
Eris tuis fratribus.

27. Corporum infirmitates,
Sed et morum paupertates
Patienter tolera,
Neque velis apparere
Magnus nec laudem habere
In hac vita misera.

28. Cave, ne sis singularis,
Sed, quodcunque operaris,
In communi facias;
Lege, canta, psalle, ora
Sicut omnes et labora,
Vive et non alias.

29. Primus eris ad laborem,
Tardus autem ad honorem
Et ad iram ultimus,
Omnibus subiciaris,
Nunquam aliud loquaris,
Quam quod habet animus.

30. Omnem horam occupabis
Hymnis, psalmis, et amabis
Claustrale silentium,
Super hoc orationem
Diliges et lectionem,
Nutricem claustralium.

31. Habens victum et vestitum,
Quale fuerit largitum,
Nihil quaeras amplius,
De colore non causeris,
Si sit vilis, tunc laeteris,
Et sic eris sobrius.

32. Cave, ne sis curiosus
In vestitu vel gulosus
In diversis epulis,
Sic non eris somnolentus
Nec in potu vinolentus
Nec vacabis fabulis.

33. Nimis est periculosum
Esse monachum verbosum,
Cum silere debeat;
Ioci quidem sunt ferendi,
Nunquam tamen referendi,
Quos proferre pudeat.

34. Omne fugias peccatum,
Si videre vis pacatum
Salvatorem omnium;
Ipsum corde, ore ora,
Ut in tuae mortis hora
Tibi sit auxilium.

Cod. ms. Palatin. Matriten. 2 N 4. saec. $^{13}/_{14}$. A. — Collect. ms. Campense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Palat. Vindobon. 883. B. — Collect. ms. incert. orig. saec. 15. Clm. Monacen. 641. C. — Str. 1—6 fehlen A. — 1, 6 utroque hodie B. — 2, 2 Cui solus C. — 2, 5 cuius potestas C. — 2, 6 Replet et C. — 3, 2 Velle bono vel laudari C. — 5, 2 Ad labores sunt ingrati C. — 6, 1 Sic a vita C. — 6, 2 distat aut porcorum C. — 6, 6 malis omnibus B. — 9, 4 a pari C. — 9, 5 Puer matri B; Patri puer C. — 10, 2 Qui nunc AC. — 10, 4 Formam BC. — 11, 6 In terra B. — 12, 4 Datur plane B; Hic est plane C. — 12, 5 In qua BC. — 13, 1 homo cum A. — 13, 2 malis inquinatur C. — 13, 4 Hoc quod malum est vitare A; Quod sit B. — 13, 6 sqq. fehlen A. — 13, 6 Vix infidelis B. — 14, 1 iam mirari C. — 14, 2 si hic C. —

15, 4 De hoc casu flere B. — 16, 4 sq. Sibi te fecit similem Deus tibi dissimilem B; Deus te sibi similem Sed tu sibi dissimilem C. — 17, 2 tenens C. — 17, 4 Esca venter ventri B. — 17, 5 Has et hunc C.

Mit Str. 18 beginnt ein neues Lied C. — 18, 1 Ergo surge qui dormitas B. — 18, 2 Meditare A. — 18, 3 Antiquorum operum B. — 18, 6 viresque C. — 19, 2 In vitiis necnon B; Cum vitiis et C. — 19, 6 sqq. fehlen A. — 21, 1 conserva C. — 23, 2 Et diligenter B — 28, 2 Venerentur et priores B. — 28, 4 psalle canta C. — 30, 2 Psalmis hymnis C. — 30, 3 Tenere silentium B; Habere silentium C. — 39, 1 vestitum et victum A. — 39, 2 Secundum apostoli dictum A; Ut fert apostoli dictum C. — 39, 5 Qui si vilis A. — 33, 2 Esse claustralem C. — 34, 2 vis paratum A. — 34, 6 Sit tibi B.

In B am unteren Rande die Aufschrift „Dictamen cuiusdam monachi Claraevallensis ad monachos de contemptu saeculi.“

222. Speculum Claustralium.

1. Ad vitam claustralium
quilibet vocatus
A saecli miseriis,
ut purget reatus,
Sit, quae dicam breviter,
implere paratus,
Et fruetur gaudiis
summis laureatus.

2. Primo transitoria
plene refutare,
Nil de pompis saeculi
debet cogitare,
Ad caeli delicias
semper anhelare,
In sancto proposito
mentem radicare.

3. Sic mores et opera
curet ordinare,
Ut his regem gloriae
valeat placare
Et exemplum proximo
sanctae vitae dare,
Sic magnus vocabitur
in supremo lare.

4. Tamquam miles strenuus
ad bellum paretur,
Hostes tres nequissimos
vincere conetur,
Mundum, carnem, daemonem,
contra quos armetur
Optimis virtutibus,
et palma fruetur.

5. Daemonis tyrannidem
vincit humilitas,
Et carnis lasciviam
ciborum parcitas,
Spernit mundi gloriam
perfecta caritas,
Quia solum quaerit haec,
quae zelat deitas.

6. Debet ergo primitus
sic humiliari,
Quod nunquam superbiam
sinat dominari
In gestis, in actibus,
nec superba fari
Quaerat ullo tempore
neque meditari.

7. Si multis virtutibus
fulgeat praeclare,
Ut forma, scientia,
cantu, se levare
Inde super ceteros
neque se iactare
Debet, immo Domino
gratias libare.

8. Virtutes destruit
cunctas superbia,
Ad horribilia
ducit supplicia,
Vehit humilitas
ad caeli gaudia,
Virtutes congregat,
consumit vitia.

9. Oboedientiam
superioribus
Semper exhibeat
et senioribus
Honorem maximum,
simul et paribus
Placere studeat
in bonis omnibus.

10. Confratres singulos
amet communiter,
Nullum despiciat
neque carnaliter
Haerebit cuiquam,
dico salubriter,
Quod Deo displicet
zelare taliter.

11. Pro cunctis fratribus
legere, cantare
Devote studeat
atque ministrare,
Quod monet regula,
iugiter servare,
Salutis monita
nunquam reprobare.

12. Opus caritatis
impendat omnibus
Atque pietatis
puris affectibus
Precetur pro malis
et persequentibus,
Glorificetur
sic in caelestibus.

13. Caritas virtutum
tenet principatum,
Illa reddit hominem
salvatori gratum,
Cum qua quod facimus,
erit approbatum,
Sine qua non proderit
opus consummatum.

14. Saepe confiteri
peccata levia
Debet, nec scrupulum
in conscientia
Ullum permaneat,
sic cum fiducia
Tractare poterit
Dei mysteria.

15. Vitae puritatem
teneat sincere,
Spernat hominibus
sanctus apparere,
Nullus hypocrita
Dominum videre
Valebit, qui solum
his studet placere.

16. Diebus et noctibus,
cum debet psallere,
Quod profert labiis,
mente revolvere,
Divinis laudibus
debet intendere,
In quibus caveat
fictus exsistere.

17. Quaecunque poterit,
instanter agere
Conetur, optima
studens perficere;
Ignorat quilibet,
si diu vivere
Vult eum Dominus
an mori propere.

18. Ubique velit se
mature gerere,
Quietem diligat,
spernat discurrere,
Piis affectibus
salutem quaerere
Et preces Domino
devotas fundere.

19. In bonis in claustro
quaerat occupari,
Cantum repetere
vel quid operari,
Multi per otium
feruntur damnari,
Virtutum quod solet
noverca vocari.

20. Instructus ad plenum
nitatur discere,
Ut sacra doctrina
possit instruere
Alios et sancte
tempus expendere,
De quo rationem
se sciat reddere.

21. In locis debitis
servet silentium,
Quod pacis nutrix est
et custos mentium,
Ubique caveat
garrire nimium,
In multiloquio
non deest vitium.

22. Sit in capitulo
quandoque clamatus,
Defendat aut neget
proprios reatus
Nunquam, sed veniam
postulet prostratus,
Ibi cavillator
nec sit advocatus.

23. In refectorio
corpus reficere
Sedens, quod legitur,
debet attendere,
Allatis sobrie
de cibis sumere,
Quae fratres fercula
habent, nec quaerere.

24. Devitet crapulam,
gulam per omnia,
Quae trahunt homines
ad multa vitia,
Furores suscitant,
lites et odia,
Ducunt ad inferos,
claudunt caelestia.

25. In dormitorium
pergens quiescere,
Antequam dormiat,
a Christo petere,
Ne sibi daemones
sinat illudere,
Et somnolentiam
nitatur fugere.

26. Si magna deprimat
corpus infirmitas,
Christo persolvere
non cesset gratias,
Quem zelat filium,
castigat deitas,
Quem placat nimium
cordis suavitas.

27. Si quibus de causis
animus turbetur
Recurrat ad Christum,
qui tristi medetur,
A quo remedium
pronus deprecetur,
Et mentis dulcore
statim potietur.

28. De claustro veniens
iocandi gratia
Linguam custodiat,
ne fetur turpia,
Nociva, frivola
neque scurrilia,
Nam mores optimos
corrumpunt talia.

29. Nulli detrahere,
nullum depravare
Nec in absentia
quemquam iudicare
Nec linguam noxiam
velit auscultare,
Haec Deus et homines
norunt reprobare.

30. Nullum deridere,
nullum provocare
Nec se de propriis
gratiis iactare,
Omnibus minorem
debet se putare,
Commmotos leniter
conetur sedare.

31. In corde, labiis
non sit invidia,
Mordax detractio,
nulla superbia,
Multos diabolus
per ista vitia
Mortales pertrahit
ad gehennalia.

32. Si videt socium
magis honorari
Et ad solacia
saepius vocari,
Non inde dolere
debet, sed laetari
Tunc gloriosius
sciens coronari.

33. Auscultans aliquem
fratri detrahere
Festinet comminus
aurem avertere,
Vel eum moneat
pie quiscere
Addens, quod animam
sic potest perdere.

34. In corde nunquam
sinistra machinetur,
Optima de cunctis
semper suspicetur,
Sed cordis latebras
proprii rimetur
Nunquam, fratris quia
cor Deus intuetur.

35. Si fratrem quempiam
videt delinquere,
Secrete leniter
debet corripere,
Et si renuerit
sese corrigere,
Superioribus
haec innotescere.

36. Si dicat aliquis
multa convicia,
Sibi respondeat
commoto dulcia,
Eius sedabitur
mox iracundia,
Et coronabitur
pro patientia.

37. Ira si movetur,
non hanc procedere
Sinat ad odium,
sed mox dimittere
Ut homicidium;
non debet spernere,
Si laedat, veniam
non tardet petere.

38. Habere cum bonis
gliscat consortia,
Qui bona praedicant
et spiritalia,
Malorum penitus
vitet colloquia,
Ipsum ne maculent
sua malitia.

39. Submisse rideat,
nolit cachinnare,
In loquendo vocem
nimis exaltare,
Vultumque paululum
curet inclinare,
Nec sinat oculos
undique vagare.

40. Dicta iuramento
spernat confirmare,
Nam Christus prohibet
omnino iurare,
Nulli maledicat,
nullum flagellare
Debet, sed in cunctis
sese moderare.

41. Adulationis
verba devitare
Pravum consilium
nulli debet dare,
Veritatis tramite
nunquam declinare,
Ad bonum patrandum
cunctos animare.

42. Nil donet nec sumat
sine licentia
Neque desideret
quaeque munuscula
Ut bursas, knipulos
et consimilia,
Paulatim decidunt
quaerentes talia.

43. Non exteriora
captet officia,
Non equos scandere
pulchros, donaria,
Diversa gaudia,
nam sunt inania,
Elongant eminus
a vera gloria.

44. In his occupatos
multos torpescere
Scimus in divinis
et ficte psallere,
Venire tardius,
redire propere
Carnis solacia
cuncta perquirere,

45. Vagari nimium,
corrupte dicere
Dei servitium
pluraque facere,
Quae Deo displicent,
quae cesso promere,
Ergo vitabit haec,
qui vult proficere.

46. Si roget praelatus,
in his deservire,
Ut corvus ab arca
non debet exire,
Sed velut columba
clementer redire,
Sic securus erit
in diebus irae.

47. Hinc bene consideret,
quam brevis gloria
Est mundi miseri,
quam deceptoria,
Ut fimum foetidum
contemnat omnia,
Haerebitque claustro
summa laetitia.

48. Nam claustrum separat
a vanitatibus
Saecli, multimodis
foedis affectibus,
Pravis auditibus,
malis faminibus,
Multum glorificat
in summis sedibus.

49. Hanc brevem scedulam
qui vult inspicere,
Discet, se qualiter
in cunctis gerere
Intus, exterius,
beate vivere,
Quid sequi debeat
et quid neglegere.

50. Si mens erigitur
usque caelestia
Et quanta cogitet
fruentur gloria,
Qui Deo serviunt
magna constantia,
Hanc normam sequantur
tota potentia.

51. Si haec non sapiunt,
saltem supplicia
Inferni terreant
ineffabilia,
In quibus regularis
quaerens carnalia
Magis torquebitur,
mundique gaudia.

52. Conemur igitur
illa sic spernere,
Ita spiritui
carnem subicere,
Ut caeli possimus
cives exsistere,
Quod nobis tribuat
regnans in aethere.

Cod. Palat. Matriten. 2 N 4. saec. 13/14. — 5, 7 Quae solum. — 8, 1 sq. cunctas destruit. — 23, 8 non habent. — 29, 8 nolunt, l. volunt? — 41, 7 Et ad bonum.

223. De Habitu et Conversatione Monachorum.

1. Adeptus quisque munere
Locum virtutis culminis
Cautus debet conscendere,
Vanam cavere gloriam.

2. Bellator contra vitia
Tumorem mentis deprimat,
Per quem elatus zabulus
Caeli reliquit sedibus.

3. Carne devicta anima,
Magnum laborem dedita,
Timenda semper vanitas,
Ne bonum perdat misera.

4. Donum, quod Christus tribuit
Suisque servis subditis,
In Dei vertant gloriam,
Ne magna perdant praemia.

5. Expertus quoque monachus
Sanctis delectet habitus
Tantumque fiat humilis,
Ne mundi quaerat laudibus.

6. Fractus a fame teneat
Amator abstinentiam,
Relinquat vitâ perdita,
Hypocrisis exempla.

7. Gravis, in mente quietus,
Religione deditus,
Aptus in vultu clareat
Placabilisque omnibus.

8. Humilis in vestibus,
Sanctis ostendat moribus,
Ne foris quidem simplicis
Intus recludat maculas.

9. In bonis currat actibus,
Qui dudum fuit reprobus,
Dolens compunctus ambulet
Et plures fundat lacrimas.

10. Kartarum lector paginis
Frequenter oret saepius,
Malis commutet moribus
Et multum sit pacificus.

11. Lapsus in tactus criminum
Laudare debet Dominum,
Non sit securus nimium,
Ne turbas iungat daemonum.

12. Minus perfectis meritis
Iugis implorent precibus
Deumque caeli ditius,
Qui pius fuit parvulus.

13. Non sit linguosus monachus,
Sed paucis verbis deditus,
Suis refrenet labiis
A pravisque eloquiis.

14. Obscena verba, turpia
Et risumque moventia
Tantum vitemus plurimum
Velut venenum aspidum.

15. Pauper pro Christo subditus,
Nullum detrahant fratribus,
Ne post exitum animae
Possideatur inferus.

16. Quicumque sumptus saeculo
Pro Christo caret munere,
Non sit in corde murmurans,
Ne bonis perdat omnibus.

17. Religione cupidus
Non multum miret virgines,
Suos avertat oculos,
Ne sibi tradat laqueos.

18. Suspecti sint et vigiles
De suis sanctis meritis,
Puri, confessi cordibus
Suis allidant parvulis.

19. Tempusque brevi praestitum
Nullum ducamus vacuum,
Finem ornemus operis
Nostrum pensantes temporis.

20. Uita vilescat saeculi
In sensu quoque monachi,
Non sit in rebus cupidus,
Ne mundi quaerat laudibus.

21. Xristus nobis prae omnibus
Orandus saepe Dominus,
Ut nos infirmos protegat,
Suos conservet famulos.

22. Ymnisque Dei plurimis
Mente rogemus humili,
Ut taetris quoque daemonum
Sub nostris subdat pedibus.

23. Zelo amoris proximi,
Fratres in unum conditi,
Hostem vincamus invidum
In caritatis vinculo.

24. Gloria tibi, Domine,
Gloria unigenito
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Cod. Bruxellen. 8860—67. saec. 10. — 3, 1 Carmen devicta. — 5, 1 sq. Lies Expertum quoque monachum sanctus delectet habitus oder Expertus quoque monachus sancto delectat habitu? — 6, 1 Factus a fame. — 6, 2 abstinentia. — 6, 3 Lies vitam perditam? — 6, 4 Lies Hypocrisisque? — 8, 3 semplicis. — 18, 4 parvolis; lies parvulos? — 21, 2 orando. — 23, 1 proximus. — An der eigenartigen Latinität sind vielleicht die wenigen Änderungen schon zu viele.

224. De Patientia habenda in Capitulo.

1. Tu, qui digne vel indigne
Hic fueris proclamatus,
Tam benigne velut igne
Caritatis inflammatus
Respondeas et gaudeas
Tuis culpis emendatus.

2. Pro te Christus accusatus,
Flagellatus obmutuit,
Ad extremum dulce latus
Aperiri voluit,
Ut intrares ad cor eius,
Iter tibi praebuit.

3. Te nunc precor, ne ingratus
Tantis donis sis fraudatus,
Tui memor sis reatus,
Pati semper praeparatus,
Cum pro te sit morti datus
Qui pro se nil meruit.

Collect. Cistercien. Hemmerden. saec. 15. Cod. Vindobon. Palat. 4781. A. — Collect. ms. saec. 15. Clm. Monacen. 641. B. — Collect. ms. saec. 15. Cod. Graecen. 1294. C. — 1, 1 digne ut indigne A. — 1, 2 hic stas B. — 1, 3 Tu benigne BC; velut fehlt C. — 1, 4 Claritatis A. — 1, 5 Rem videas A; et fehlt C. — 1, 6 De tuis A. — Nach 2, 2 schiebt A ein: Opprobriis saturatus Clavos, crucem sustinuit. — 2, 6 Iter sic A. — 3, 2 Tanti doni A; Cunctis fraudatus sis bonis C. — 3, 4 semper sis A; Atque pati sis paratus B. — 3, 5 Cum sit pro te C. — 3, 6 nihil A. —

In A steht vor dem Liede, in B (unmittelbar) und C (etwas später) nach demselben: „Stetit Iesus ante praesidem inclinato capite, defixis in terram aspectibus, vultu placido, sermone raro, paratus ad opprobia, promptus ad verbera; dieses mit einigen unwesentlichen Varianten. Daran schliefst sich in C:

Sic stemus et nos in capitulo
Sicut Christus in praetorio,
Sustinete hic virgam corripientem,
Ne sentiatis malleum percutientem.

Statt dessen in B:

Tu quotiens haec toleras,
Diabolum colaphizas.

Der gleiche Gedanke in C vor dem Rhythmus:

Totiens diabolum percutiemus,
Quotiens sic humiliter respondemus.

Die Aufschrift des Liedes ist nach B. In A lautet sie: „Venerabilis pater noster sanctus Bernhardus haec metra composuit;“ in C: „Beatus Bernhardus de reverentia capituli. Statt dessen hat B die Aufschrift Ieronymus.

In der „Vita Thomae a Kempis, Francisco Tolensi canonico regulari authore“, vorgedruckt den „Opera omnia Thomae a Kempis. Coloniae Agrippinae 1788.“, heifst es p. 29: „Habebat [Thomas] pro more certis in septimana diebus se flagro affligere cantilando Hymnum illum „Stetit Iesus“. Ob damit vorstehender Rhythmus nebst der Einleitung eben dieses Anfanges, die in Reimprosa ausläuft, gemeint ist? Daniel (V, 406) citiert die genannte Stelle aus einer Quelle zweiter Hand; Chevalier macht im Repertorium auf dieses hin einfach den Thomas a Kempis zum Verfasser des Hymnus.

225. Oratio dicenda in introitu lecti.

I.

Deprecor, ut damnes phantasmata, sancte Iohannes,
Dum dormito, meus sis custos, sancte Matthaeus,
Huic animae praesto defensor, Luca, adesto,
Quae sunt in felle, procul omnia, Marce, repelle.

II.

Angele, qui meus es custos, pietate superna
Me tibi commissum salva, defende, guberna.

III.

Ore tuo, Christe, benedictus sit thorus iste,
Dormiat in Christo, qui lecto dormiet isto.
Per crucis hoc signum fugiat procul omne malignum
Et per idem signum salvetur omne benignum.

Brev. Arremarense saec. 15. Cod. Parisien. 1363.

226. De bonis operibus.

1. Unicus, ob Christum vivus quem porrigis, assis,
Cui gravis incumbit pauperies, misero,
Gratior est Christo, tibi reddituosior ipsi,
Quam si post mortem mille talenta sinas,
Vel solidum ex auro tangentem vertice caelum
Legares montem pauperibus moriens.

2. Passio lacrimulam si Christi evulserit unam
Plenaque peccatis magna crumena tuis,
Gratior est Christo, tibi reddituosior ipsi,
Quam si pro mundo fluxeris in lacrimas,
Vel si profusis aequaret flumina plorans
Lacrimulis mundi turbine pressus homo.

3. Verbum, quod nequam dicet tibi proximus ore
Asperum, si Christi victus amore feras,
Gratior est Christo, tibi reddituosius ipsi,
Quam si discrucies omnia membra tibi,
Vel tot percusso frangas in corpore virgas,
Quos campus vel quot frondea silva gerit.

4. Somnum rumpe tuum, quo Christum pervigil ores
Nocte sub obscura, cum magis grata quies,
Gratius est Christo, tibi reddituosius ipsi,
Quam si sanctorum mille sepulcra petas,
Vel si bis saevus miles tua tolleret ossa
Proque anima peteret trans mare templa tua.

5. Si tua pauperibus peregrinis tecta patebunt,
Ac eis in cunctis obsequiosus eris,
Gratius est Christo, tibi reddituosius istud,
Quam si ieiunes tempus in omne tuum,
Vel si castiges per singula sabbata ventrem,
Ut ter ieiunum panis et unda cibet.

6. Si pro te supplex animam corpusque rogando
Committes Christo voce, fide, gemitu,
Gratius est illi, tibi reddituosius istud,
Quam pro te mater si sua sancta roget,
Vel pro te sanctus rogitaret et angelus omnis
Orans pro culpa proque salute tua.

7. Adversum, quodcunque tibi contigerit, omne
In dextram partem si tuleris patiens,
Gratius est Christo, tibi reddituosius istud,
Quam si nota foret pagina sacra tibi,
Vel si pro meritis multis virtutibus auctis
Lux tua se Pauli sublevet usque polum.

8. Laeto fer animo, quaecumque ferre necesse,
Et tibi sit libitum, quod secus esse nequit,
Gratius est Christo, tibi reddituosius istud,
Quam mundo centum visere templa pede,
Vel peregre errantem fontes liquisse cruoris,
Qua se cumque pedis verteret umbra tui.

9. Mundanum, quodcunque iuvat, quod praeterit omne,
Abice nec rebus talibus adde fidem,
Gratia sola Dei tibi perquiratur, ab ipso
Quae datur his, illam quaerere qui satagunt,
Donec inveniant, quoniam non sufficit illam
Quaerere in extremo, limite tenta venit.

10. Gratius hoc Christo, tibi reddituosius ipsi,
Quam si concisus vulnera mille feras,
Vel, si quae ad caelos consurgeret usque columna
Passim vel clavis obsita vel gladiis,
Percurrenda tibi noctesque diesque perennet
Sanguinis exspergens larga fluenta tui.

Orat. ms. Italicum saec. 15. ex. Cod. S. Ignatii Londinen. s. n. — 2, 5 aequarent. — 6, 1 per te. — 10, 5 diesque permanet. — Aufschrift: „Albertus magnus episcopus rogans Dominum, ut sibi revelaret, quae ei essent placita et homini proficua, infrascripta revelavit Christus.“

227. De Paupere reficiendo.

Ad mensam resides sumens epulas potiores,
Et pauper clamans esurit ante fores;
Eiusdem carnis, eiusdem conditionis,
Quae tu fastidis, indiget ille bonis.
Non tibi quaerit opes nec delicias epularum
Exspectans modicum, sufficietque parum.
Da sibi vel modicum, Deus hoc in paupere clamat;
Ni misereris, odit, si misereris, amat.
Pauperis esto memor, quia, ni miseri misereris,
Iudicis ante thronum non miserandus eris.
Divitis et Lazari memor inter fercula vive,
Ne sit perpetuo perpetuum tibi vae.

Clm. Monacen. 14343. saec. 14.

228. De Humilitate.

1. Cor tumens superbia,
disce non inflari,
Non te, quaeso, pigeat
Iesum imitari,
Quem indigne conspicis
viliter tractari,
Qui caeli agminibus
scitur honorari.

2. Disce falsam promere
gloriam honoris
Laudesque contemnere
humani favoris,
Dum te vilem reputat
homo videns foris,
Tu te vilem oculis
penses creatoris.

3. Ut quid ergo murmurans
miser indignaris,
Si coram hominibus
vilis reputaris?
At magis in oculis
Dei reputaris,
Coram quo pro meritis
vilis comprobaris.

Orat. ms. saec. 15/16. Cod. Sangallen. 517.

229. De Vitiis Capitalibus.

1. O vos, quos antiquus hostis
Fallit, nec errorem nostis,
Invalidi in lite,
Qui peccatis adhaeretis
Et a vobis removetis
Aeternae regem vitae,
Ad mea, decepti
iuvenes, praecepta venite.

2. Quamquam decor imperitus
Homo tu, qui irretitus
Es sagena doli,
Aurem praebe meis dictis
Et docebo dolis lictis
Perfectam vitam poli.
Utile consilium
proborum temnere noli.

3. Pro peccatis ingemisce
Fletu fuso et addisce,
Quantum peccatum olet,
Deo supplex semper esto,
Qui est paenitenti praesto,
Dum pro culpa dolet,
Per lacrimas flecti
principis ira solet.

4. Confitendo te mundato,
Convertendo cor culpato,
Quod unquam mala gessit,
Nisi tu mundatus fias
Per confessionem, scias
Nil boni in te crescit,
Sincerum nisi vas,
quodcunque infundis, acescit.

5. Qui tu offendisti Deum
Arrogando, te da reum,
Superbiam minores,
Quae est radix peccatorum
Portas clauditque caelorum
Et dirimit honores;
Inquinat egregios
adiuncta superbia mores.

6. Avaritiam fugato,
Tuas res partificato
Illi, qui egescit;
Miser est, cuius cor rodit
Cupiditas, quam Deus odit,
Quae satiari nescit;
Crescit amor nummi,
quantum pecunia crescit.

7. Gaude, noli invidere
Proximo, cum sit in aere
Saluteque sublimis,
Illorum fuge pravitatem,
Qui propter felicitatem
Bonorum dolent nimis.
Invidus alterius
rebus marcescit opimis.

8. Ad iram noli provocare
Aliquem nec irascare,
Nam Deus amat mites,
Pax in cellis est protecta,
Unde ira est proiecta,
Hinc iram, homo vites;
Utile sit nobis
nullas componere lites.

9. Fuge crapulae foetores,
Quia perdit bonos mores,
Virtutis est mendica,
Gentem Deus odit plane,
Quae vacat gulae, caro mane
Nam raro est pudica;
Indulgere gulae
noli, quia ventris amica.

10. Tu luxuriam obscenam,
Quae aeternam infert poenam
Toto vites conatu,
Honor, vita syncopatur,
Bursa nummis vacuatur
Luxuriae reatu,
Nunquam luxuria
parvo contenta paratu.

11. Non acidia graveris,
Ad virtutes velox eris
Tamquam volans pennis,
Qui acidia detenti,
Ad virtutes somnolenti,
Mergentur in gehennis;
Nullus homo segnis
vitae fert dona perennis.

12. Caveas, ne converseris
Fatuis, sed imiteris
Consortia bonorum,
Nam cum sancto sanctus eris,
Cum perverso perverteris
Consortiis eorum;
Semper iniquorum
scelus impedit acta bonorum.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen) 883. saec. $^{14}/_{15}$.

230. De Avaritia.

1. Pratum vidi spatiosum,
In aspectu speciosum,
Quod nondum ab aestu rosum
Florem gessit generosum
Et decorem varium;
Pascebantur in hoc prato
Adam, Abram, Noe, Plato,
Legislator, David, Cato,
Tam Herodi quam Pilato
Id erat solacium.

2. Nulla deerat creatura,
Quae terrena colit rura,
Et quam rursum dicam plura,
Vates et qui norant iura
Inibi convenerant;
Lingua graeca, plebs Hebraea,
Innocentes, turba rea,
Publicanus, Cananaea,
Iuno, Venus, Pallas dea
Cum praemissis aderat.

3. Legebantur prophetiae
Danielis, Malachiae,
Visiones Isaiae,
Dulcis clangor symphoniae
Resonabant iugiter,
Quod Susanna criminatur,
Ioseph in Aegyptum datur,
Quod Iesus transfiguratur,
Romae Petrus exaltatur
Est auditum pariter.

4. Monialis, exorcista,
Praesul, abbas et artista,
Musicus cum citharista,
Scriba doctus et sophista
Hic gerebant placita.
Vasa pulchra, recens merum,
Auri cultus, gemma rerum,
Forma decens mulierum
Et aroma specierum
Illic erant posita.

5. Laudula cum philomena
Voce concinunt amoena,
Non sentitur ibi poena
Cunctis animantibus plena
Inerat laetitia;
Unicornis, cervus, leo
Ludos exercebant eo,
Recitare tam non queo,
Quae creata sunt a Deo
Plura animalia.

6. Inter ista sitibundum
Monstrum vidi, et rotundum
Ventrem gessit et profundum,
Quasi rodens totum mundum,
Nulla sibi caritas;
Venter eius tumefactus,
Venenosus et distractus,
Odoratus, gustus, tactus,
Principalis alter actus,
Vanitatum vanitas.

7. Per odorem resitivit,
Quod per gustum concupivit,
Tactus lucra non odivit,
Omne, quod in mundo vivit,
Nitebatur rapere.
Esse reor hoc avarum,
Qui tam dulce quam amarum
Alienum putat carum,
Sive multum sive parum,
Nihil volens spernere.

8. Qui tot coacervat marcas
Et recondit has in arcas,
Deus, illi nunquam parcas,
Sed fac voret illum varcas
Sua propter vitia;
Quanto magis illi datur,
Tanto minus satiatur,
Satan illud operatur,
A quo tandem suffocatur
Derelinquens omnia.

9. Sunt custodes idolorum,
Caeci, duces sunt caecorum,
In conspectu angelorum
Corda nunquam psallant horum,
Desinit cupiditas,
Semper gaudent esse pleni;
Vade dicunt et non Veni,
Cum auditur vox egeni,
Compar est naturae foeni
Eorum iniquitas.

10. Flos et foenum virent mane,
Vespere marcescunt plane,
Sic tales in vita sane
Transeunt in vas inane
Cum eorum gloria;
Sicut arbor resecatur
Et in ignem deportatur,
Et ut cinis vento datur,
Ita puto suffocatur
Ipsorum memoria.

Collect. ms. Stiriacense saec. 15. Cod. Stiriacen. L 26 [s. n.]. — 2, 2 colit iura. — 5, 7 in eo. — 8, 4 foret. — 9, 4 Corda nunquam psallat ut horum. — 10, 6 Sicut ergo arbor. — Dies Lied steht fol. 16 b; fol. 19 b steht folgende einzelne Strophe gleichen Versmafses, die vielleicht der Schlufs zu obigem Gedichte:

O custodes animarum,
Pastores ecclesiarum,
Imperitum et ignarum,
Precor, auscultate parum
Et verba attendite;
Vos, qui vero insudatis,
In ardore caritatis
Incorrecta corrigatis
Et si dictum non est satis
Dictatori parcite.

231. De Malo Exemplo.

Mundus errat, ut apparet,
Nam si mundus non erraret,
Et nostrorum esset fides
Vera nunquam, sicut vides.

5. Clerus gente laicali
Viveret vita in tali
Sicut facit tota die,
Nam usurae, simoniae
Nec non species ipsarum,

10. Quas colere nolunt parum,
Alieno palliare
Et sic iustas nominare

In peccatis sunt adfixi,
Crebris usibus obnixi,
Quod vix usquam invenitur
Custos vel sacerdos scitur
Seu persona laicalis,
Quin sit in his partialis.
Hoc mirandum hac de gente
Est vulgari, nesciente
Textus evangeliorum,
Nam cum facit dux eorum,
Qui sit iustus et devotus
Et perfectus fere totus,
Hoc, quod solet increpare,
Arguit et dicit: quare
Nos non illud faceremus?
Rationem non videmus,
Cum sacerdos literatus,
Qui ad hoc est ordinatus,
Ut serviret Deo caeli
Puro corde et fideli
Ut peccataque vitaret
Et nos rudes informaret,
Hoc non timet operari,
Non est illud criminari.
Et sic peccant plus praelati
Clericique literati
Isti quam simpliciani,
Qui scientiis sunt vani.
Nam in se et in vulgares
Isti peccant et in pares;
Multi enim non peccarent,
Isti si non inchorarent.
Ergo, clere praeelecte,
Dei sorte vivas recte,
Sis ne Simon vel usurans,
Harum species nec curans,
Ne damneris et perdantur,
Qui te in his imitantur.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. $^{14}/_{15}$. — Aus derselben Quelle Huemer, Wiener Studien V, 153.

232. Lessus Paenitentis.

Parce flenti et dolenti,
Summe rerum arbiter,
Nam mandata per te data
Sum transgressus nequiter.
Erubesco et tabesco
Tuam timens faciem,
Dum meorum delictorum
Perpendo congeriem.
Ingens metus atque fletus
Meam turbat animam,
Pavet sensus, dum suspensus
Horam timet ultimam.
Quis futurus est securus
In illo examine,
Quando patent, quae nunc latent,
Arguente lumine?
Deo cara, viam para
Nobis ad caelestia,
Ubi frui Christi tui
Mereamur gloria.

Cod. Londinen. Ar. 201. saec. 13.

233. Lessus Paenitentis.

Vitae dator et plasmator
Ac redemptor hominis,
Clavis David, quem portavit
Venter almae virginis.
Benedicte rex, dimitte
Mihi cuncta debita,
Quae contraxi, nam haec auxi
Semper agens vetita.

3. Heu, quam male spiritale
Bibendo mysterium
Violavi, nam foedavi
Me per omne vitium.

4. Male feci, quod subieci
Pravis me spiritibus
Serviendo et favendo
Sceleratis actibus.

5. Fili Dei, cordis mei
Dissipa caliginem,
Ne descendam in horrendam
Inferni voraginem.

6. Interventu et obtentu
Matris tuae virginis
Me timore et amore
Tui reple nominis.

7. Pius esto, memor esto,
Quid pro nobis feceris,
Pro indignis et malignis
Quanta sustinueris.

8. Preces audi et custodi
Nos a cunctis hostibus,
Exoratus et placatus
Matris tuae precibus.

9. Intercedat haec et reddat
Nobis te placabilem,
Quae portavit atque pavit
Lacte factum humilem.

10. Propter eam, quaeso, meam
Munda conscientiam,
Ne offendam reverendam
Vultus tui gloriam.

11. O beate, pietate
Tua me iustifica,
Quid agendum, quid dicendum,
Mihi semper indica.

12. Deus homo, fac de domo
Nos exire carceris
Et iam dones mansiones,
Quibus ipse cerneris.

13. Tuum vultum inoccultum
Tuis iam fidelibus
Manifesta atque praesta
Pacem te colentibus.

14. Fac intrare nos praeclarae
Tuae domus atria
Atque bonis mansionis
Nos supernae satia.

15. Tibi nato cum beato
Patre laus et gloria
Flaminique, qui utrique
Compar est per omnia.

Cod. Londinen. Ar. 201 saec. 13.

234. Lessus paenitentis.

1. Clamat, ecce, supplex mea
Nunc ad te miseria
Petens, ut digneris tua
Me misericordia
Hac respicere in hora
Torpentem socordia.

2. Age, iam mei mollita
De cordis duritia
Educ, quaeso, modo multa
Lacrimarum flumina
Ad facinora deflenda
Simul et flagitia.

3. Graviter peccavit mea
Nam tibi dementia,
Fortiter succurrat tua
Sed mihi clementia,
Quoniam est tibi tanta
Ceu nulli potentia.

4. Tu es trinus, tu es unus,
Tu es potentissimus,
Ob hoc meis da dignatus
Flumina luminibus
. . . . . .
. . . . . .

5. Tu petram in stagna dudum
Convertisti laticum
Atque rupem in aquarum
Fontes multiplicium,
Tu potes cor ita meum
Emollire ferreum,

6. Tu pectus adamantinum
Reddere ut carneum,
Tu mutare hunc belvinum
In humanum animum
Veteremque vel antiquum
In iam novum spiritum.

7. Ad cadendum sola mea
Sufficit miseria,
Ad surgendum eget tua
Sed misercordia,
Quia inest mihi multa,
proh dolor, vecordia.

8. Porrige iam lapso manum,
Da luctum, da gemitum,
Dona fletum, dona planctum
Ploratumque plurimum
Facque cor humiliatum,
Conturbatum spiritum.

9. Plorem, pater, vehementer
Te donante iugiter,
Plorem, fili patris, semper,
Flagito suppliciter,
Plorem, spiritus o sacer,
Te favente impiger.

10. Lacrimer indesinenter
Et incessabiliter
Lamenter necnon instanter,
Infatigabiliter,
Ut post perpetim consoler
Tecum et exhilarer.

11. Summe pater, miserere
Ac misericordiae
Miseranter, quaeso, tuae
Clemens reminiscere
Et ad meum me attrahe
Forti Iesum robore.

12. Tuque, Domine, o Christe,
O caput ecclesiae,
Attractum, deposco, ad te
Me dignanter recipe
Et receptum solidare
In te noli spernere.

13. Tuque, o spiritus sancte
Ac dulcis paraclite,
Mei semper meminisse
Noli, rex, contemnere,
Sed da patrem filiumque
Atque te diligere.

14. Deus trine, Deus une,
Deus clementissime,
Trinitas colenda corde,
Mente atque pectore,
Unitas amanda valde
Omni nobis tempore.

15. Qui es quadri diligendus
Orbis in climatibus,
Sed mei plus irritatus
corporis, heu, sensibus,
Quam sis mundi a totius,
Credo, peccatoribus.

16. Miserere, quaeso, Deus,
Miserere concitus,
Succurre, deposco, prius
Quam inferni abyssus
Me absorbeat, quo nullus
Utilis est gemitus.

17. Respice quapropter prius,
Filius et spiritus,
Trinus Deus atque unus,
Pereat quam famulus,
Quem plasmasti tuis pius
Miserando manibus.

18. Manuum tuarum opus
Respice clementius,
Si respexeris, ploratus
Sequetur uberrimus,
Immo simul ululatus
Erit amarissimus.

19. Ego, pater, ille tuus
Prodigus sum filius,
Abs te procul exsul factus,
Qui fui diutius
Meretricibus coniunctus
Et consumptis omnibus,

20. Quae tu, bonus, es largitus,
Panis miser indigus,
Effectus fui subulcus,
Saturari cupidus
Siliquis, sed dedit nullus,
Quae dabantur suibus.

21. In me autem nunc reversus
Cum sim mendacissimus
Cumque tuae sciam prorsus
Multos penetralibus
Mercenarios in domus
Abundare panibus,

22. Reminiscens, quod benignus
Es atque piissimus,
Pietate tua fisus,
Quamvis indignissimus
Nomine servi misellus
Filiique penitus,

23. Advolutus clamo tuis
Eiulans vestigiis:
Pater mi, peccavi meis
In caelum miseriis
Atque coram te delictis
Gravibus et nimiis.

24. Non sum dignus dici tuus
Servus necdum filius,
Sed iamiam dignetur meus
Pater clementissimus
Tractare suam benignus
Pietatem citius.

25. Eripe de portis mortis
Me, pater amabilis,
Pereat ne tui iuris
Suis plasma meritis,
Abest panis, adest famis,
Pestis miserabilis.

26. Nemo panem habet vitae
Praeter te, altissime,
Quem nunc cernor esurire
Indignus percipere,
Sed gratuito largire
Tu, pius, hunc munere.

27. Saginatus est occisus
Fratri meo vitulus,
Qui fuit peregrinatus
A patre diutius,
Cum multis luxuriatus
Miser meretricibus.

28. Qui ad te ubi reversus
Fuit mendicissimus
Consumptis paternis rebus
Atque bonis omnibus,
Indigens suilis victus
Sed carens hoc funditus,

29. Inops panis, dives famis,
Ut est patris oculis
A longe respectus, priscis
Est donatus osculis,
Amplexatus et benignis
Vehementer brachiis.

30. Aliud nil fuit fessus,
Quod esset et filius
Eius ultra iam indignus,
Servis a fidelibus
Prima stola est indutus,
Inde manu annulus

31. Est confestim sibi datus,
Tegumenta pedibus,
Pariterque saginatus
Est occisus vitulus,
Sicque fuit epulatus
Tecum, pater, filius.

32. Ergo, quia est inventus,
Fuerat qui perditus,
Rediit resuscitatus
Et revixit mortuus,
Gaudio magno gavisus
Est cum servis dominus.

33. Igitur ego ipsius
Nunc ad te fraterculus
Clamo tuis advolutus,
Pie pater, pedibus,
Tuus, fateor, indignus,
Nihil minus filius.

34. Ecce, petit miser Hugo
Veniam sceleribus
Pro suis, offensum quibus
Te tristatur pluribus,
Quam polus ipse depictus
Splendeat sideribus.

35. Ergo, sicuti tunc pius
Nihil eras amplius,
Tam clementer es misertus
Nato currens obvius,
Miserere sic dignatus
Modo mei ocius.

36. Et quidem nil eo minus,
Verum multo amplius,
Peccavi tibi protervus
Diebus ac noctibus,
Ad bonum, proh nefas, tardus,
Ad malum promptissimus.

37. Iustificavi misellus
Meis facinoribus
Peccatores omnes, mundus
Quos tenet quadrifidus,
Proinde peto prostratus,
Miserere citius.

38. En, Iesu, quatriduanus,
Bone pastor, Lazarus
Mortis in sepulcro situs
Iamque nimis foetidus,
Monumento quamvis pressus,
Iamiam scatens vermibus;

39. Ecce, iacet interemptus
Multis pro criminibus,
Quae gessit e contra stultus,
Segnis, hebetissimus,
Privatus velut ambobus
Cum sensu luminibus.

40. Freme, freme, bone Iesu,
Ac turbare spiritu,
Lacrimare pio fletu
Servi pro interitu,
Propria qui semet manu
Interemit iamdiu.

41. Clama, clama, Iesu Christe,
Voce magna, Domine:
Prodi foras, tumulate,
Veni foras, Lazare,
Exi, exi ac procede
Iam mortis de carcere.

42. Si clamaveris me, Christe,
Redemptor piissime,
Exibo leto repente
Ac procedam propere,
Quin vita servum vocante
Fugiet mors rapide.

43. Ligatus pedes et manus
Faciemque Lazarus
Prodiit ille antiquus
Voce Dei excitus;
Sic ego, plus licet vinctus,
Non prodibo tardius.

44. Fili Dei, Christe, vivi,
Iube tui Lazari
Pedes, manus, ora solvi
Et abire desini
Et vestigiis advolvi
Sui sacris domini.

45. Tam tibi tuoque patri
Quam sancto spiritui,
Trino Deo atque uni
Corde, ore supplici
Grates ago, voce tali
Honore sub triplici:

46. Benedictus sit excelsus
Genitor et genitus
Spiritus necnon et sanctus,
perdulcis paraclitus,
Per quem suus est secundus
Suscitatus Lazarus,

47. Manicis qui magnis vinctus,
Constrictus compedibus,
Flammiferis destinatus
Poenarum ultricibus,
Quae tormentis exstant prorsus
Plenae multiplicibus.

48. Gloriam cantabo sane
Omni tibi tempore,
Si digneris evocare
Mortis me de limine,
Cui est vita cum patre
Et regnum cum flamine.

49. Tange, tange, Iesu Christe,
Meos clementissime
Oculos et squammas inde
Serpentinas abice
Fluminaque multa valde
Lamentorum elice.

50. Factor, terge et reterge,
Quo plus fluant lacrimae,
Fluant nocte, fluant die,
Ut possint restringere
Flammas, quae sunt mihi iure
poenis meis debitae.

51. Spiritus o sancte, pia
Respice me gratia
Et mersum mortis in ima
Me, precor, vivifica
Ac vivificatum tua
Luce iam illumina.

52. Gratis nam fecisti tua
Me misericordia,
Gratis, flagito, reforma
Demum et resuscita;
Gratis tua dantur dona,
Hinc dicuntur gratia.

53. Memento, Domine Deus,
Quod gignens ac genitus,
Ut est potens atque pius,
Sic tu nihilominus
Ante saecula benignus,
Mitis, potens, validus;

54. In quemcunque enim spiras,
Statim hunc vivificas,
Cum patre, cum prole tonas,
Regis et illuminas,
Gratiam cuivis donas,
Solidas et vegetas.

55. Quos placet, benigne vocas,
Vocatos sanctificas,
Humiles pius exaltas
Et altos humilias
Immundosque quosvis mundas,
Impuros purificas.

56. Quid plura? leprosos mundas,
Impios iustificas,
Cum patre proleque cunctas
Quasvis mentes recreas,
Insuper et recreatas
Pariter glorificas.

57. Quam ob rem te, Deus pie,
Postulo humillime,
Cito mihimet succurre
Cum patre, cum subole
Et ovi nimis infirmae
Gratiam iam tribue.

58. Da, precor, in te clamare
„Abba, pater, Domine“,
Necnon atque „Iesu Christe“
simul, quaeso, dicere,
Quin et te, o flatus alme,
Vocare humillime.

59. Da timere, da amare,
Da frequenter colere
Patrem, prolem sanctum atque
Da flatum diligere
Toto corde, tota mente
Toto necnon pectore.

60. Esto mihi timor ingens
Atque amor vehemens,
Diligam te nimis timens
Timeamque diligens
Serviamque contremiscens,
Contremiscam serviens;

Exue me, peto, meis,
Domine, flagitiis.

Collectaneum ms. Bernen. AA 90 I. saec. 10. — 2, 6 flatitia. — 5, 3 rupim. — 6, 1 adamentinum. — 6, 3 nunc beluinum. — 6, 5 Veteramque. — 13, 1 o sancte spiritus. — 17, 3 Trine Deus atque une. — 17, 5 plamasti. — 21, 5 domos mit überschriebenem u auf der Endsilbe. — 22, 5 serve. — 23, 4 In fehlt. — 28, 5 Indigens sumilli iunctus (oder vinctus?). — 29, 2 est panis oculis. — 29, 3 pristinis. — 29, 5 Amplexans. — 37, 1 misella. — 37, 5 prostrata. — 38, 1 En fehlt. — 42, 3 loeto. — 43, 1 manus et pedes. — 47, 3 Flamiferam. — 47, 6 Plena. — 49, 6 elue. — 50, 5 Flamma, — 53, 3 Ut es. — 57, 1 Quem. — 59, 6 Tete (oder Tote?). — Das Lied scheint unvollendet zu sein. Ob der 34, 1 sich nennende Hugo der Verfasser ist, wird dadurch zweifelhaft, weil der Name den Reim stört, vielleicht also nur dem Schreiber angehörte. — Vgl. Huemer in Wiener Studien V, 145 ff.

235. Lessus Paenitentis.

1. O Deus omnipotens,
rex archangelorum,
Tu creator omnium,
dominus caelorum,
Tua magna gloria
sit desuper thronum,
Dona mihi veniam
scelerum meorum.

2. Vaeh, vaeh mihi misero,
multum nam deliqui,
Vitae innocentiam
penitus amisi,
[Atque multa] scelera
turpiter commisi,
[Haec agendo per]didi
viam paradisi.

3. Vitiorum totus sum
sordibus pollutus,
Multis malis vitiis
multum sum imbutus,
Unde meus animus
intus est confusus,
Coram tuis oculis
non appareo tutus.

4. Vaeh, vaeh mihi misero,
quis me adiuvabit
Nisi Christus Dominus?
quis humiliabit
. . . . . .
. . . . . .
Mortuus sum, impium
hostem superabit.

5. Vaeh, vaeh mihi misero,
multum sum turbatus
Propter prava opera,
in quibus sum lapsus;
Unde meus animus
multum est gravatus,
Quia dono Domini
factus sum ingratus.

6. Lingua, manus, oculi
Deum offenderunt,
Pedes, crura, viscera
equidem fecerunt,
Aures impiissimae
mala audierunt,
Membra quidem omnia
valde peccaverunt.

7. Dignus sum omnimodo
poena infernali
Propter opera huius
prava mundi [mali],
Que dilexi nimium,
studio carnali
Vixi tamquam pecudum
mente bestiali.

8. Nosco certe, Domine,
nosco mea mala,
Qui sum malus nimium
multum et avarus,
Ipse iam confiteor
tibi voce clara,
Ut dimittas omnia,
quae commisi vana.

9. Sis mihi remedium
in confessione,
Ut valeat confessio
in oratione
Florere, o Domine,
pro devotione,
Fac me tecum vivere
in regno [Sione].

10. O redemptor omnium,
actor pietatis,
O salvator omnium
(et) dator sanitatis,
Lava meas maculas
. . . . . .
[Et] salva me miserum
a meis peccatis.

11. Tu de caelis veniens
pie descendisti,
De Maria virgine
carnem suscepisti,
Et crucis patibulum
[libens subiisti],
Pretiosum sanguinem
tu pro me fudisti.

12. Ergo, sancte Domine,
plenus bonitate,
Dona mihi veniam
tua pietate,
Imple meam animam
tua sanitate,
Fac me tecum vivere
in regno beate.

13. O vos sancti angeli
et virtutes caeli,
Adiuvate miserum
vos, amici Dei,
State in auxilium
peccatoris mei,
Ut per vos inveniam
locum requiei.

14. (O) vos sancti apostoli,
Iesu Christo cari,
Martyres, scholastici,
confessores clari,
Rogo a periculis
per vos liberari,
Ut in caelis merear
semper coronari.

15. O vos sanctae virgines,
castae purissimae,
Mihi quoque misero
pie subvenite,
Me indignum famulum
vestrum custodite,
Facite participem
gloriosae vitae.

Cod. ms. Univ. Bononien. 2825. saec. 15. — 1, 1 O fehlt. — 1, 3 Deus caelorum. — 1, 8 scelerum horum. — 2, 1 ein vaeh fehlt. — 2, 2 me deliqui. — 2, 3 Vitam. — 2, 6 amisi. — 3, 1 sum fehlt. — 3, 2 sum pollutus. — 4, 1 ein vae fehlt. — 4, 8 hostium. — 9, 5 Flore o Domine. — 9, 8 in regno pro oratione. — 11, 7 Pretiose. — 12, 8 in regno sanctae trinitatis. — 14, 4 Dei confessores. — 14, 5 Rogo, ut a. — 15, 5 Me dignum. — 15, 7 Facite me.

236. Lessus Paenitentis.

1. O pater Deus aeterne,
De caelis altissime,
Respice iacentem multis
Perforatum iaculis,
Singultibus in extremis
Suspirantem ultimis.

2. Invoco te, Iesu Christe,
Fili patris unice,
Cui est substantialis
Deitate similis,
Pietate factus homo
Virginis ab utero.

3. Advocatum te subnixe,
Spiritus paraclite,
Procedentem ab utroque
Flagito sanctissime,
Per te patrem filiumque
Credam omni tempore.

4. Unus es in trinitate,
Trinus unus, Domine,
Fabricator sempiterne
. . . . . .
Lapsum stude reformare,
Prostratum erigere.

5. Heu, miser per peccatum
Attraxi exordium,
In peccatis sum conceptus
Parentum sceleribus,
Huic natus luctuosae,
Proh dolor, miseriae.

6. Ex quo natus visum cepi,
Auditum obtinui,
Tactum, gustum, odoratum
A te, factor omnium;
Talibus ditatus donis,
studui lasciviis.

7. Beneficium accepi,
Non servans, ut debui,
Sed perverse errabunda
Defluxit infamia,
Quod ad bonum datum fuit,
In malum se contulit.

8. Sicque crescendo decrescens,
Multa mala peragens,
Quae me vexit cum perversa
Gravitas infantia,
Hanc post sibi effrenata
Rapit pueritia.

9. Adulescens perpetravi
Mala quaeque potui,
Verbis, factis, totus foedus
Cogitationibus,
Vitia sic sum lucratus
Miser pro virtutibus.

10. Iuventute iam constrictus
Peccatis, sceleribus,
Catenatus sum inductus
Servus ut emptitius
Volens, nolens per diversa
Reatus facinora.

11. Unde magna cum virtute,
Heu, cepi deficere
Amans malum, vitans bonum
Deserensque optimum,
Mensque fuit ruitura
Per quaeque flagitia.

12. Iam tunc coepi cogitare
Saeculo me tradere,
Delectari atque eius
Oblectationibus,
Adversa nec ulla timens,
Salutem despiciens.

13. Hierusalem linquens sanctam,
Civitatem optimam,
Verae quae est pacis visio,
Descenderam Iericho,
Huius mundi ad defectum
Totum dedi animum.

14. Insperate laqueatus
Cecidi improvidus
In manus tandem latronum
Dire saevientium,
Me quaerentium devorare
Leonina rabie.

15. Captum, caesum, vulneratum,
Spoliatum miserum
Reliquerunt semivivum
Ad terram depositum,
Duris flatibus spirantem
Paeneque exanimem.

16. Sic et omnis male captus,
Saeculo qui deditus
Sanctae pacis visionem
Dimittit Hierusalem,
Iericho lunae defectum
Adhuc tenens noxium,

17. Inde cadet in latrones
Videlicet daemones,
Vitiis misellum plagant,
Virtutibus spoliant,
Immortalitatem demunt,
Rationem nequeunt.

18. Iam velut ille captivus,
Cui nullus proximus,
Parens, notus et amicus;
Doloris quis conscius,
Nisi pius Deus meus,
Super omnes providus?

19. Sacerdos currens transivit,
Viso me praeteriit,
Perdidit compassionem,
Non sciens se hominem,
Pietatem habens nullam
Seu misericordiam.

20. Ut sacerdos, sic levita
Ipsa tenens devia,
Minor gradu, par in actu,
Simili exhibitu,
Mente transit ipse prava
Cordis cum duritia.

21. Transiens Samaritanus
Visum flexit placidus
Et respexit me iacentem,
Lividum et debilem,
Magna sua pietate
Accessit humillime.

22. Custos qui Samaritanus,
Christus Dei filius,
Peccatores sauciatos
Respexit ut filios,
A respectu pio cuius
Recreatur spiritus.

23. Secum ducens in iumentum
Corpus quidem carneum,
Ecclesiae quo sanandum
Ducimur ad stabulum,
Plagis aptans legis vinum
Gratiaeque oleum.

24. Respice nunc, Iesu Christe,
Pietatis unicae
Flecte visum tuum ad me,
Flagito, piissime,
Ut respectus queam mea
Plangere facinora.

25. Respexisti quondam Petrum
Peccato obnoxium,
Qui respectus flevit dure
Divino ex munere,
Ad gratiam restauratus
Permansit apostolus.

26. Respexisti et latronem
Sceleratum hominem,
Ut te Deum maiestatis
Fateretur humilis,
Meruit sic paradisi
Portas tecum ingredi.

27. Respexisti et Mariam,
peccatricem animam,
Quae compuncta sub momento
Haud se dedit nuntio,
Pedibus sed provoluta
Deflevit flagitia.

28. Lacrimis eos rigavit
Et capillis abluit,
Frequentibus stillans guttis,
Ut careret maculis,
Perunxitque pretiosi
Fomento antidoti.

29. Multum est sibi dimissum,
Quod dilexit plurimum,
Passionem veneratur
Huius, a quo diligitur,
Eius capiti unguentum
Superfundens pisticum.

30. O sancta tua voluntas,
Creator, et bonitas,
Respicis qui te sperantes,
Ut a morte revoces,
Bonus pastor, oves tuas
Reportas in umeris.

31. Sic, sic, pastor nunc iacenti
Languido ac debili
Elevandum manum praebe,
Velis me erigere,
Ut erectus possim stare
Coram te, dulcissime.

32. Plagas meas simul omnes,
Novas atque veteres,
Studeas sic tu curare,
Quaeso, bone medice,
Sim ut per te hinc securus,
Sanatus languoribus.

33. Oleum infundens sanctum,
Vinum simul optimum,
Tuum ponens in iumentum
Perducas ad stabulum,
Pellens mortem, donans vitam,
Fac, tecum ut veniam.

34. Duobus largitis nummis
Donis fulto mysticis
Stabulario committe
Mei curam gerere,
In tua reversione
Respice me, Domine.

35. Hoc Deus, pater ingenite,
Natus unigenite,
Par spiritus ab utroque
Procedens paraclite,
Deus unus, sempiterne
Regnator per saecula.

Cod. Admonten. 664. saec. 11. — „Rhythmus papae Leonis IX“. — 11, 5 fit ruitura. — 15, 5 suspirantem. — 16, 5 Hierusalem lunae. — 18, 1 ille fehlt. — Interessant ist die Endassonanz der katalektischen und akatalektischen Verse.

237. Lessus Paenitentis.

„Confessio Imbriconis episcopi Wirceburgensis.“

Cum bene perpendo, quid sim, mala semper agendo,
Nunquam cessando sed prisca novis cumulando,
Tunc me praeteritae confundit ineptia vitae,
Et lacrimas fundo sic ore loquens tremebundo:
Summe Deus, quid agam, quid agam, quia sentio plagam,
Plagam feralem, plagam, Deus, exitialem?
Nam, quod me laesit, penetrali cordis inhaesit.
Cuius plaga mali nisi cedat ab hoc penetrali,
Quis me curabit, quis saucia cordis levabit?
Tu solus, Domine, cuius praestant medicinae,
Ut desperatis redeat vigor integritatis.
En, ego confusus antiquos cogito lusus
Quaeque per aetates varias feci levitates.
Nil non temptavi sed nec fore dulce putavi,
Nilque fuit blandum, nisi quod patet esse nefandum.
Gustus et olfactus, auditus, visio, tactus

Nil mihi fecerunt aliud, nisi quod nocuerunt.
Nam, dum per gustum gula ventrem replet onustum,
Impletus venter mala suggerit impatienter.
Et Veneris telum pectus transfigit anhelum;
Dumque libido furit ac me velut ignis inurit,
A turpi Venere me non posset cohibere
Transfodiens hasta Phinees male corpora casta.
Sed nec odoratus caret in me labe reatus,
Quo sic erravi, quod ut Dathan superavi,
Qui luit erratum terrae subito per hiatum.
Insuper auditus semper peccare peritus
Uno tam diram verbo mihi concitat iram,
Ut pacis foedus non redderet hic citharoedus,
Qui tangendo lyram regis compescuit iram.
Quando per historiam lego caecatum Sedechiam,
Miror, tam vani quod sunt oculi mihi sani;
Sed quia iustitia tunc usus es in Sedechia,
Nunc me clementer supportas et patienter.
Si tactus modicus in Oza reputatur iniquus,
Arcam, ne caderet, dum sustentando teneret,
Dicere quid possum, quoniam miser inter eos sum,
Qui sacramenta tua tractant mente cruenta?
Num talis laicus merito non esset iniquus?
Ast, ego peccator videor legis fore lator
Et sublimatus per honorem pontificatus,
Cuius honoris onus multo fero crimine pronus.
Quippe quod iniunctum mihi sit scio per caput unctum,
Et quia lege data mihi sit manus ista sacrata,
Cur per ornatus, cur scandaliis decoratus?
Sed quae praetendo specie cultuque verendo,
Non ago, non operor super hoc ergo mihi metor
Et dolor est mentis magnus quasi percutientis.
Verbum doctrinae si tali claudere fine
Assidue cuperem, quod ego bona cuncta docerem,
Ipse prior facerem, tibi sic fortasse placerem.
Sed neque dicendo placeo tibi nec faciendo,
Verbo non prosum, reus autem si taceo sum;
Sic miser ignoro, quid agam, dubiusque laboro.
O quam mole gravi premitur mens conscia pravi!
Hei mihi, quid feci, quae qualia semina ieci!
O, quales messes meterem nisi tu pius esses!
Nullus damnatus fuit unquam tam sceleratus,
Sed neque damnandos adeo reor esse nefandos;
Nemo meis igitur par peccatis reperitur.
Nec despero tamen, sed adhuc exspecto iuvamen
Voce loquens humili: fer opem, patris unice fili,

Ad te suspiro, Deus, et tua dona requiro,
Qui desperatis confers tua munera gratis.
Tu condemnasti merito crimen protoplasti,
Sed licet iratus fueris, tamen es miseratus,
Quippe videns hominum genus ad mala quaeque supinum
Ire sub inferna pro traditione paterna,
Ut nos eligeres caeloque locare valeres,
Caelo descendis homo factus pro redimendis,
Natus mirifice de virginea genetrice,
Quae vitae porta, quamvis sit regibus orta.
Quando narratur stirps regia vel numeratur,
Thamar in hac serie censetur et uxor Uriae,
Utique peccatrix, legis sacrae violatrix.
O quam prudenter factum, quam convenienter,
Ut peccatores habuisses progenitores,
Per quem salvandus peccator erat miserandus!
Numquid, flos Iesse, non vis huius memor esse?
Annon et memor es, quantos in carne labores
Propter me tuleris? Non ergo mei misereris,
Pro quo sudasti, flagra, sputa, crucem tolerasti?
Ne, quaeso, Domine, me proicias sine fine,
Quem moriens redimis de mortis faucibus imis;
Et memor esto satis, precor illius pietatis,
Qua latro salvatur, cum discipulus reprobatur.
Haec etiam, care Iesu, pariter memorare,
Quod, cum vicisti mortem victorque redisti,
Quam tu mundasti, de qua prius ipse fugasti
Septem daemonia, te vidit primo Maria.
Quo facto pandis, quod iniquis iustificandis
Omnia fecisti, Iesu, quaecumque tulisti,
Quidquid fecisti, nobis factum voluisti.
Natus, passus obis, surgis, subis aethera nobis,
Ut nos eligeres lapsos caeloque locares,
Sed cum descendas, ut iusta quibusque rependas.
Iudex venturus, sua praemia cuique daturus,
Sola redemptorum tunc spes et vita tuorum,
Tunc commissorum pariter memor esto meorum.
Ne sit cum reprobis in abysso portio nobis,
Immo largire tecum simul astra subire,
Quo praecessisti, pretium mundi, caro Christi.

Collect. ms. Voraviense saec. 12/13. Cod. Voravien. 33 (111). A. — Collect. ms. inc. orig. saec. 13. Cod. Vindobonen. 878. B. — 1 mala semper B. — 7 adhaesit B. — 15 nisi constitit esse A. — 18 Nam cum B. — 20 Et ventris B. — 21 Cumque B. — 22 possit A. — 23 mala corpora B. — 24 sorde reatus B. — 26 subito terrae per B. — 33 Sed qui B. — 38 pertractant B. — 39 Cum talis B. — 40 Quis ego B. — 45 l. sandaliis? — 50 ego bona sique docerem A. — 56 damnandus B. — 68 pro condicione B. — 72 porta

quamquam A. — 81 mihi misereris A. — 83 Te quaeso Domine ne proicias B. — 85 Et memor esse satis potes A. — 89 pius B. — 97 fehlt B. — 99 Tunc subiectorum pariter memorare meorum B. — 101 tecum super astra B. — Imbrico v. Leiningen war Bischof von Würzburg 1125—1146.

238. De Accusatione hominis erga Deum.

1. Audi me, Deus piissime,
Impie vivendo peccavi
Nimis,
Mortem consecutus sum,
Oboediendo satanae
Captus sum.

2. Bone plasmator, audi me,
Longe factus sum a te,
Piissime,
Peccata mea ligant me,
Ut revertar ad te,
Adiuva me.

3. Coepi servire Domino,
Invidia diaboli
Vicit me,
Donum Dei habui,
Dies meos neglexi,
Heu me!

4. Deus invisibilis,
Qui sursum sedes, vide
Humilem,
Cor contritum, plango ad te,
Miserere super me,
Quia plasmasti me.

5. Exeant peccata,
Quae sunt in me confixa
Misero,
Abrenuntio diabolo
Et omnibus eius actibus
Adiuvante te.

6. Fiant mihi lacrimae
Panis die ac nocte
Cotidie,
Omnia mea crimina
Veniant in memoria
Ante te.

7. Gravia enim delicta
Gravia quaerunt lamenta,
Sic et in me,
Incesti quoque oculi
Fluunt mihi amariter
Undique.

8. Haec erat lamentatio
In alienis opibus
Et non in meis,
Aliena congregavi,
Caeli thesaurum perdidi,
Heu me!

9. Infra sancta regula
Nutritus fui dulciter,
Postmodum
Omnia mala perfeci,
Te solum non negavi
Omnipotens.

10. Kalumnia super calumnia,
Fui super omnia
Ego miser,
Si peccavi graviter,
Iam flebo amariter
Indulge me.

11. Lux desiderabilis,
Scio me longe a te,
Piissime,
Si avertis faciem.
Ubi peto veniam,
Nisi a te?

12. Mihi lamentatio
Plura fiat prae omnibus
Pro delictis meis.
De tuis quod perdidi,
In quo mihi recuperem,
Nisi per te?

13. Non mereor, ut mihi,
Parcas, nisi fuerit
Pietas tua.
Hoc precor, ut memineris,
Quod pretium me emisti,
Redemptor vitae.

14. O mira exspectatio
Et cordis lamentatio
Pro delictis meis,
Omnia mea crimina
Reduco in memoria
Coram te.

15. Peccavi cum peccantibus,
Nullus est, qui adiuvet
In planctibus,
Qui mihi sunt consimiles,
Planxi incessabiliter
Apud me.

16. Quare non fui mortuus,
Dum fui in sacris fontibus
Ego miser?
Vel cui sum consimilis
In tam malis criminibus
Ego miser?

17. Revertere ad me, Domine,
Ne pereamus invicem,
Succurre nobis,
Redemptor vitae maxime,
Quid sum dicturus ante te,
Domine.

18. Sancte et immortalis,
Indulge meis peccatis,
Altissime,
Omnia mea crimina
Reduco in memoria
Ante te.

19. Tibi refero gloriam,
Qui me exspectas per tempora,
Domine,
Porrige auxilium,
Eripe me de exsilio,
Quo captus sum.

20. Uni Deo per omnia
Agimus paenitentiam
Vivendi,
Ut maior iracundia
Culpa inquirit gratiam,
Indulge me.

21. X Y et Z
Concludunt ista verba
Simplicia.
Omnes intente audite,
Paenitentiam agite
Et vivite.

22. Gloria Deo coaevo,
Cui honorem semper do,
Altissime,
Una cum Dei filio
Et cum sancto spiritu.
Amen.

Cod. Bruxellen. 8860—67. saec. 10. — 5, 5 Et omnes eius actibus. — 6, 2 dies ac nocte. — 18, 6 Ante te Domine.

239. Modus confitendi.

I.

1. Recognosco, quod erravi,
Deus pater, et peccavi
Ultra, quam possum fari;
Verum dico, cum meorum
Nullus possit peccatorum
Horrorem meditari.

2. Tam sum rea, tam maligna,
Quod revera non sum digna
Te patrem appellare,
Tamen his conabor verbis
Dolorosis et acerbis
Me tibi accusare.

3. Inde est quod confitendo
Universum reprehendo
Statum mei temporis,
Omnes motus, voces, actus,
Sensus, gustus, nutus, tactus
Cordis, oris, corporis.

4. Post haec damno, quod negavi
Factis te et recusavi
Tuis subdi legibus,
Fidem primam non servavi,
Baptismale violavi
Votum multis vicibus.

5. Feci ac si possiderem
Bonum a me vel tenerem
Meis datum meritis,
Quod ex miserationis
Tuae purae datum donis
Habui gratuitis.

6. Singularis apparere
Volens dixi me habere
Bonum, quod non habui,
Sic et magnam intus cernens
Me et meliores spernens
Dilatata tumui.

7. Ut excellens apparerem,
Sum conata, ut haberem,
Per quod magna crederer,
Me defendens cum clamosa
Voce sum contentiosa
Facta, ne devincerer.

8. Facta mea enarravi
Glorianter et foedavi
Vitio iactantiae,
Per hypocrisim monstravi
Bona foris et celavi
Intima nequitiae.

9. Inoboediens meorum
Saepe sprevi praelatorum
Preces et imperia,
Veris aliorum dictis
Discors argumentis fictis
Posui contraria.

10. Pertinax et obstinata
Mea defendi peccata,
Nes cirer erravisse,
Bona veterum reieci,
Rara dixi, nova feci,
Ut scirer sapuisse.

11. Pannos indui subtiles,
Regulares, grossos, viles,
Me decentes horrui,
Christi, pulchra volens dici,
Signum tollens, inimici
Super caput posui.

12. De carnali parentela,
Gazis mundi et sequela
Fastuosa plurimum
Sum inaniter inflata
Et in istis delectata
Super caeli gaudium.

13. Alienis intendendo
Propriaque neglegendo
Sum facta mente levis,
Modo tristis, modo laeta,
Mobilis et inquieta,
In uno statu brevis.

14. Corpus foris redimivi,
Intus honores quaesivi,
Paribus me praetuli,
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

15. Aliorum reprehendi
Facta, propria defendi
Magis culpabilia,
In capitulo clamata
Concitavi stomachata
Lites atque iurgia.

16. In superbia erecta
Turris Babel sum effecta
Comparque daemonibus,
Qui sunt ausi impugnare
Me et gloria privare
Improbis conatibus.

17. Deus, tibi movi bellum,
Tuum ponens in castellum
Signum daemoniorum,
Hoc infelix acceptavi,
Quando caput decoravi
Ornatu mundanorum.

18. Per hoc stultam me monstravi,
Quando carnem adornavi,
Animam deturpando
Meque tam rem pretiosam
Deoque tam gloriosam
Pro vili laude dando.

19. Proh dolor, quod non attendi,
Summe Deus, quod offendi
Sic tuam maiestatem,
Heu, mecum sic superbivi,
Vae, vae, cur non resilivi
In meam parvitatem?

20. Multis aliis foedavi
Vitiis me, quae patravi
Sordens per superbiam,
Deus pater, miserere,
Fac confessam obtinere
De his indulgentiam.

II.

1. Per invidiam caecata
Sum de bonis contristata
Gavisaque de malis
Adversatrix boni Dei,
Imitatrix Caïn rei,
Daemonibus aequalis.

2. Heu, per odium nolebam
Bonum, malum cupiebam
Natura renitente
Et perverti rerum statum
Per hoc pessimum peccatum
Deordinata mente.

3. Vestimenti aliquando
Praelatorum susurrando
Fimbriam praecidebam
Hoc peccato, sed et multis
Mordens odiis occultis
Et detrahebam aperte.

4. Vindicare cum irata
Me non possem, veterata
Ira traxit odium,
Per quod alios correxi,
Quorum bonum non dilexi,
Sed prodebam vitium.

5. Me in bonis praecellentes
Quando vidi vel habentes
Dona, quae non habui,
Gratiarum vel naturae,
Literarum vel scripturae,
Contabescens dolui.

6. Bona certa minoravi
Dubiaque iudicavi
Saepe in deterius,
Famam bonam supprimebam,
Malum autem deferebam
Undique celerius.

7. Per istius corruptelam
Morbi opem et suadelam
Denegavi pluribus,
In praelatos murmuravi,
Pacem turbans concitavi
Iram coaequalibus.

8. Sic de bono sum turbata
Quasi noctua caecata
De solis claritate
Atque mortua de vita,
Sicut aeger de mellita
Cibi suavitate.

9. Ista tibi confitendo,
Deus clemens, reprehendo
Fomitem invidiae,
Irae gladium suspende,
Reae fletibus intende,
Praebe locum veniae.

III.

1. Deus, mundi fabricator,
Mitis, clemens miserator,
Suavis, dulcis, patiens,
Pium patrem te per iram
Meam irritavi diram
Ultionem capiens.

2. Saepe mentis per tumorem
Sprevi minas et terrorem
Me maiorum hominum,
Immo furens nec te Deum
Reverebar, verum meum
Patrem atque Dominum.

3. Indignata crebro signis
Vindicavi me malignis,
Quibus extra patuit,
Quod intus deordinata
Fueram et effrenata
Super id, quod decuit.

4. Rixans multos conturbavi,
Quando factis vindicavi
Illatam laesionem,
Quam debebam portavisse
Ac per tuam remisisse
Benignam iussionem.

5. Fui contumeliosa,
Me per verba exprobrosa
In secreto vindicans,
Rea facta sum clamorum,
Mala auribus multorum
Per clamorem implicans.

6. Blasphemavi tibi Deo
Vivo, creatori meo,
Dicens improperia,
Per quod rea et maligna
Nimis sum aeterna digna
Perpeti supplicia.

7. Per hanc iram malum feci
In cubili cordis caeci
Anhelans ultionem,
Post hoc ore promulgavi
Ac per manus consummavi
Crudelem actionem.

8. Cedens irae stimulanti
Saepe conquassavi sancti
Spiritus palatium,
Hoc effeci concitando
Lites pacemque turbando
Quietorum cordium.

9. Irae vitio subacta
Sacrorum templorum facta
Sum incendiaria
Et quodammodo irata
Deo fregi dedicata
Saepius altaria.

10. Sic per iram deliravi,
Quod divinum usurpavi
Temere iudicium,
Per quod patet, quam horrendum,
Quam sit provide cavendum
Talis irae vitium.

11. Hac infecta passione,
Non frenata ratione
Feci, quod non debui,
Tamquam stolida effecta
Fui, quod videre recta
Neque vera potui.

12. A quo iuris lex absolvit,
Ira praeceps me involvit
Metu indiciorum,
Per quod iuste condemnabor
Per te, Deus, et privabor
Consortio iustorum.

13. Haec me ira peccatricem
Nimis facit infelicem,
Nam fornax commutavit
Mihi aurum in aes vanum,
In culmum, flagellum, granum,
Me luna inquinavit.

14. Irae scelus confitenti,
Iesu bone, reae menti
Pande sinum veniae,
Cor per iram inquinatum
Lava, unge induratum
Oleo laetitiae.

IV.

1. Deus, qui vis creaturam
Laborare per culturam
Primarum actionum,
Carnis commoda quaesivi,
Per acidiam omisi
Spirituale bonum.

2. Heu, de tuis diffidebam
Viribus et metuebam
Aggredi salubria,
Sic in turpibus fovebat
Et a probis cohibebat
Me tenens acidia.

3. Per hanc saepius dolebam,
Quando poenam providebam
Boni exercitii
Et proclivis residebam
Ad quietem, quam quaerebam,
Carnalis solacii.

4. Per hanc malum machinando
Aliis vel cogitando
Incidi malitiam,
Quam ex ea dicunt nasci
Viri docti atque pasci
Tamquam primam filiam.

5. Hac invidente desperavi
Saepe, quando cogitavi
Tot mala me fecisse,
Per quod fateor maiorem
Culpam atque graviorem
Me poenam meruisse.

6. Pravitatem intuendo
Operum et sentiendo
Meam fragilitatem,
Velut stupida effecta
Mente incidi deiecta
Pussillanimitatem.

7. Hac rancorem enutrivi,
Quo meorum exquisivi
Laesorum nocumenta,
Quos consuevi clam odire
Neque potui punire
Vindicta violenta.

8. Ex hac incidi torporem,
Per quem renui suasorem
Audire praeceptorum
Atque viam vitae nosse
Et incendere pro posse
Saluti proximorum.

9. Per acidiam tristata
Intus, foris evagata
Quaesivi consolari
Et caelestium oblita,
Mundi sordibus nutrita
Consuevi delectari.

10. Per hanc spreto praeceptore
Deo vesci in sudore
Vultus pane nolui
Atque murmuris afflicta
Vitiis ut maledicta
Ficus fructu carui.

11. Isto vitio naturae
Usum atque creaturae
Quodammodo turbavi,
Cum a Deo constitutum
Et a brutis exsecutum
Laborem recusavi.

12. Nugis vacans otiosa
Tempora per pretiosa
Perdere non timui
Et, cum culpam abolere
Poteram et obtinere
Gratiam, evanui.

13. In plateis circumspexi
Vagabunda et neglexi
Lucrum spirituale,
Vanis gaudiis intendi,
Quod amisi, non perpendi
Solamen aeternale.

14. Velut aqua nunquam mota
Ex quiete sedens tota
Indui putredinem
Et ut ferrum quiescendo,
Sic per otium torpendo
Attraxi rubiginem.

15. Mundi ludicris intenta
Vigil fui, somnulenta
In bonis operibus,
Sacra meditatione,
Missa, precibus, sermone
Atque Dei laudibus.

16. Stans in choro dissoluta
Fui gestu, cantu muta
Ut idolum Iunonis,
Gravis corde, silens ore,
Sine Domini timore
Expers devotionis.

17. Sicut porcus, qui servatur
Ad mactandum, impinguatur
Per quietem otii,
Sic quiescens per torporem
Me nutrivi ad dolorem
Ultimi supplicii.

18. Per quietem et torporem
Provocavi temptatorem,
Qui ut musca tepidam
Ollam intra labris sugit,
Bullientem procul fugit
Praeteritque frigidam.

19. Pigra morem pervertebam,
Quia metere volebam
Non semen terrae dare,
Sum ut cactus, qui non gerit
Curam capere, sed quaerit
Salmones manducare.

20. Contra furem fodientem
Et cotidie tollentem
Unum domus asserem
Opportune vigilare
Nolui neque instare,
Furem ut repellerem.

21. Sicut navis in carina
Ex concursu fit sentina
Plurimarum sordium,
Sic per otii teporem
Lutum traxi et foetorem
Vitiorum omnium,

22. Quod est instabilitatis,
Fraudis et malignitatis
Saecli et tristitiae,
Luxus et mollitiei,
Raptus alienae rei
Firmiter malitiae.

23. Famis, sitis, egestatis,
Erroris, garrulitatis,
Nugarum et nequitiae,
Horum omnium fomentum
Solum intus est retentum,
Vitium acidiae.

24. Per haec stultam me prodebam,
Deus, quando non surgebam
Tuum ad clamorem,
Qui tot excitas doctrinis,
Donis, monitis et minis
Acidiae torporem.

25. Stultus fui sicut ille
Piger, qui ad lapsum stillae
Distulit avertere
Aperturam oculorum
Sive facilem membrorum
Medicinam quaerere.

26. Numquid stultus, qui redire
Domum quaerit vel finire
Longae viae taedium,
Et hodie facit passum
Unum et hunc satis lassum,
Vix post annum alium?

27. Sic et ego intellectu
Passum feci, sed affectu
Sequi differebam,
Stulta dedita torpori
Meritorio labori
Me dare metuebam.

28. Iesu Christe, fili Dei,
Precor, miserere mei
Parcendo confitenti
Culpam cordis in dolore
Et de otii torpore
Resurgere volenti.

V.

1. Deus, conditor benigne,
Fac me confiteri digne
Crimen idolatriae,
Quod commisi diligendo
Prae te mundum vel studendo
Lucris avaritiae.

2. Te contempto, Deus bone,
Fide, ope, dilectione
Creatis inhaerendo
Fidem veram denegavi
Et quodammodo peccavi
Ut idola colendo.

3. Te avara irritavi,
Immo legem violavi
Totius creaturae,
Quae compellitur sedare
Gratis et communicare
De naturali iure.

4. Ex hac peste generata
Me constrinxit scelerata
Cordis obduratio
Et recessit egenorum
A me atque miserorum
Debita compassio.

5. Per hoc crimen rapiendo
Violenter et nocendo
Factis palam nocui,
Sic per verba innocentes
Saepe in occulto mentes
Fallere non timui.

6. Mente inhians lucrandis
Inquieta me nefandis
Pollui mendaciis,
Verbis lites excitavi,
Festa factis violavi
Crebris et periuriis.

7. Fallax fraudem committebam,
Factis cum decipiebam
Quemquam in praesentia,
Tam per factum quam sermonem
Intendi perditionem
Nocens in absentia.

8. Heu, quid agam maledicta,
Per hoc scelus tot addicta
Culpis et miseriis?
Nam lucrata cum labore
Iugi servo cum timore,
Perdo cum tristitiis.

9. Mente mergor in profundum,
Terminum perdo iucundum,
Lucrum devotionis,
Curis pungor lacerata
Atque privor excaecata
Splendore rationis.

10. Per hanc intima proieci
Atque vacuam me feci
Ut telam aranea
Texens muscam ad lucrandum
Et ad se eviscerandum
Evomens intranea.

11. Vitio proprietatis
Votum sanctae paupertatis
Amara violavi,
Praetextu necessitatis
Negotium voluptatis
Mendosa obumbravi.

12. Saepe magis concupivi
Et ardentius quaesivi
Rem prorsus otiosam,
Quam fortassis saecularis
Rex palatii regalis
Structuram fastuosam.

13. Peccavi desiderando
Alienum et mutando
Munera muneribus
Sive res pro rebus dando
Et hoc ipsum palliando
Variis ambagibus.

14. Saepe velle praelatorum,
Ad quod volui, meorum
Astuta declinavi
Et, quod facere nolebam,
Fugi, quodque cupiebam,
Iniungi procuravi.

15. Eia, miserator pie,
Fili virginis Mariae,
Praebe locum veniae
Peccatrici suspiranti
Hisque verbis accusanti
Scelus avaritiae.

VI.

1. De gula me reddo ream
Atque confitendo meam
Damno voracitatem,
Per quam limites naturae
Praeterivi et mensurae
Iustae modicitatem.

2. Ventrem cibis oneravi
Vilibus et excitavi
Palatum delicatis,
Dum abusa pretiosis
Ferculis et fastuosis
Arteque praeparatis.

3. Ante tempus comedendo
Meum fregi ac bibendo
Saepius ieiunium,
Tam per mensae venustatem
Quam per cibi suavitatem
Sum laetata nimium.

4. Sine facibus accensa
Verba saepius in mensa
Protuli scurrilia,
Vana, nimium iocosa,
Detrahentia mendosa
Et adulatoria.

5. Extra habui ineptam
Laetitiam, qua conceptam
Prodidi lasciviam,
Cibo potuque repleta
Pretioso sine meta
Fovi immunditiam.

6. Sum oblita irae Dei,
Mortis atque status mei,
Amisi rationis
Usum, hebes sum effecta
Verbis turpibus illecta,
Expers compassionis.

7. En, quot malis me infecit
Gula, quae Adam deiecit
De loco voluptatis,
Evam pomo sauciavit
Lente Esauque privavit
Iure primaevitatis.

8. Facta prima inter Deum
Foedera et Adam reum
Hoc vitium destruxit,
Mortem culpae ac naturae
Poenaeque non finiturae
Viventibus induxit.

9. Heu, gulosa totum dedi
Cibum ventri, cum comedi
Oblita cibum mentis,
Mortem non consideravi
Neque famem cogitavi
Christi esurientis.

10. Multo amplius peccavi,
Quam his verbis ennarravi,
Gulae inquinamentis;
Pater pie, curam gere,
Pereuntis miserere
Sui non miserentis.

VII.

1. Vitae caelibis [sacrator],
Deus, auctor atque dator
Sanctae continentiae,
Me confiteor temptatam
Saepius et inquinatam
Vitio luxuriae.

2. Cui forte si non actu,
Corde, ore, visu, tactu
Tamen dedi operam
Et per aliqualem motum
Contra castitatis votum
Feci, quod promiseram.

3. Per hanc mente excaecata
Levis, inconsiderata
Fui atque garrula
Et amore capta mei
Odium habebam Dei
Praeceps in pericula.

4. Saeculum hoc affectavi,
Ad fruendum desperavi
De futuris gaudiis,
Tota corporis iucundi,
Foedis carnis atque mundi
Dedita deliciis.

5. Tibi Deo hoc infecta
Vitio atque illecta
Feci contumeliam
Templum cordis violando,
Tuum quod inhabitando
Efficis per gratiam.

6. Per hoc studui lenire
Bechmoth, qui solet dormire
Locis in humentibus,
Proximum scandalizavi,
Ipsam me damnificavi
Nocumentis pluribus.

7. Isto volui nocere
Mihi morbo, adhibere
Nolui remedia,
Quae sunt: carnem macerare,
Bonis actibus instare,
Fugere consortia,

8. Hominum et sine mora
Mox temptationis hora
Motibus resistere,
Non occasiones dare,
Pro suffragio rogare,
De se non confidere.

9. Hoc infelix non curavi,
Sed omittens adgravavi
Malignitatem meam,
Quam concordans cum dolore
Confitensque cum pudore
Me culpans reddo ream.

10. O benigne condonator
Culpae, poenae mitigator,
Distributor gratiae,
Dilue, quod inquinavit,
In me redde, quod privavit,
Vitium luxuriae.

VIII.

1. Nunc conabor confitendo,
Quae per linguam committendo
Peccata perpetravi;
Primum ergo reprehendo,
Debitam quod in loquendo
Mensuram non servavi.

2. Saepe contra rationem
Linguam movi ad sermonem
Rationis praevium,
Quod debebat oboedire
Rationi et exire
Eius ad imperium.

3. Linguam cum sit rationis
Organum, contagionis
Expertem decet esse,
Nam hoc membrum qui creavit,
Hominem nobilitavit
Prae ceteris expresse.

4. Multis tamen hanc immersi
Sordibus nec plus peperci,
Quam porcus parcit ori,
Qui ut sordibus includit
Pedem, sic et os intrudit
Cuilibet foetori.

5. Sum et canem imitata,
Qui fert sanguine foedata
De macello labia,
Et, quod plus est, lambo lutum,
Immo diaboli sputum,
Cum loquor nefaria.

6. Membrum datum ad orandum
Et ad Christum manducandum
A Deo deputatum
Organumque Dei vivi
Neglegenter custodivi,
Foedavi per peccatum.

7. Unde iuste recusatur
Meum os seu reprobatur
Orans, laudans, commedens
Deum Dominum cunctorum,
Christum, qui est angelorum
Panis vitam conferens.

8. Sicut nimium peccarunt,
Qui sacratum inquinarunt
Calicem pulveribus,
Sic et ego plus peccavi,
Qui tot meum os foedavi
Verbis indecentibus.

9. Ad laudandum deputata
Deum verba sunt sacrata
Et sanctitatem oris,
Sanctam et devotam mentem
Atque vitam innocentem
Requirunt laudatoris.

10. Ista quia non servavi
Deum laudans, plus peccavi
Nec rogans exaudiri
Digna fui, immo vere
Rea merui severe
Pro laudibus puniri.

11. Portas oris si clausissem,
Animam custodivissem
Ab incursu hostium,
Quae nunc ut urbs immunita
Patet vel platea trita
Pedibus calcantium.

12. Istud gravat culpam meam,
Quod, cum scirem linguam ream
Pronam ad cadendum
In tam multiplex peccatum,
Et eidem cruciatum
Tam durum inferendum,

13. Linguae quoque custoditae
Caute et occultae rite
Fructum tam copiosum,
Tamen tollere neglexi
Sterilem neque despexi
Utile vel damnosum.

14. Bonus esse vel manere
Nemo potest nec placere,
Linguam ni custodiat,
Custodire quamvis onus
Linguam sit, tamen vir bonus
Debet, ne decipiat.

15. Linguam monent custodire
Exempla et quod transire
Verba per iudicium
Dei debent, ponderanda
Ideo sunt et limanda
Nostrum per scrutinium.

16. Haec infelix quamvis nossem
Atque custodire possem
Linguam, tamen renui,
Unde stricte iudicari
Et aeternis poenis dari
Hac pro culpa merui.

IX.

1. Quamvis culpa blasphemorum
Gravi nimis tormentorum
Sit poena compensanda,
Tamen ista non pensavi,
Sed factorem blasphemavi
Per verba detestanda.

2. Conditor quod honoravit
Amplius, inhonoravit
Amplius conditorem,
Lingua cum sagitta fixit
In Deum, quem maledixit
Rapta per furorem.

3. Plus peccavi blasphemando
Quam fur vel quis perpetrando
Quodvis homicidium,
Nam hi rebus sive servis
Dei actibus protervis
Faciunt contrarium.

4. Ego in persona Deo
Propria factori meo
Dico contumeliam
Atque malum, quod impendo,
Principaliter intendo
Eius ad iniuriam.

5. Dolet audiens Iudaeus,
Quando blasphematur Deus
Scinditque vestimenta,
Gravior quam in Iudaea
Ego sum peccati rea
Blasphemiis intenta.

6. Canis renuit mordere
Beneficum, sed mulcere
Vult caudae blandimentis,
Ego verbis mei oris
Iram provoco factoris
Tot bona largientis.

7. Patrem meum blasphemari
Cum audirem, indignari
Blasphemis recusavi,
Per quod me adulterinam
Filiam et concubinam,
Non sponsam demonstravi.

X.

1. Quamvis arguentis dure
Vetent murmura scripturae,
Attamen murmuravi
Et benignum patrem meum,
Omnia scientem Deum,
Per murmur irritavi.

2. Dathan, Abiron et Chore
Murmurantes in furore
Divino arguuntur,
Patientes Iob, Tobias,
Lazarus et Ieremias
Ad regnum assumuntur.

3. Hoc et simile pensatum
Mihi murmuris reatum
Auxit, mitigare
Poenam soleat flagelli
Atque contra metum belli
Electos confortare.

4. Ego murmurans de cibo
Digne satis interibo
In bello spiritali,
Eius primo in congressu
Cadens privor in recessu
Honore triumphali.

5. Victa cessi fuga vili
Querulosa de exili
Solacio subtracto
Voluptatis corporalis
Vel pro rei temporalis
Damno quando[que] facto.

6. Quod vexata murmuravi,
Vacuam me demonstravi
Aquis Dei gratiae,
Plenum dolium non sonat
Ictu, sed inane tonat,
Sic expers patientiae.

7. Ego pro iumenti mei
[Esca] suavitatis Dei
Vendidi delicias,
Quando murmurans supernas
Escas sprevi et internas
Totidem tristitias.

8. Carnis seu boni terreni
Gustum quaerens Galieni
Facta sum discipula,
Stolam Christi abnegavi,
Quando carnis disputavi
Discernendo saecula.

9. Pro me loquens intromisi
Me de me licet illisi
Dominium maiorum,
Dolo et rapina plena
Usurpavi aliena
Ad modum invasorum.

10. Saepe murmurans sequebar
Ducem, per quem seducebar,
Hoc est sensum proprium,
Qui claustrales, quos deludit,
Saepe in horrendum trudit
Culpae praecipitium.

11. Quando queror pro defectu
Temporali vel despectu
Seu pro quovis commodo,
Quasi nihil reputarem
Caelum, terram seu curarem
Facio quodammodo.

12. Vel si modo in his bonis
Causam consolationis
Putarem exhibendum,
Quantum filiis corvorum,
Quibus regnum est caelorum
In fine praecludendum.

13. Procuratio negatur
Servo, cui magnum datur
Pretium in vespere,
Quando illi providetur,
Qui mercedem prohibetur
Aliam recipere.

14. Multum ideo peccavi,
Qui pro eo murmuravi,
Quod mali prosperantur,
Mihi nullae cum in mundo
Nec in caelo his iucundo
Mercedes debeantur.

15. Cum iumentum reputari
Digne possum, admirari
Satores valerent,
Quando loquor murmurando,
Usum tamen si nefando
Opere non haberent.

16. In hoc plurimum peccavi,
Quod medelam recusavi
Murmuri apponere,
Deum poenas inferentem
Neque Christum patientem
Nolui recolere.

17. Gratiae divinae rorem
Contra murmurum ardorem
Neglexi postulare,
Nec a pio conditore
Quanto tangerer amore,
Facta recogitare.

18. Ecce, murmuris peccatum
Reprehendo adgravatum
Istis circumstantiis,
Pro quo peto iudicari
In praesenti, non servari
Ultimis scrutiniis.

XI.

1. Saepe malum, quod patravi
Studiose excusavi
Tegens per astutiam,
Per quod infamavi Deum
Sive criminabar eum
Meam per malitiam.

2. Adae par in pravitate,
Qui cum non in potestate
Par fieri valeret
Deo, contendit, ut eum
Sibi pravitatis reum
Consimilem haberet.

3. Immo omnis creatorem
Boni mali patratorem
Quodammodo monstravi,
Meque culpas tot habentem
Velut agnum innocentem
Deceptrix simulavi.

4. Non sic Christus faciebat,
Qui peccatum non habebat,
Attamen similari
Peccatoribus volebat,
Quando hostiam sinebat
Peccati pro se dari.

XII.

1. Malum feci per sermonem,
. . luctam iurationem
Quotiens violavi,
Vel quia iuravi, quando,
Quod oportet, in iurando
Incauta non notavi.

2. Prona fui et consuevi
Pro re vana sive levi
Assidue iurare,
Sed nunc iurans veritatem,
Iudicium, aequitatem
Nolebam observare.

3. Manu illa cum tangebam
Sancta Dei, cum sciebam
Me falsum affirmare
Vel negare veritatem,
Certum est per falsitatem
Diabolo me dare.

4. Ergo cum benedicebam
Hac me signans faciebam
Cum manu hac maligni,
Per quod pensent pares mei,
In iurando quam sint rei
Quantisque poenis digni.

XIII.

1. Rea nimis coram Deo
Pio conditore meo
Dolenter reprehendo,
Quam per verba, facta, signa
Ego fallax et maligna
Peccavi mentiendo.

2. Per quod Dei adversatrix
Facta sum et imitatrix
Versuti seductoris,
Qui, cum mentiens seduxit
Evam, opera destruxit
Benigni conditoris,

3. Est mendacium iocosum
[Opus] vile ac damnosum,
Quorum quovis genere
Infinities peccavi
Neque miseram expavi
Animam occidere.

4. Adhuc mendax et versuta
Contra iura sum locuta
Falsum testimonium,
Per quod proximum laedebam,
Me occidi, incurrebam
Grave Dei odium.

XIV.

1. Nunc ad pessimum accedo,
Quod plus detestandum credo
Crimen detractionis,
Per quod pluribus nocebam,
Immo nullis deferebam
Nec rebus nec personis.

2. Per hoc surdis maledixi,
Cum absentibus infixi
Male linguae iaculum,
Sic et, quando detrahebam
Insciis, anteponebam
Caecis offendiculum.

3. Detrahendo criminatrix
Facta sum et imitatrix
Serpentis tortuosi,
Nam incipiens a laude
Post hoc ore pleno fraude
Innocuos corrosi.

4. Femori infixum gerens
Telum canis plangit maerens
Studetque removere,
Sic et malum, quod cupivi,
Dum de aliis audivi,
Non potui silere.

5. Sicut porcus intrans hortum
Florem deserit exortum
Recurrens ad foetores,
Sic et ego proximorum,
Bonos deserens eorum,
Sequebar malos mores.

6. Detrahendo sequi volo
Viperam, quae flatu solo
Novit tres interficere,
Ita scio me praesentem
Auditorem et absentem
Uno verbo perdere.

7. Bestia sum, quae gerebat
Circa caput et habebat
Ordines tres dentium,
Nam tres modos detrahendi
In me esse deprehendi,
Quibus innocentium

8. Bona mordens immoravi,
Mala finxi et negavi
Bona talia patrata,
Unde sum pro tam enormi
Culpa bestiae triformi
Satis apte comparata.

9. Recte possem pro foetore,
Qui a [meo prodit] ore
Sepulcro [as]similari,
Ad quod vivi accedentes
Et foetorem sentientes
Deberent detestari.

10. Saepe, quando ieiunavi,
Tamen cornes manducavi
Humanas detrahendo,
Quibus sulsam admiscebam,
Quos detrahere sciebam,
Libenter audiendo.

11. Parum dixi, cum subacta
Huic vitio sum facta
Daemonum dapifera,
Cum humanas offerebam
Carnes simul et edebam
Contra legis foedera.

12. Immo nec peperci patri
Spiritali neque matri,
Quin eos comederem,
Et quod plus est, proponebam
Tali quatenus (con)fidebam,
Eos ut reficerem.

13. Quamvis iuris disciplina
Vetet atque lex divina
Patribus detrahere,
Ego tamen non vetavi,
Immo plures instigavi
Praelatis maledicere.

14. Forsan minus non peccavi,
Cum libenter auscultavi
Narrantem detractorem,
Quia utique sileret
Detractor, si non haberet
Paratum auditorem.

15. Saepe malum adfirmanti
Falso testi vel erranti
Plus credidi de bonis,
Quam [si] decem excusarent
Malum et pro bonis starent
Idoneis personis.

16. Proximis iniuriosa
Facta sum et odiosa
Deo per hoc vitium
Tamque praesens quam futurum
In aeternum duraturum
Merui supplicium.

17. Quod ut possem declinare,
His querelis accusare
Me sponte praecelegi,
Per hoc sperans coram Deo
Iudici debere meo
Peccata mea tegi.

XV.

1. Corde malum cogitavi,
Volui, desideravi,
Consensi temptatori,
Infidelis, indevota.
Odio et ira mota
Invidi meliori.

2. Male me humiliavit
Timor atque inflammavit
Amor inordinatus,
Dolor vanus conturbavit,
Prudor strinxit, excaecavit,
Me rancor obduratus.

3. Praesumpsi et desperavi
Perfidaque exsultavi
In adversis proximi,
Cuius in prosperitate
Marcui et bonitate
Corporis vel animi.

4. Sprevi pauperum personas
Divitumque minus bonas
Plus iusto honoravi,
Bonos atque spiritales
Parvipendi, sed carnales
Parentes affectavi.

5. Tumens fui et elata,
Perplexa et obstinata
Et habebam taedium
Saepe boni spiritalis
Gaudiique mundialis
luge desiderium.

6. Per hypocrisim timebam
Displicere et studebam
Excellens apparere,
Humilem contempsi statum
Et ambivi dignitatum
Fastigia tenere.

7. Quod malitia vexabat
Meum cor, hoc adgravabat
Praeceps inconstantia,
Vana gloria foedavit,
Ira movit, induravit
Immisericordia.

XVI.

1. Verbis Deum blasphemavi,
Iuramentis incitavi
Crebris et periuriis,
Murmuravi contra Deum
Saepe et instruxi eum
De aura et aliis.

2. Quando debui laudare
Deum verbis vel orare,
Distracta fui mente,
Atque stabam sine metu
Ad laudandum Deum coetu
Angelico praesente.

3. Veritatem impugnabam
Agmina et propalabam,
Mendacia comperta,
Plus vel minus enarravi
Referens, quod afirmavi,
Dubia vel certa.

4. Alios vituperavi,
Maledixi, infamavi,
Fui contentiosa,
Ante unxi blandiendo,
Quod post punxi detrahendo,
Per hoc proditiosa.

5. Susurrando mussitavi,
Litigando seminavi
Rixas et discordias,
Falsa sum testificata
Aliisque comminata
Dixi contumelias.

6. Verbis asperis conflixi,
Exprobravi, contradixi,
Vacavi conviciis,
Verba dixi otiosa.
Vana, levia, iocosa,
Nocui consiliis.

7. Sum locuta nimis multa
Verba impia et stulta,
Iniqua et dolosa,
Derisoria, polita,
Inconcinna, imperita,
Amara, curiosa.

8. In aliis reprehendi
Verbis, quos in me defendi,
Defectus probitatis,
Plus quam decuit ridebam,
Contumax contradicebam
Magistris et praelatis.

9. Loquens nimium clamavi,
Verbis iram concitavi
Vel inimicitias,
Cantus saeculi cantavi,
Per quos graves excitavi
Mentes ad lascivias.

10. Cum intendere debebam
Feriis, tunc proferebam
Saepius scurrilia,
Verba bonis inimica,
Nocua et impudica
Dixi atque turpia..

11. Haec et alia peccata
Linguae vitio patrata
His arguens conficior.
Malens modo iudicari.
Quam perpetuis servari
Poenis, ad quas tenetur.

XVII.

1. Multa scelera patravi
Opere. quia peccavi
Gula et luxuria:
Commisi ebrietatem,
Rapinam. proprietatem.
Furta. sacrilegia.

2. Vota fregi, simoniam
Feci et apostasiam
Atque sortilegia,
Indigne communicavi
Et festorum violavi
Dierum sollemnia.

3. In officio divino
Gravis fui et omnino
Plerumque dissoluta,
Quando Deum invocare
Debui et collaudare
Tacebam quasi muta.

4. Homines scandalizavi
Pluries et molestavi
In rebus et personis,
Traxi, trusi, detrahebam
Et exemplis corrumpebam
Perversae actionis.

5. Aliquando subtrahebam
Necessaria, sumebam
Corpori superflua,
Consuetudine peccavi,
Recidebam, attemptavi
Supra vires ardua.

6. Me minores opprimebam.
Ad quod non suspiciebam,
Tenui officium,
Velle proprium implevi
Et meorum saepe sprevi
Maiorum imperium.

7. Visu, auditu, olfactu,
Gustu, dono, prece, tactu,
Scriptis atque mandatis
Dedi multis digna poenis
Propriis et alienis
Materiam peccatis.

8. Praebui occasionem
Culpae et temptationem
Saepe praeveniebam,
Et, quod minus tolerandum
Est, me ipsam ad peccandum
Quodammodo cogebam.

XVIII.

1. Nunc confiteor peccata
Per multiplicem patrata
Boni omissionem,
Gratiarum nunquam Deo
Egi creatori meo
Condignam actionem.

2. Nunquam Deum cogitavi,
Timui nec adamavi
Digne neque colui,
Nunc ad eum referebam
Omnia, quae faciebam.
Opera, ut debui.

3. Ad divinam capiendam
Gratiam me vel habendam
Neglexi praeparare.
Nec sum bene usa ea
Nec curavi mortis rea
Acceptam conservare.

4. Neque studio sollerti
Meum ad divinum verti
Cor inspirationem,
Pro peccatis non dolebam
Digne satis nec sumebam
Sacram communionem.

5. Blasphematum non defendi
Deum, nec cantans attendi
Vel laudans, quid dicerem,
Nec conabar, disciplinae
Voluntatique divinae
Ut conformis fierem.

6. Ad commissa non respexi,
Vitam moresque neglexi
Sive conscientiam,
Mala mea non deflevi
Digne neque adimplevi
Datam paenitentiam.

7. Propriam conversionem
Culpaeque confessionem
Ultra tempus distuli,
Templa, praedicationem
Fugi nec temptationem
Deum orans reppuli.

8. Parentes non honoravi,
Fidem datam non servavi,
Me nolui cognoscere,
Recusavi congaudere
Laetis, maestis condolere,
Debita remittere.

9. Omittebam visitare
Aegros et lites sedare,
Devios corrigere,
Non volebam tribulari,
Desolatos consolari,
Nescios instruere.

10. Monitis non acquievi,
Imperata non implevi,
Renui consilia,
Non iniurias ferebam,
Lites fugi, subtrahebam
Miseris auxilia.

11. Nunquam poenas infernorum
Neque gaudia caelorum
Nec Christi passiones
Digne satis cogitavi,
Immo nec minas curavi
Neque promissiones.

12. Quid eram, quid sum, quid ero,
Nosse parvam curam gero
Nec magnam adhuc gessi,
Ergo manens in tepore
In propositi fervore
Sancti non processi.

13. Renuebam meditari,
Unde poteram solari
Doloribus subacta,
Unde iuste durae menti
Se a fonte avertenti
Vena manet subtracta.

14. Fugi contemplationem,
Verbum Dei, lectionem
Atque sacra monita,
Per quae poteram armari
Contra mala, detestari
Quaelibet fortuita.

15. Navem imbecillae mentis
Flatibus fortunae ventis
Amplius exposui,
Cum periculum exortum
Fugere et tutum portum
Quaerere plus debui.

XIX.

1. Rea nimis et iniqua
Nova simul et antiqua
Praecepta violavi,
Tam ea, quae vis naturae
Docuit quam lex scripturae,
Nequaquam observavi.

2. Fieri quod non volebam
Mihi, saepe faciebam
Aliis hominibus,
Sic et, quod desideravi
Mihi fieri, negavi
Naturae consortibus.

3. Quasi novum adoravi
Deum, quando praeamavi
Creaturam creatore,
Sic et, quando periuravi,
Deum frustra nominavi
Non parcens reo ori.

4. Festa non sanctificavi
Nec parentes honaravi,
Feci homicidium
Vel per linguam detrahendo
Vel mortem non repellendo
Seu per cordis odium.

5. Forte thorum violavi
Alienum vel peccavi
Carnis per contagium,
Alienum sum furata
Falsum et testificata,
Res cupivi plurium.

XX.

1. Fidei integritatem
Per errorum vanitatem
Varia violavi,
De credendis et sperandis,
Timendis atque amandis
Quoniam dubitavi.

2. Multisque superstitiosis
Consensi atque mendosis
Adinventionibus,
Perfidorum per errata
Sum decepta, inquinata
Variis haeresibus.

3. Credidi falsidicorum
Dictis, vi[sis] somniorum,
Vanis phantasmatibus,
Variis deliramentis,
A daemonibus inventis,
Fatis atque sortibus,

4. Volucrum atque [brutorum]
Hominumque diversorum
Variis occursibus,
Et in avium garritu
Volatuque sive situ,
Canum ululatibus.

5. Sum abusa medicina,
Quam ars sive disciplina
Ignorat medicorum,
Tuli scriptis exaratos
Characteres reprobatos
Fide catholicorum.

6. Quod in nocte equitarent
Quaedam, tempus immutarent
Mulieres credidi,
Per quod turpiter illusa,
Rea nimis et confusa
Veram fidem perdidi.

7. Annis, horis, aura, ventis
Quattuorque elementis,
Nube, rore, pluvia,
Ac multarum usu rerum
Diversarum specierum
Feci sortilegia.

8. Et ad cumulum malorum
Multa genera errorum
Incidi contraria
Fidei atque divinis
Legibus sive doctrinis
Veris dissonantia.

XXI.

1. Baptismale inquinavi
Lavacrum, quando peccavi
Actu voluntario,
Sic reatum contrahebam,
Quando Christum commedebam
Inquinata vitio.

2. Sumque facta nimis rea
In confessione mea,
Qua debui lavari,
Postquam fui confirmata,
Non cessavi per peccata
Iterum infirmari.

3. Meam consecrationem
Per iniquam actionem
Plerumque inquinavi
Neque copulata Deo,
Immortali sponso meo,
Fidelem me servavi.

4. Et extremam unctionem
Per dignam devotionem
Fortassis non quaesivi,
Adhuc contra sacramenta
Scelerum inquinamenta
Innumera commisi.

XXII.

1. Nunc protestor, quod sum rea,
Peccans singula per mea
Membra corporalia,
Caput collumque erexi
Atque oculis respexi
Nocumenta varia.

2. Facie, qua renitebam,
Forte multa occidebam
Corda intuentium,
Fronte, naso, mento, genis
Rubicundis et amoenis
Excitavi vitium.

3. Forsan laesi intuentes
Per os, labia vel dentes
Vel gutturis alborem,
Feci pluries peccatum
Per linguam atque palatum
Et crinium decorem.

4. Sic per verticem erectam
Atque faciem detectam
Vel expansa tempora
Absque mei cordis cura
Forsan inquinavi pura
Aliorum pectora.

5. Aures meas non saepivi
Spinis, quotiens audivi
Verbum detractionis,
Saepe malum concupivi,
Corda fortia molivi
Voce blanditionis.

6. Malum feci per maxillas,
Pectus, brachia, mamillas
Ac tactus digitorum,
Sum per manus operata
Malum, per pedes portata
Ad locum peccatorum.

7. Ad decorem naturalem
Membris his accidentalem
Adposui ornatum,
Per quod Deum provocavi,
Proximum scandalizavi,
Meum auxi reatum.

8. Per abusum aliorum
Feci plurima membrorum
Peccata similia,
Quorum pro deletione
Assis mihi, Iesu bone,
Domini cum gratia.

XXIII.

1. Virtutibus inserendis
Vitiisque expellendis
Raro dedi operam,
Inchoatum deserebam
Bonum, saepe resumebam
Malum, quod omiseram.

2. Bonam saepius extinxi
Voluntatem, quia finxi
Calvam occasionem,
Quam intenta cum quaerebam,
Boni non inveniebam
Veram perfectionem.

3. Dereliqui caritatem,
Disciplinam, bonitatem,
Ausum, fortitudinem,
Iustitiam, aequitatem,
Timorem, humilitatem,
Usum, gratitudinem;

4. Prudentiam, veritatem,
Virginalem castitatem,
Modum, temperantiam,
Modestiam, pronitatem,
Esum et sobrietatem,
Pacem, patientiam;

5. Ordinem, religionem,
Votum ac confessionem
Ac oboedientiam,
Sanctam consolationem,
Laudem et orationem
Veramque laetitiam;

6. Gratiarum actionem,
Sanctam meditationem
Mentisque constantiam,
Debitam confessionem,
Veracem compunctionem,
Rectam paenitentiam;

7. Culpae satisfactionem,
Studium et lectionem,
Fructum devotionis,
Sanctam contemplationem,
Zelum et correptionem,
Frenum discretionis;

8. Sancti spiritus fervorem,
Mentis robur et vigorem,
Illuminationem,
Providentiam, cautelam,
Consiliorum sequelam
Et circumspectionem.

9. Praeter haec omisi multa
Bona nimis ego stulta,
Quae possunt appellari
Miseratio, affectus
Pius, verus intellectus,
Recte commemorari;

10. Laetis pie congaudere
Tristibusque condolere,
Fides et dilectio,
Bonum velle et prodesse
Omnibus, nulli obesse,
Foederis impletio;

11. Amicitiam servare,
Inimicos adamare,
Malorum oblivisci,
Ultimorum memorari,
Nocumenta detestari,
Debiti redditio;

12. Hospitari, sepelire,
Visitare et vestire,
Totum dare, pascere,
Carceratos liberare
Inopesque defensare,
Inscios instruere;

13. Relaxare, consolari,
Tegere, auxiliari,
Orare, consulere,
Medicinam adhibere
Aegris, mala removere,
Bona introducere;

14. Sancti spiritus habere
Septem dona, possidere
Octo beatitudines,
Bona nostra velle, scire
Deum solum et nescire
Adulantes homines;

15. Iussa Dei adimplere
Et prohibita cavere,
Bona vere facere,
Patriam desiderare,
Mala poenae formidare,
Mala culpae fugere.

16. Haec de arte paenitendi
Acta legant imbuendi
Parvuli hac parvula,
Nam et similis perfectis,
Forte tamen imperfectis,
Proderit doctrinula.

17. Supplex supplico lecturis
Scriptum hoc vel audituris,
Ut laudent creatorem,
Pie corrigant erratum
Inscium et occupatum
Excusent dictatorem.

Collect. ms. Campen. saec. 14/15. Cod. Palat. Vindobonen. 883. — I. 8, 6 intime. — III. 4, 2 Meum possum. — 4, 3 Illetam. — IV. 5, 1 Verschrieben, eine Silbe zu viel; lies Haec videndo? — 10, 4 Et murmuris. — 22, 3 saeculi. — VIII. 2, 3 Rationis praesentium. — 12, 2 Quod cum starem. —

13, 5 Lies: respexi? — IX. 6, 1 Carnis renuit. — 7, 3 Blasphemus. — X. 3, 4 Lies: Poenam solet quod flagelli? — 11, 3 quomodo. — 15, 3 Sathores. — XII. 3, 1 Manumillam quando. — XVI. 4, 5 Quod plus punxi. — 5, 1 Susurrando inusitavi. — 9, 6 Ad mentes lascivias. — XVIII. 3, 1 sq. Ad divinam gratiam me capiendam vel habendam. — 5, 1 Blasphemantum. — 5, 2 nec curans attendi. — XXII. 4, 3 tympera. — XXIII. 9, 5 et intellectus. — 16, 4 Lies: profectis? — 17, 4 Pie arguant erratam corrigant. — Am Schlusse: „Explicit modus confitendi rigmicus.“

240. De Commendatione uniuscuiusque animae.

1. Age, Deus, causam meam,
Ne reputes facta mea,
Tibi commendo animam,
Aeterne rex, Deus.

2. Benedicte, sancte pater,
Qui regnas in trinitate,
Tu dona in terra pacem,
Benigne, fortis Deus.

3. Caelos fecisti gloriare,
Domine, per tuum natalem,
Fac nos gaudentes celebrare,
Clementissime Deus.

4. Deus, qui regnas in altum
Et coronas omnes sanctos,
Libera nos a malo actu,
Dominator Deus.

5. Ecce, in die iudicii
Qualis ego ero miser,
Qui tanta peccata feci,
Excelse iudex, Deus?

6. Fortis fuisti in cruce,
Domine, per tuam virtutem
Tu nos perduc ad veram lucem,
Fortissime Deus.

7. Gemma, iudex, iudica me,
Quem peccantem non punisti,
Exaudi paenitentem, Christe,
Gloriose Deus.

8. Hodie redemptor venit,
Ovem perditam requirit,
Quam reportet ad ovile,
Tu nobis veniam concede,
Honor regni, Deus.

9. Immensae divinitatis,
Lapsos revoca a peccatis,
Indulge sceleratis,
Fidem reforma desperatis,
Iuste iudex, Deus.

10. Karitate nos illustra
Iter rectum nobis demonstra,
Gradiamur via angusta,
Klarissime Deus.

11. Lacrimantem consolasti
Mariam, te deprecantem
Indulgentiam donasti,
Misericors, et nobis parce,
Lux et lumen, Deus.

12. Magnam suscepisti in cruce
Latronis confessionem,
Dedisti remissionem,
Aufer nobis peccati molem,
Magne magister, Deus.

13. Ninivitarum pepercisti,
Paenitentes exaudisti,
Iram tuam avertisti,
Et nobis miserere, Christe,
Nec nos derelinquas, Deus.

14. Omnibus auxiliasti,
Prostratum David levasti,
Paenitentem exaltasti,
Sanctum spiritum redonasti,
Omnipotens Deus.

15. Petri luctum acceptasti,
Tu negantem non culpasti,
Demergentem liberasti,
Nobis indulge, pater sancte,
Pater noster, Deus.

16. Quatriduanum iam sepultum
Excitasti de sepulcro,
Pristinum dedisti vultum,
Remitte crimina, indultor,
Qui nos creasti, Deus.

17. Regulum te deprecantem
Filiam resuscitasti,
Sanguinis fluxum constagnasti,
Exaudi nos te deprecantes
Rex et rector, Deus.

18. Surdis auditum dedisti,
Caecis lumen reddidisti,
Claudis gressum direxisti,
Facinora nostra dimitte,
Salvator mundi, Deus.

19. Tolle lectulum, mandasti,
Paralyticum sanasti,
Incredulis fidem donasti,
Misericors et nobis parce,
Trinus et unus Deus.

20. Uiduam audisti flentem,
Filium te prosequentem
Suscitasti rex excelse,
Audi orantes paenitentes
iUstus et misericors Deus.

21. Xriste, qui es venturus iudex,
Audi precem peccatoris,
Libera a temptatione
Et ab inferno inferiore,
Xriste, filius Dei.

22. Ymnum dicant paenitentes,
Laudes canant convertentes,
Tua promissa retinentes,
Qui non vis mortem delinquentis,
Ymmense et nunc Deus.

23. Zelator est invidus draco
Videns gregem liberatum,
Quem ligaverat in peccato;
Adiuva nos, mundi salvator,
Zelotis nomen, Deus.

Cod. Bruxellen. 8860—67. saec. 10. — 1, 3 animam meam. — 1, 4 Rex aeterne. — 5, 1 Ecce in illa die. — 9, 2 Lapsas. — 10, 1 Caritate. — 10, 2 demonstravit. — 10, 4 Clarissime. — 12, 4 Aufert a nobis. — 13, 1 Nenivitarum. — 15, 2 negentem. — 16, 1 Quatridianum. — 17, 4 deprecantem. — 22, 2 canunt. — 23, 1 Zelator et. — Rundreim nach jeder Strophe: Tibi commendo animam meam, tu creasti eam.

241. De Contemptu omnium vanitatum.

1. Vanitatum vanitas
Carnis ingenuitas
Est et fortitudo,
Vana sunt et omnia
Mundi transitoria,
Fallax pulchritudo.

2. Homo miser nascitur
Humo, de qua dicitur
Rectam per figuram,
Semper mortem metuens,
Semper suam intuens
Fragilem naturam.

3. Oppressus miseria
Suspirat ad gaudia
Aeternae salutis,
Mundo languet subditus
Et sub iugo positus
Gemit servitutis.

4. Cum peccato concipit
Mulier et parturit
Natum cum dolore,
Profert cum angustia,
Nutrit cum instantia,
Servat cum timore.

5. Sed cum tanto tempore
Fragili sub corpore
Tenere nutritur,
Quasi flos egreditur,
Crescit, floret, teritur
Et non invenitur.

6. Nudus mundo nascitur
Nudus et regreditur
Pauper et accedit,
Iam pro suo merito
Victurus de cetero,
Pauper hinc recedit.

7. Mortuus deicitur,
Terra circumcluditur,
Luto collocatur,
Foenum sui lectuli
Corrodunt vermiculi,
Quibus pratum datur.

8. O quam fallax gloria,
Quam fallax fiducia
Carnis in decore,
Quae nullum dat alium
Fructum nisi vermium
Massam cum foetore.

9. Ergo, si cor verterem
Et mente revolverem
Stridorem futurum,
Nulla me lascivia
Flecteret aut gloria
Iamiam moriturum.

10. Certe meum gaudium
Ibit velut somnium
A florenti mundo,
Et mea memoria
Transibit de patria
Mecum in profundo.

11. Meum trahit spiritum
Pronum ad illicitum
Dulcedo peccati,
Et subiugant misere
Carnis motus tenerae
Mundi voluptati.

12. Omni turpitudine
Plenus atque crimine
Miser quo parebo?
Iudicem terribilem
Et ignem flammibilem
Undique videbo.

13. Ibi stridor dentium,
Fletus et incendium
Impios torquebunt,
Et iusti per saecula
Post mortis umbracula
Cum Christo gaudebunt.

14. Eia, rivos spargite
Cor meum et tundite,
Fontes lacrimarum,
Ut per vestrum gurgitem
Mearum rubiginem
Purgetis culparum.

15. Tu solus, qui fragilis
Dies carnis stabilis,
Nostri miserere,
Et me prorsus miserum
Pressum mole scelerum
Sicut ovem quaere.

Cod. Palat. Matriten. 2 N 4. saec. 13/14. — 14, 1 Eva rivos.

242. De Vanitate Mundi.

1. Qui rerum considerat
omnium eventum,
Una dies melior
olim, quam nunc centum,
Et hoc multi sentiunt
per experimentum,
Quod, qui vivit hodie,
suffert detrimentum.

2. Ordo rerum vertitur,
sapiens fit stultus,
Et mundus prosternitur
vitio sepultus,
Exsulat iustitia,
cessat Christi cultus,
In omni provincia
oritur tumultus.

3. Mundus ad interitum
vergit his diebus,
Dii facti sunt iterum
Iuppiter et Phoebus,
Nam qui nummos possidet
et abundat rebus,
Hic ut deus colitur
miris speciebus.

4. Loquitur apostolus
cum sermone tali,
Dicens, quod velociter
dies instant mali,
Et nos libro legimus
in proverbiali,
Quod homo nil amplius
habet animali.

5. Iuxta evangelii
vocem sic dicentem
Exsurgit cotidie
gens adversus gentem,
Pauperes superbiunt
erigentes mentem,
Divites exacuunt
in egenos dentem.

6. Secundum veridicam
vocem Ieremiae
Omnis clerus seminat
semen simoniae,
Sed non simul pereunt,
nam quorundam viae
Magis sunt flexibiles
ad vivendum pie.

7. Is[te] sanctus etiam
dicit hos sermones,
Quod omnes desiderant
retributiones.
Nam adoptant homines
plus possessiones,
Quam suorum scelerum
satisfactiones.

8. Et quae theologicae
virtutes vocantur,
Fides, spes et caritas
fere suffocantur,
Fraus et avaritia
et, quae derivantur
Ex istis, in saeculo
toto dominantur.

9. Si sim ortu nobilis
et vultu serenus,
Si benignus, humilis,
moribusque plenus,
Haec mihi nil proderunt,
quod si sim egenus,
Nam sola pecunia
formam dat et genus.

10. Ergo dum sum splendidis
vestibus ornatus
Et multa familia
sum circumvallatus,
Prudens sum et sapiens
et morigeratus,
Ego tuus nepos sum.
tu meus cognatus.

11. Ista cum defecerint,
protinus marcescit
Nostra consanguinitas
et paulatim crescit
Inter nos remotio
ita, quod me nescit,
Qui, dum dives fueram,
surgens mihi cessit.

12. O miranda vanitas,
o divitiarum
Amor lamentabilis,
o virus amarum!
Cur tot viros inficis
faciendo carum
Hoc, quod transit citius
quam flamma stupparum?

13. Si nummus divitibus
tria posset dare:
Iuventutem floridam
et mortem vitare,
Pulchram et durabilem
prolem procreare,
Bene possent divites
nummos congregare.

14. Homo miser, cogita,
mors omnes compescit,
Quis est ab initio,
qui morti non cessit?
Quando moriturus est,
omnis homo nescit,
Sed qui vivit hodie,
cras forte putrescit.

15. Qui de morte cogitat,
miror, quod laetatur,
Cum sic genus hominum
morti deputatur,
Quo post mortem transeat
homo, dubitatur,
Unde quidam sapiens
ita de se fatur:

16. De morte dum cogito,
contristor et ploro,
Verum est, quod moriar,
sed tempus ignoro,
Alterum, quod nescio,
quorum iungar choro,
Ut suis iungi merear
servis, Deum oro.

17. Quando domi summitas
super nasum iacet,
Totum mundi gaudium
velut lutum placet,
Non est, qui tunc frivolis
sive ludis vacet,
Ibi viget bonitas,
et fraus omnis tacet.

18. Non ibi prudentia
dolus reputatur,
Nec voluntas insuper
lex est, nec vocatur
Praeda perquisitio,
sed lex ibi datur,
Quae dat unicuique
prout operatur.

19. Quodsi in cor hominis
scelus occultatur,
Hoc districto iudici
secum declaratur,
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

20. Rogemus propterea
regem supernorum,
Ut det nobis fugere
vitam perversorum
Et, qui mole premimur
scelerum nostrorum,
Mereamur scandere
ad alta polorum.

21. Et, virgo piissima,
natum tuum ora,
Ut ipsius gratia
in meae mortis hora
Relaxentur omnium
peccatorum lora,
Et me velit ducere
secum sine mora,

22. Ut non cruciatus sim
infernali poena,
Mea nec sit anima
Deo aliena,
Sed semper cum angelis
decantet amoena,
Ubi semper cantica
laudibus sunt plena.

23. Quisquis haec audierit,
antequam recedat,
Non ipsius animam
daemon unquam laedat,
Qui cum ferventi baculo
ipsum nunquam laedat,
Ex ipsius labiis
sacrum Amen edât.

Collect. ms. Campense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Vindobonen. 883. A. — Collect. ms. Gottscheen. saec. 15. Cod. Vindobonen. 4493. B. — Cod. S. Petri Salisburgen. b VI 3. saec. 15. C. — Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14 343. anni 1351. D. — 1, 5 Ex hoc A. — Str. 1 fehlt BCD. — Str. 2 lautet in BCD:

Ecce, mundus moritur vitio sepultus,
Ordo rerum vertitur, cessat Christi cultus,
Exsulat iustitia, sapiens fit stultus,
In omni provincia oritur tumultus.

[1 vitiis suffultus D. — 2 Error, verum vertitur D. — 3 Exuitur iustitia B; est stultus D.] — 3, 1 in interitum BCD. — 3, 3 Dii sunt iterum D; Dum facti sunt iterum B; Cum facti sunt C. — 3, 5 possident C. — 3, 6 abundat et rebus C. — 3, 8 septus aciebus BC; sceptris aciebus D. — Str. 4, 5, 6 und 7 fehlen BCD. — 8, 4 vere suffocantur C; saepe suffocantur B. — 8, 5 Ira, avaritia D. — 8, 6 his praehonorantur B. — 8, 7 Ex his iam in C; Ex hoc iam in D; Et sic iam in B. — 9, 1 Si sis BCD. — 9, 2 si vultu BCD. — 9, 4 moribus es plenus A; moribus et plenus D. — 9, 5 Haec tibi nil CD; nil tibi B: prodeunt D. — 9, 6 si tu sis BC; si factus sis D. — 10, 1 Cum sum modo splendidus B; Dummodo sum splendidis C; Si modo sim splendidis D. — 10, 4 sim D. — 10, 5 Dives sum et A. — 10, 7 Tunc ego tuus A. — 10, 8 et tu D. — 11, 1 Ista dum A; cum deficiunt D. — 11, 4 paulatim decrescit D. — 11, 5 oblivio C. — 11, 7 cum D. — 11, 8 dates mihi cessit A. — 12, 5 tot vires B; tot carnes C; tot caros D. — 12, 7 Id, quod BCD. — 13, 1 nummi BC; Sed mundus divitias D. — 13, 2 tibi possent D. — 13, 5 Pulcrem et amabilem D. — 13, 6 generare C. — 14, 2 oppressit D. — 14, 5—8 fehlen B, lauten in

C: Hic, quisquis sit hodie,
cras forte putrescit,
In hac vita cuiquam
parcere mors nescit.

in D: Hic, qui vivit hodie,
cras forte putrescit,
In hac vita cuiquam
parcere [mors] nescit.

15, 1—4 fehlen B. — 15, 2 mirum, quod C. — 15, 4 morte A. — 15, 6 homo, ignoratur C. — 15, 8 de se ita C. — 16, 1 De morte cum D, Cum de morte C. — 16, 3 Unum est BCD; quod fehlt B; morior B. — 16, 4 et tempus C. — 16, 5 Ultimum, quod nescio A; Secundum, quod B; Tertium, quod C; Tertium est quod D. — 16, 6 iungor C. — 16, 7 Sed ut suis merear B; Sed ut suis mereor C; Sed ut sanctis iubar iungi D. — 16, 8 iungi Deum B; iugi Deum C; Deum semper oro D. — 17, 1 Cum domi D. — 17, 4 Velut pisum placet BC; nihil sibi placet D. — 17, 5 Non est tunc quod frivolis D. — 17, 7 Ibi urget veritas D; Ubi viget veritas C. — 17, 8 et omnis fraus C. — 18, 1 Nam ibi D. — 18, 4 est verum vocatur A; lex est non D. — 18, 5 Praedae A; prosecutio B; persecutio C; Praeclara perquisitio D. — Str. 19 ff. fehlen BCD. In D schliefst das Gedicht nach Str. 18 mit folgender Schlufsstrophe:

O felix condicio pecorum brutorum,
Cadunt cum corporibus spiritus eorum,
Nec post mortem subeunt loca tormentorum;
Talis esset utinam finis impiorum!

In BC folgen auf Str. 18 die folgenden Strophen:

Adamantes Dominum, suum genitorem,
Et eiusdem filium, Christum salvatorem,
Atque sacri pneumatis mellicum odorem
Contemplantes Christi sunt, ut discant rumorem.

Ut refert Ieronymus, hic rumor est verus,
Ad hoc testimonium perhibet Homerus,
Iustis et malevolis hoc exponit clerus,
Sed est peccatoribus hic rumor severus.

Homerus discipulo suo dixit vere,
Dictis meis, fili mi, debes adhaerere,
Diligenter super hoc a me modo quaere,
Sic tibi velociter possum respondere.

Cum finem audieris huius rei verae,
Ut credo, veraciter te docebit flere
Pro angore spiritus et carnis severe,
Huic morbo, Domine, rex regum, medere.

C allein hat noch eine weitere Strophe:

Est mortis haec condicio, qua spiritus separatur
A carne, ne supplicio perpetuo tradatur,
Cuius sic descriptio carnis adnotatur,
Ut ab omni vitio hanc sequens retrahatur.

Mit 2, 1 beginnt häufig ein kurzes Gedicht (4 oder 5 Strophen), das sich unter den Werken des hl. Bernhard befindet, Migne PP. LL. 184, 1313. Vgl. Hauréau, Des poèmes attribués à S. Bernard, p. 25. Zu vergleichen ist auch das Lied Ecce mundus moritur bei Wright, Poems commonly attributed to Walter Mapes, p. 139 sq. und Huemer in Wiener Studien VI, 287 ff. — Hier folgt das kürzere Lied nach anderen Handschriften:

I.

1. Ecce, mundus moritur
vitio sepultus,
Ordo rerum vertitur,
cessat Christi cultus,
Exsulat iustitia,
sapiens fit stultus
In omni provincia
oritur tumultus.

2. Mundus ad interitum
vergit his diebus,
Dii facti sunt iterum
Iuppiter et Phoebus,
Nam qui nummos possidet
abundat et rebus,
Hic ut deus colitur
saeptus aciebus.

3. Et quae theologicae
virtutes vocantur,
Fides, spes et caritas
fere suffocantur,
Fraus et avaritia
et, quae derivantur
Ex his, iam in saeculo
toto dominantur.

4. Si sis ortu nobilis,
si vultu serenus,
Si benignus, humilis
moribusque plenus,
Haec nil tibi proderunt,
si tu sis egenus,
Nam sola pecunia
formam dat et genus.

5. Dummodo sum splendidis
vestibus ornatus
Et multa familia
sum circumvallatus.
Prudens sum et sapiens
et morigeratus,
Ego tuus nepos sum,
tu meus cognatus.

6. Ista dum defecerint,
protinus marcescit
Nostra consanguinitas,
et paulatim crescit
Inter nos remotio
ita, quod me nescit,
Qui, dum dives fueram,
surgens mihi cessit.

II.

7. O miranda vanitas,
o divitiarum
Amor lamentabilis,
o virus amarum,
Cur tot viros inficis
faciendo carum
Hoc, quod transit citius
quam flamma stupparum?

8. Si nummi divitibus
tria possent dare:
Iuventutem floridam
et mortem vitare,
Pulchram et durabilem
prolem procreare,
Bene possent divites
nummos congregare.

9. Homo miser, cogita,
mors omnes compesci.
Quis est ab initio,
qui morti non cessit,
Hic quisquis sit hodie,
cras forte putrescit,
In hac vita cuiquam
parcere mors nescit.

10. Qui de morte cogitat,
mirum, quod laetatur,
Cum sic genus hominum
morti deputatur,
Quo post mortem transeat
homo, dubitatur,
Unde quidam sapiens
ita de se fatur:

11. Cum de morte cogito,
contristor et ploro,
Unum est, quod moriar
et tempus ignoro,
Tertium quod nescio,
quorum iungar choro,
Sed, ut suis merear
iungi, Deum oro.

12. Quando domus summitas
super nasum iacet,
Totum mundi gaudium
velut pisum placet,
Non est, qui tunc frivolis
sive ludis vacet,
Ibi viget veritas
et fraus omnis tacet.

13. Non ibi prudentia
dolus reputatur,
Nec voluntas insuper
lex est, nec vocatur
Praeda persecutio,
sed lex ibi datur,
Quae dat unicuique,
prout operatur.

14. Adamantes Dominum,
summum genitorem.
Et eiusdem filium,
Christum salvatorem,
Atque sacri pneumatis
mellicum odorem
Contemplantes Christi sint,
ut discant amorem.

15. Ut refert Ieronymus,
hic rumor est verus,
Ad hoc testimonium
perhibet Homerus,
Iustis et malevolis
hinc exponit clerus,
Sed est peccatoribus
hic rumor severus.

16. Homerus discipulo
suo dixit vere:
Dictis meis, fili mi,
debes adhaerere,
Diligenter super hoc
a me modo quaere,
Ut tibi velociter
possim respondere.

17. Et finem audieris
huius rei verae,
Ut credo veraciter,
te docebit flere
Pro rigore spiritus
et carnis severae
Huic modo, Domine,
rex regum, medere.

Collect. ms. saec. 15. Cod. Graecen. 1294. A. — Collect. ms. Stiriacense saec. 15. Cod. Stiriacen. L 26 [s. n.] B. — Collect. ms. Carmeli Augustani anni 1474. Clm. Monacen. 3591. C.

1, 2 vitiis A. — 1, 3 tollitur B. — 1, 3 und 1, 5 vertauscht. 1, 5 Exsultat C. — 2, 3 Cum facti sint A. — 2, 5 nummos congregat C. — 4, 1 Si sis coetu A. — 4, 5 Ista nihil proderunt B. — 5, 1 sum fehlt A; Dummodo sim B; Dum sum mundo C. — 6, 4 decrescit C. — 6, 5 nos remtitio A; In nobis dementia C. — 7, 5 vires BC. — 8, 5 Multum et durabilem. B. — 8, 7 Tunc deberent B. — 7, 5 sq. und 7, 7 sq. umgestellt C. — 9, 1 Sed o tu miser B. — 9, 6 Cras quoque putrescit C. — 10, 3 hominis A. — 11, 3 Certum est B. — 11, 5 Tertius B. — 12, 3 Tunc mundi C. — 12, 4 pisa B. — 12, 6 ludis suis vacet B. — 13, 2 nec dolus C. — 13, 6 lac ibi B. — Str. 14—17 fehlen BC.

In A die Aufschrift: Disputatio corporis et animae rhythmice. Incipit disputatio inter corpus et animam composita per magistrum Rudbertum Grossi capitis, Linthomensem episcopum. An dies Gedicht schliefst sich dann

unmittelbar die bekannte „Altercatio“ mit dem Anfange: Vir quidam exstiterat dudum eremita, Pilbertus Francigena etc. Der Zusammenhang dieser Lieder und damit auch die Frage nach der Urheberschaft bedarf noch weiterer Aufklärung.

243. De Vanitate Mundi.

1. Caecus ego sequens caecum
Cogitare coepi mecum,
Prope, procul et profunde
Quaerens, quomodo et unde
Tanta cordis caecitas.
Sic dum diu me dolente
Tota tamen freta mente
Dies intrat, nox discedit,
Sol resplendet, error cedit,
Et apparet veritas.

2. Manifeste monstrat res se,
Cum cognosco verum esse,
Quod dudum est prophetatum,
Quod vanitas vanitatum
Et omnia vanitas.
Res mundanae modo vadunt,
Modo surgunt, modo cadunt,
Iacet homo, regnat homo,
Hic in humo, hic in domo,
Nusquam est stabilitas.

3. Ergo mala sunt mundana,
Vacua sunt atque vana,
Falsi flores, quos praemittunt,
Qui non reddunt, quod promittunt,
Dolus, fraus et falsitas.
Falsitatem flos fallendo,
Fraudem fructum non ferendo,
Dolum facit, sicut patet,
Quod sub flore spina latet,
Mira est calliditas.

4. Foris floret, spem praetendit,
Quo cadente nil rependit,
Flos pro fructu spinam solvit,
Fraudem suam sic involvit
Floris infidelitas.
Nihil valent res mundanae,
Nihil quidem, nihil sane,
Totum vanum et inane,
Aret sero florens mane
Rerum universitas.

5. Finem habent, fide carent,
Vadunt et iam non comparent,
Nil valoris, nil aetatis,
Nil in eis veritatis,
Nec fides nec firmitas.
Mundi cives in honore
Metu vivunt et dolore,
Habent, tenent et amittunt,
Decedentes nil dimittunt,
Brevis est utilitas.

6. Labor longus in habendis,
Timor magnus in tenendis,
In amissis gravis dolor
Et, quid ultra iam praestolor?
Universa vanitas.
Tu, qui lumen habes sanum,
Dic, homine quid plus vanum?
Principatum terrae geris,
Illa manet et tu peris,
Vilis tua dignitas.

7. Ergo, miser, quid laboras?
Cur tu Deum non honoras?
De labore nihil dato,
Deo tibi non placato
Poenas solves debitas.
Precor, ut non glorieris,
Iamiam forte morieris,
Non redibis pulsus foras
Et tu, miser, quid laboras?
Magna est fatuitas.

8. Foras pulsus non redibis,
Non redibis et quo ibis?
Cur non gemis, cur non ploras,
Cur pauperum non imploras
Opem hosque visitas?
Thesaurizas et ignoras
Metas vitae, mortis horas,
Cum nil ferat terrenorum
Praeter pondus peccatorum
Carnis tuae gravitas.

9. Tuus erit huc regressus,
Unde nudus es egressus;
Quod nunc tenes, erogetur,
Morientem te sequetur
Nec aes nec hereditas.
Moriturum te novisti
Et ideirco pedes Christi
Vivens lava, dans egenis,
Quas relinques alienis
Res in morte perditas.

10. Da egenti, dum tibi vis,
Da egenti, dico, si vis
Cum egenis obtinere,
Cum egenis possidere
Mansiones placitas.
Quae relinques venienti,
Da praesenti, da petenti,
Non est nota, non est certa,
Non asserta, non aperta
De futuris veritas.

11. Fodere tunc non valebis,
Quia tempus non habebis;
Nihil pium, quo festinas,
Sed terrores atque minas
Habet taetra civitas.
Non est locus ille lenis
In tormentis et in poenis,
Ubi vermis foetor ignis
. . . . . .
Et quare non dubitas?

12. Vermis nunquam morietur,
Sed nec ignis extinguetur
Flammis, quibus combureris.
Et nequaquam morieris;
Et quare non dubitas?
Post tormentum aquae, nivis
Infernalis miser civis
Pertrahetur ad calorem,
Cuius nemo scit ardorem;
Et quare non dubitas?

13. Ventus, imbres et procella,
Fames, frigus et flagella,
Iugis illic nox obscura,
Ubi non est mors secura;
Et quare non dubitas?
O quam tristis est infernus,
Illic horror sempiternus,
Stridor dentis, dolor, fletus,
Sempermaeror,sempermetus;
Et quare non dubitas?

14. Peccatorum confusio,
Bonorum desperatio,
Remordens conscientia,
Nulla deest miseria;
Et quare non dubitas?
Bonum nullum, mala satis
Aestimanda pro peccatis,
Et in fine dico tibi,
Quidquid mali manet ibi;
Cur ergo non dubitas?

Cod. Parisin. (ol. Victorin.) 15163. saec. 15. — 9, 1 egressus. — 10, 1 degenti.

244. De Vanitate Mundi.

1. Mundus deciduus
et homo fragilis
Totus in dubio,
totus instabilis,
Tam cito labitur
ut aqua labilis.

2. Plus crede literis
scriptis in glacie,
Quam mundi fragilis
vanae fallaciae,
Qui nihil habuit
unquam fiduciae.

3. Credendum magis est
auris fallacibus,
Quam mundi miseri
prosperitatibus.
Falsis insaniis
ac vanitatibus.

4. Dic, ubi Salomon
olim tam nobilis,
Vel pulcher Absalon,
vultu mirabilis,
Vel dulcis Ionathas,
multum amabilis?

5. Quo Caesar abiit,
celsus imperio?
Dic, ubi Tullius,
clarus eloquio,
Vel dives splendidus,
totus in prandio?

6. Tot mundi proceres
. . . . . .
Totum evanuit
ut ros, ut nebula,
Ut breve theatrum,
ut brevis fabula.

7. Sicut breve festum
est mundi gloria,
Vel breve somnium
sunt eius gaudia,
Quae totum subtrahunt
aeterna praemia.

8. O esca vermium,
o massa pulveris,
O mors, o vanitas,
cur sic extolleris?
Ignoras etenim,
utrum cras vixeris.

9. Nil tuum dixeris,
quod potes perdere,
Nil longum, poterit
quod finis claudere,
. . . . . .
. . . . . .

10. Felix, qui potuit
mundum contemnere,
Felix, qui potuit
summa diligere!
Superna cogita,
cor sit in aethere!

Cod. Luciliburgen. 84. saec. 13. — Bearbeitung oder Vorlage des bekannten Cur mundus militat. Cf. Daniel II, 379 sq.

245. De Contemptu Mundi.

1. Si quis aures habeat
Audiendi, audiat,
Excors in se redeat
Et praesens intellegat
Inter nugas, machinas,
Fraudes et versutias,
Aerumnas, immunditias,
Rixas et insidias:

2. Quid mundus foedi muneris,
Quid vanus cultus corporis,
Quid fastus massae cineris,
Quid aes immensi ponderis,
Avari quid consilia,
Pomposa quid familia,
Quid lata pascibilia,
Tot quid utensilia?

3. Quid splendida stratoria,
Cum iocis deceptoria?
Nonne transitoria
Ut foenum quaeque talia?
O sume sanum studium,
Ab his converte animum
Ad unum necessarium
. . . . . .

4. Hoc da, Iesu largiflue,
Rex caeli, dator gratiae,
Virtutum doctor optime
Et vitae fons uberrime,
Tu flos de Iesse virgula
Austro perflante gravida,
Cum quoque patris gloria
Gubernas cuncta saecula.

Collect. ms. Franciscan. Augustan. saec. 15. Clm. Monacen. 3941. — 1, 4 et intellegat. — 4, 1 Hoc o Iesu. —

246. Dolus Mundi.

Viri fratres, servi Dei,
Vos non turbant verba mei,
Sed audite propter Deum
Flebilem sermonem meum.
Mundum dolens circuivi,
Fidem undique quaesivi.
Ubicumque fidem quaero:
Vel in plebe, vel in clero,
Vel in claustro, vel in foro.
Ubi fides sit, ignoro,
Fides nullibi apparet,
Totus mundus fide caret.
Filius non servat patri
Fidem neque frater fratri.
Heu, de sua sede ruit
Fides, quae tam firma fuit
Quondam, et pro ea dolus
Triumphat per orbem solus
Tam potenter et tam dire,
Non posset quis contraire.
Quidquid dolus iubet esse,
Hoc complere est necesse,
Clerus populusque totus
Dolo subiacet devotus.
Dolus papam, cardinales
Et episcopos totales
Regit et ubique reges,
Dolus glosat iura, leges.
Dolus omnia pro voto
Disponit in orbe toto;
Qui cum dolo conversantur,
Illi sunt, qui principantur,
Sed, qui vere dolum nescit,
Est abiectus et vilescit
Et vocatur idiota
Nec est dignus unci nota.
Praelati ecclesiarum
Habent dolum valde carum,
Nam per dolum praebendantur
Et potenter dominantur.
Aestimo pro sensu meo,
Quod praebendas non pro Deo
Pure dant, sed est mos sibi:
Da mihi, tunc dabo tibi.
Sic ad invicem colludunt
Atque pauperes excludunt,
Quique donant, illis datur,
De egenis non curatur.
Heu, quam ob rem non attendunt,
Quod sic bona Christi vendunt,
Quae praecepit Deus dari
Gratis et non venumdari.
Simonizant, et est aequum,
Quod mercedem sumant secum.
Miror, quid tunc respondebunt,
Ante Deum dum parebunt
Responsuri de re gesta,
Si sit vilis vel honesta,
Ubi genus, res, honores
Nemini sunt adiutores,
Sed qui bona hic egerunt,
Illi soli salvi erunt.
Advertatis, vos praelati,
Quanta opportebit pati
Post hanc vitam pro peccatis,
Ut, quae iusta sunt, agatis.
Curati et sacerdotes
Possidentes amplas dotes
De salute animarum
Subditorum curant parum,
Nihil quaerunt quam habere
Et hominibus placere;
Non attendunt ad clamores
Pauperum, sed claudunt fores.
Sic nec subditis, ut debent,
Formam bonae vitae praebent,
Sed per pravos suos mores
Multos ducunt ad errores.
Canon regula vocatur,
Hinc canonicus dicatur
Eo, quod sub regulari
Vita debet famulari
Cum devotione Deo;
Modo nil curant de eo,
Sed libentius ad forum
Currunt, quam frequentant chorum.
Vestes militares ferunt,

Nihil quam mundana quaerunt,
Non impertiuntur dignis
Suas opes, sed malignis.
Quidquid eis superesset,
Hoc pro Deo dandum esset,
Modo habent tam avarum
Cor, quod nihil dant vel parum.
Item, qui in claustris degunt,
Iuxta normam se non regunt,
Quam patres instituerunt,
Sed, quae vetita sunt, quaerunt.
Vestes deferunt claustrales,
Sed in mente non sunt tales.
Namque sub religiosa
Veste latet mens dolosa,
Rixas, lites et rancores
Habent inter se maiores
Monachi et moniales
Quam personae mundiales;
Qui vult Satanae servire,
Claustrum debet introire.
Item fratres mendicantes
Fere omnes sunt trufantes,
Parent quasi sint devoti,
Cum sint tamen nequam toti,
Raro complent actione,
Quidquid praedicant sermone;
Metunt, ubi non sparserunt,
Semper plus quam sua quaerunt,
Oves alienas tondunt
Et parochias confundunt.
Dantibus adplaudunt care,
Sed, qui nihil possunt dare
Vel replere eis manum,
Illos mittunt ad plebanum.
Pulchre perorare sciunt,
Qui his credunt, capti fiunt;
Per verborum apparatum
Aures pruriunt magnatum.
Valde diligenter notant,
Ubi divites aegrotant,
Ibi currunt nec cessabunt,
Donec ipsos tumulabunt.
Sed ad casas miserorum
Nullus ire vult eorum.
Puto fere, quod prodesset,
Si nullus in mundo esset
Monachus vel monialis
Sive secta beginalis.
Postquam enim sic creverunt,
Lex et fides perierunt,
Et totius mundi status
Est in malum commutatus;
Utrum culpa sit eorum,
Novit conditor cunctorum.
Caesar, reges, marchiones,
Duces, comites, barones,
Omnes principes terrarum
Possident de fide parum.
Inter omnes vix est unus,
Qui non respicit ad munus
Et iustitiam postponat
Pro eo, qui dona donat.
Per tyrannidem et guerram
Dissipant ubique terram,
Magis quaerunt Christianos
Debellare quam paganos.
Non verentur nec formidant,
Quod innocuos occidant.
Cur tam diu sinit Deus,
Quod occidat iustum reus?
Quondam milites statuti
Erant, ut per eos tuti
Essent viduae, pupilli
Clerusque, nunc autem illi
Tales minime defendunt,
Sed praedantur et incendunt,
Cor eorum magis pronum
Est ad malum quam ad bonum.
Cives nobiles, cummunes
Raro doli sunt immunes.
Nobiles iniuriantur,
Cives vero foenerantur,
Et de omnibus vix ullus
Est fidelis sive nullus.
Nautae maris et coloni,
Qui fuerunt quondam boni,
Sic pervertit eos dolus,
Quod vix iustus unus solus.
Item mundi mercatores
Quid sunt hi quam trufatores?

Sive emunt sive vendunt,
Semper fallere praetendunt.
Deum sanctosque periurant
Et mentiri parum curant.
Quando boni nummi vadunt,
Statim eos igni tradunt,
Sicque manet pagamentum,
Scoria et non argentum.
Sic confundunt mundum totum,
Istud undique est notum.
Pondus, numerus, mensura,
Simul omnis mercatura
Sic per ipsos sunt infectae.
Quod vix unus agit recte.
Nisi opem Deus praestat,
Deperire mundum restat,
Tot et tanti sunt reatus
Et tam gravis nunc est status.
Natus ante annos mille,
Vere felix fuit ille.
O quam venenosa pestis,
Foenerator, falsus testis,
Fur, periurus, latro, maechus,
Homicida tantum decus
Habet, quantum boni viri.
Quidquid potest nunc acquiri,
Sive bene, sive male,
Est hominibus aequale,
Nullus devitatur quaestus
Quantumcunque inhonestus,
Lex et disciplina perit;
Nemo, quod est iustum, quaerit,
Nemo facit id, quod debet,
Nemo alteri hoc praebet,
Quod habere vult ab eo,
Nemo curat iam de Deo,
Nemo curat modo briam,
Nemo tenet rectam viam,
Nemo novit misereri,
Nemo curat confiteri,
Et quamvis confiteatur,
Parum inde emendatur.
Iam nec populus nec clerus
Est in suo facto verus.
Liquet, fratres, quod erramus,
Tempus est, ut redeamus,
Tempus est nunc revertendi,
Tempus est nunc paenitendi,
Tempus est nunc redeundi
Ab errore falsi mundi,
Tempus est nos emendandi,
Vere tempus est plorandi.
Scimus nam, quod transit hora,
Redeamus sine mora,
Redeamus, non tardemus,
Vitam nostram emendemus.
Nemo debet desperare,
Nemo debet dubitare;
Tam misericors est Deus,
Nemo vivit ita reus,
Quin, si veniam precetur,
Deus eius miseretur.

Cod. Berolinen. Fol. 182, anni 1433. A. — Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Lunaelacen.) 4117. saec. 15. B. — Collectan. ms. Campen. saec. 14/15. Cod. Palat. Vindobonen. 883. C. — Wattenbach, Monumenta Lubensia, Breslau 1861, p. 26. sqq. W. —

2. Non vos C; Ne vos perturbent B. — Mundum dolosam B. — 8. Vel in populo B. — 13. Filius fidem non servat patri B. — 14. Fidem fehlt B. — 15. Heu, fides deseruit B. — 16. Fides fehlt B. — 17. per eam B. — 18. in domo solus C. — 20. Ne quisquis possit B; Ne quis possit C: Quod nemo possit W. — Nach 20 schiebt C ein:

Si quis dolo non obedit,
Non opime sibi cedit.

21. Quidquid solus A; Quidquid dolum B. — 22. Hoc inflatus est necesse A; lies: Impleatur est necesse? — 18. Clerusque populus totus B. — 26. Et ipsos dominicales B. — 28. glosat sibi leges C. — 32. Hi sunt qui B. — 33. Sicut qui me dolum nescit C. — 36. Nec valet vix unci pota A: Et non est dignus unci nota B; Nec est dignus una iota C. — 39. Nam peenum C. — 41. Et scio pro C. — 42. praebendas fehlt B. — 43. Parum dant sed B. — 44. Da mihi nunc et do tibi A; Da mihi, do tibi B. —

45. concludunt B. — 47. Qui redonant ut datur B; Qui redonant illis C; Qui redonat illi W. — 48. nil curatur C. — 50. Christi bona C; Quae sunt bona B. — 55. tunc quid C. — 56. patebunt B. — 57 sq. fehlen B. — 59. Ubi tibi genus, res BW. — 61 sq. fehlen A. — 63. Attendatis W. — 65. vitam properatis B. — 66. Et quae bona B. — 67. Et curati sacerdotes A. — 71. Nihil curant W. — 72. complacere B. — 73. advertunt W. — 77. suos pravos B. — 78. in errores W. — 79. Canones regulae vocantur W. — 80. Inde B; canonicus gignatur A, generatur B, dilatur C; canonici dicuntur W. — 81. Et quod B. — 82. deberet B. — 84. curant nil A; At officio vacare divino B. — 87. militares quaerunt A. — 91—95 fehlen B. — 92. Deo fehlt C. — 95. Illi qui C; Qui claustrum tegunt B. — 96. Iuxta regulam B. — 97. Patres quam C. — 97 sq. fehlen B. — 99. fetida BC. — 100. in fehlt B. — 101. Nam sub veste religiosa BW; Quia sub religiosa C. — 102. Veste fehlt BW; iacet mens B. — 104. inter se atroces B. — 106. Personae quoque sunt mundanae B. — 107. diabolo servire B; Satan contraire A. — 107 sq. fehlen W. — 108. Debet claustrum BC. — 109. Inter fratres B; Isti fratres C; Item monachi mendicantes W. — 110. Fere omnes sunt turbantes A; Vere omnes sunt triumphantes B; Omnes fere C; Quasi omnes sunt plebem vexantes W. — 111. Parent nam quod sint A; Apparent quod sint B; Apparent quasi sint W. — 112. nequam tamen C; tamen in se nequam toti W. — 113 und 114 umgestellt und hinter 116 B. — 114. Quae praedicant B. — 115. Metunt quod non B. — 121. Vel eis replere C; Vel manus eis implere BW. — 122. Illis non dicent miserere B. — 123. applaudare sciunt W. — 124. Et qui credunt, decepti fiunt B; Qui credunt, decepti fiunt CW. — 126. Aures opprimunt W. — 127. diligentes A. — 130. Donec illos B. — 131. Sed ad corpus A; ad gazas B; ad tumulos W. — 132. Nullus vidit ire chorum B; Non accedit quis eorum C. — 133—142 fehlen hier B und stehen (wohl richtiger) vor 109. — 133. Quod nullus B. — 134. Nunc in mundo quod non esset C. — 135. et monialis B; Ullus ordo mendicalis C. — 136. Omnis secta B. — 137. Postquam enim creverunt B; Postquam in mundo creverunt C; Postquam tantum accreverunt W. — 140. conversatur B. — 142. Noscit conditor A; Noscitur conditor ipsorum B; Novit factor conditorum C. — 143. Caesar, reges marchio A; rex, marchiones B. — 144. Dux, comes, miles et baro A; Dux, comes et baro B. — 146. de fehlt A. — 147. non est unus A. — 148. respiciat B; Quin libenter capit munus C. — 149. postponent A; postponunt W. — 150. Pro eius, qui eius dona donant A; Pro his qui dona B; Pro eis vel dona C; donunt W. — 151. Propter tyrannidos A; Pro tyrannide B; Per superbiam et W. — 152. Confundunt ubique A; Disponunt ubique B; Undique disponunt C. — 154. Depopulare quam B. — 155. formidunt W. — 156. Cum innocuos B; occidunt W. — 157. tam dire sinit AB. — 158. occidit C; iustum occidit W. — 159. milites secuti W. — 161. viduaeque puellae B. — 162. Et clerus C; Clerici W; nunc nullus est ille B. — 164. Sed ipsas offendunt B. — 165. magis pravum B. — 168. dolo sunt W; Raro sunt unanimes B. — 169—176 fehlen B. — 171. De quibus vel ullus A; De quibus vix ullus C; De omnibus vix ullus W. — 174. quondam fuerunt W. — 176. vix est iustus W. — 177. Isti mundi mercatores C. — 178. Quid sunt quam defraudatores C; Quid sunt nisi fraudatores W; Quid sunt hi defraudatores B. — Nach 178: Dicuntur tamen mercatores B. — 179 sq. umgestellt W. — 180. Semper vendere A. — 182. Et mentis parum A; Et menti B. — 183 sq. fehlen B. — 183. Cum boni A. — 185. Et quod manet W; Sicque manent per augmentum B; Quod manet est pergamentum C. — 185. et non fit A; Scarra est et non W.; Stagnum mutant in argentum B. — 188. est bene notum B; est ubique notum W. — 189 et mensura B. — 190. et omnis B. — 191. per eos B. — 193. opes B; Deus fehlt B; Deus opem W. — 195. Tot et tantus est A; Quod inchoati sunt reatus B. — 196. est nunc C. — 197. Natos B. — 199. venenata A. — 200. Venedatur falsus B; Veneratur W. — 201. Et fur B. — 202. Homicidaque deditus B; Homicida cui decus C. — 203. Habet

tamquam boni viri A; Hi sunt tamquam boni probi B; Habet tamquam probi viri W; Habent tamquam probi viri C. — 204. Vere quod non potest acquiri B. — 205. Sicut bene sic et male B. — 206. Est omnibus B. — 207. Nullus dicat quaestus B; Nullus dimittit hos gestus W. — Nach 108 schiebt C ein:

Quin accipiunt libenter,
Quamvis fuit indecenter.

209 sq. fehlen W. — 209. Si lex et B. — 210. iustum est C. — 211. hoc quod debet W. — 212. Alteri nemo W; utilitatem praebet B. — 213. haberi A; Quam habere B. — 213. Ne curat A. — 214. Nemo tenet CW; tenet iam Uriam W. — 216 tenet modo rectam A; Nemo vadit rectam CW. — 219. Et quando A. — 220. Inde parum W; Tamen parum B; Modo parum C. — 221. Sicut populus nec B. — 222. in suo statu B; Vult esse in facto suo verus W. — 223. Licet fratres B; Licet perversi fratres erramus W. — 225. est nos revertendi A, nos convertendi C, nunc convertendi W. — 226. nos paenitendi ABC. — 227. nos redeundi ABC. — 228. falso W. — 229. sq. fehlen B. — 231. nam fehlt A, hora fehlt B; transiit B, pertransit W. — 233. Redeamus et non duremus B. — 234. nostramque B. — 238. Quod nemo vivit ita reus B; Nullus vivit tantus reus W. — 239. Cum sibi veniam petatur B. — 240. ei W.

Aufschrift: Nova metra de diversis statibus B; Sequitur dolus mundi W; Explicit dolus mundi per fratrem hiohannem anno 1473 in Guntirszbergk W. — B hat folgende Kapitelsüberschriften: Vor Vers 1: De mundo; vor 25: De Papa; vor 67: De curatis et sacerdotibus; vor 79: De canonicis; vor 95: De religiosis; vor 109: De mendicantibus; vor 143: De magnatibus; vor 159: De militibus; vor 167: De civibus et nobilibus; vor 199: De lenonibus[!]; vor 223: Conclusio totius. — In A geht der Schreibervers voraus:

Duc, pia virgo, manum, ne possim scribere vanum.

247. De Malitia Temporum.

1. Alme Christe, rex immense,
Deus exercituum,
Miserere populorum
fletibus dolentium,
Qui te credunt esse Deum,
conditorem omnium,
Et in fine saeculorum
da vitae solacium.

2. Bona quondam fuit terrae
nobis habitatio,
Sed destructa iam nunc foetet
celeri contagio,
Iam irruit vir in virum,
proximus in proximum,
Unusquisque falsa pace
fratri praebet osculum.

3. Canes tenent caritatem
circa suos dominos,
Flagellati, domo pulsi
insequuntur barbaros,
Homines fide decepti
interimunt socios,
Quorum cibis satiantur,
nec diligunt proximos.

4 Devastant pauperes cunctos
potentes in saeculo,
Violatur domus Dei
magno sacrilegio,
Non est honor sacerdotum
nec fides in populo,
Lex divina non amatur
nec vera religio.

5. Gladiator honoratur
amans homicidia
Plus quam humilis sacerdos
sacrans sacrificia,
Ac in manus peccatorum
data est ecclesia,
In derisum detinentur
Domini altaria.

6. O benigne Iesu, bone,
patris verbum, hagie,
Ne avertas aurem tuam
a nostro precamine,
Qui venisti quondam nobis
regnum dare gloriae,
Da virtutem resurgendi
vitato discrimine.

Collect. ms. Gottwicense saec. 12. Cod. Gottwicen. 112. — 6, 8 vitando discrimine. — Scheint ein verstümmelter Abecedar zu sein.

248. De Malitia Temporum.

1. Tota christianitas
[Nunc] depcioratur,
Modo regnat falsitas
Atque dominatur,
Et in mundo bonitas
Omnis annullatur,
Quare rerum paucitas
Populo donatur.

2. Discordiasque lites
Video regnare,
Reges atque principes
Inter se pugnare,
Burgenses et milites
Saepe litigare,
Satagitque hospites
Hospes defraudare.

3. Nulla fit iustitia
In terra baronum,
Faciunt iudicia
Falsa propter donum
Sustinentque, copia
Magna fit latronum,
Pleni iniustitia,
Nullus facit bonum.

4. Mundus modo ponitur
Totus in errore,
Natus non diligitur
A suo genitore,
Multotiens fallitur
Sponsus ab uxore,
Nullus modo utitur
Fideli amore.

5. Corpus Christi hodie
Parum honoratur,
Et pater per filium
Modicum amatur,
Socius per socium
Saepe defraudatur,
Istud non est dubium,
Fides annullatur.

6. Totus mundus hodie
Caret bonitate,
Plenus est perfidiae
Nunc et falsitate,
Nullus est cum alio
In fidelitate,
Propter hoc miseriae
Sic sunt nobis datae.

Cod. Germ. Berolinen. IV° 1105. „Anno [14]75. Philippi et Iacobi.“ — 2, 7 sq. Hospes satagit hospites defraudare. — 3, 7 Pleni insidie.

249. De Malitia Temporum.

1. Utinam attenderet
Et clerum defenderet
Populum et regeret
Servus servorum Dei.

2. Heu, clerus opprimitur,
Et nefas extollitur,
Vera fides moritur,
Exsultant Philistaei.

3. Plurimi pontifices
Doli sunt artifices,
Cleros rodunt simplices,
Quos perturbant rei.

4. Iudicis malitia
Pervertit iudicia,
Succumbit iustitia,
Nisi detur ei.

5. Quidam semet efferunt,
Cappas amplas deferunt
Et clero se praeferunt
Iudices pharisaei.

6. Hi detractionibus
Clerum pungunt gravibus,
Imitantur actibus
Virum Helizei.

7. Lanam, linum colligunt,
Potiora diluunt,
Commoda non neglegunt
Noctis et dici.

Collect. ms. Campense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Palat. Vindobonen. 883. — 5, 2 Et cappas amplas. — Aus derselben Quelle von Huemer in Wiener Studien VI, 289.

250. De Malitia Mundi.

1. Mundi fides iam frigescit,
Sed in fraude recalescit,
Antiquatur et decrescit
In bonis operibus.

2. Mundus formam sui status
Immutavit, ergo datus
Est ruinis et locatus
Iam in suis finibus.

3. Mundus nequam et dolosus,
Perfidus et odiosus,
Vilis et laboriosus
Est in suis actibus.

4. Mundus risum dat sub fletu,
Dat iocosa, sed sub metu,
Sic ludit in suo coetu
Horis iam in omnibus.

5. Mundus mella dat sub felle,
In sua agnina pelle
Morsum ingerit lupellae
Dentibus crudelibus.

6. Mundus antiphrastice,
Quod sit mundus minime,
Dicitur, semper vae, vae
Mundo commanentibus.

7. Mundus huic iam contradixit,
Quod de caelo vox praedixit,
Hunc, qui digne papa vixit,
Signis dans et nutibus.

8. Mundus sedem iam papalem
Ad se traxit et regalem,
Disponendo cardinalem
Suis voluntatibus.

9. Mundus archipraesulatus
Simul et episcopatus,
Abbatias, monachatus
Vendit iam emptoribus.

10. Mundus plebem cum pastore,
Mundus virum cum uxore,
Cunctos locat in errore
Suis voluptatibus.

11. Mundus ius spirituale
Destruxit et saeculare,
Nullis iuste iudicare
Vult, sed falsis artibus.

12. Haec de mundo qui praedixi,
Heu, sub mundo totus vixi
Et mundanam mentem fixi;
Nunc precor flebilibus,

13. Ut tu, mater Christi pia,
Nos de mundi huius via
Transferas, virgo Maria,
Ne peccemus amplius.

Collect. ms. Stiriacense saec. 15. Cod. Stiriacen. L 26 [s. n.]. — 6, 3 vae, vae, vae. — 11, 2 Destruxit iam et.

251. Status Religiosorum Modernus.

1. Olim nostrum ordinem
principes amabant,
Et Romani praesules
ipsum honorabant,
Grata privilegia
gratis nobis dabant
Et praeter suffragia
nihil postulabant.

2. Nunc est tributarius
idem ordo factus,
In communem omnium
sortem est redactus,
Servituti subiacet,
totus est confractus,
Pro subventionibus
ad usuras tractus.

3. Plures domus ordinis
debitis gravantur,
Et ex hoc pericula
magna generantur,
Nam ut debitoribus
debita solvantur,
Oportet, ut redditus
vel terrae vendantur.

4. Nostra bona tradita
ordini iam pridem
Successores filii
auferunt eidem,
In factis eiusmodi
peccant multum quidem,
Patrum elemosynis
non servantes fidem.

5. Olim dum simplicitas
ordinis vigebat,
Nos laudabant homines,
nullus nos laedebat,
Collectas ab ordine
nemo requirebat,
Sed ordo pacifice
Deo serviebat.

6. Nunc videntes homines
grandes apparatus,
Equos et saumarios,
splendidos ornatus,
Dicunt, nisi locuples
esset horum status.
Non valerent ducere
tales equitatus.

7. Propter terras etiam,
vineas et prata,
Quae sunt a fidelibus
quondam nobis data,
Nos rodunt, nos lacerant,
dicunt: nimis lata
Sunt bona, quae possidet
gens haec cucullata.

8. Ipsi non considerant,
quantum laboramus,
Non ut nos tantummodo
sed multos pascamus,
Supervenientibus
bona nostra damus
Et exinde modicum
nobis reservamus.

9. Nos sumus in pluribus
similes iumento,
Cui dantur paleae
excusso frumento,
Sustentamur etenim
pane et pulmento,
Servato hospitibus
lauto nutrimento.

10. Nos sumus agricolae,
sed nostra cultura
Saepe fit inutilis
nobis propter plura.
Nam corrupti aeris
turbata natura
Modo laedit vineas,
modo laedit rura.

11. Ea, quae pauperibus
solebamus dare
Et in usus varios
hospitum aptare,
Cogimur de cetero
nobis reservare,
Ne nos haec benignitas
cogat mendicare.

12. Quid prodest tot vineas,
tot agros tenere,
Laborare iugiter
et semper egere?
Mendicis ordinibus
melius est vere
Quam nobis, qui talia
videmur habere.

13. Papa nihil appetit
ab his sibi dari,
Quia nudus aliquis
nequit spoliari,
In hoc solent ordines
isti gloriari,
Quod possessionibus
nolunt onerari.

14. Ipsi nihil possident
nec sunt indigentes,
Colunt enim divites
frequenter petentes,
Apud eos commedunt
nihil respuentes,
Quae sibi conveniunt,
dapibus utentes.

15. Surgentes a prandio
remotisque mensis
Benedicunt Dominum
manibus extensis,
Retributis hospiti
gratiis immensis
Recedunt nec computant
de factis expensis.

16. De ista materia
plura non loquamur,
Sed ommissis aliis
ad nos revertamur,
Poenas huius temporis
laete patiamur,
Ut bonis caelestibus
frui mereamur.

17. Signum est, quod Dominus
non vult nos perire,
Qui nos tamquam filios
non cessat ferire,
Ipse per haec tristia
det nobis transire,
Quod ad vera gaudia
possimus pervenire.

18. Amen, Amen dicite
Fratres, Benedicti
Patris qui almifici
regula constricti
In claustris ut milites
certatis invicti,
Ut in caeli curia
sitis benedicti.

Cod. Zwethalen. 294. add. saec. 14. A. — Cod. Sangallen. 925. saec. 15. B. — Collect. ms. Campen. saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Palat. Vindobonen. 883. C. — Clm. Monacen. 4423. saec. 15. D. — Clm. Monacen. 3594. saec. 15. E. — Cod. S. Petri Salisburgen. b VI 3. saec. 15. F. — 1, 3 principes A. — 3, 4 multa generantur C; plurima A. — 3, 5 creditoribus C. — 3, 7 quod redditus A. — 4, 1 Item bona AC. — 4, 6 Omnes peccant quidem C. — 4. 7 Parentum A:

Primis elemosynis B; Primi E. — 5, 2 ordinis fiebat B. — 6, 1 videntes aliqui C. — 6, 3 samarios A; sommarios C; sammarios E; summarios F. — 6, 6 horum esset A; esset eorum C. — 7, 3 Quem sunt F. — 7, 4 Nobis quondam F. — 7, 8 gens haec tonsorata B. — 8, 2 quando laboramus C. — 10, 5 Iam corrupti C. — Nach Str. 10 schiebt A ein:

Sic barones milites nobilesque terrae
Pacem diligentibus [parant malum] guerrae,
Quod dare non possumus, rodunt manus serrae,
Et quod nobis inferunt, dolor est referre.

Von 10, 4 ab fehlt das Weitere C. — 11, 1 Ob hoc quae A. — 11, 5 cogemur B. — 12, 2 possidere B. — 13, 1 nihil appetit A. — 14, 4 potentes F. — 15, 1 a dapibus A. — 16, 6 laeti F. — 17, 1 Dignum est B. — 17, 4 punire B. — 17, 6 det nos hinc transire DF. — Str. 18 nur in F. — Aufschrift: Pulchra metra valde D; Status religiosorum modernus E; Sequuntur versus de statu moderno ordinis Carthusiensis. Cod. Mazarin. (ol. Vallis S. Spiritus apud Gosnam) 1764 (1225). saec. 15.

Wattenbach, Monumenta Lubensia, Breslau 1861, p. 29. überschreibt das Lied: Planctus sancti Bernardi abbatis. Die Unrichtigkeit dieser Angabe mufste schon die Erwähnung der Bettelmönche darthun. Vgl. Hauréau, Des poèmes attribués à S. Bernard. p. 35. Den Verfasser nennt Cod. Guelfenbyteran. 212. (Helmstadien. 185) anni 1471 fol. 200: „Bicinus de statu monachorum non mendicantium.“ Aus dieser Handschrift ging die Angabe über in Leysers Historia poetarum et poematum medii aevi p. 2155 und in Fabricius Bibl. Lat. med. et inf. aetat. (1858) I, 228. Leider wissen wir von Bicinus nichts aufser seinem Namen.

252. Conflictus Mundi et Abrenuntiantis.

1. Tabescentis iam immundi
Fluctuantem huius mundi
Cursum cum inspicio,
Dum me terret timor mortis,
Tam immitis et tam fortis,
Tunc totus deficio.
Quidquid dedit, hoc recepit
Mundus, heu, me decepit
Inconstantes
Et errantes
Fortunae ludens aleas;
Quidquid tuum est, non durat,
Quod infelix homo curat,
Ergo, munde
Tam immunde,
A te recedo, valeas.

2. Dic, amice, cur insanis?
Numquid vivis cum insanis?
Rupto pacis foedere
Absque causa ab amico
More saevo et iniquo
Sic quaeris recedere?
Quis te terret, quis minatur?
Cur inconstans mens vagatur?
Trepidare
Tu quis quare,
Cum te nullus insequitur?
Fugitivam firma mentem,
Nullis causis pavescentem,
Pone metum,
Cor fer laetum,
Te favor noster sequitur.

3. Nihil agas, litus aras,
Detinere si me paras
Tua cum astutia,
Semper stultos sic deludis,
Quibus ex falsis concludis
Permixta versutia,
Syllogizas indirecte
Et subinfers falsa tecte,
Falsitatem,
Veritatem
Nectis ut rem cum fabula.
Certe verus es sophista,
Quis prudens non sentit ista?
Te mendosum
Et dolosum
Scripsi in cordis tabula.

4. Noli, frater, sic errare;
Nam malum pro bono dare
Naturae pro vitio
Digne potes incusari,
Si tu non vis recordari
Sumpto beneficio.
Nonne multis te praefeci
Et multos tibi subieci?
Famam, mores,
Res, honores
Dando te feci dominum;
Omne meum pretiosum
Tibi dedi et formosum;
Flecte lora
Sine mora,
Ut sis dux et rex hominum.

5. Tace, miser, quid blandiris?
Quidquid promittis, mentiris,
Et sunt transitoria
Cuncta, quae tua censentur,
Et quae tam sunt et habentur,
Cadunt a memoria.
Truffis tuis multos necas,
Quorum mores tu excaecas;
Sic pro melle
Potas felle,
Ut amicum decipias;
Unde tecum stare nolo,
Sed et te vitare volo.
Ergo vale,
Cede, male,
Tua tecum recipias.

6. O infelix, an non sentis,
Quod status vitae praesentis
Meo pendet omine?
A me sceptra tenent reges,
Per me magnis dantur leges
Et sub meo nomine.
Praesul, imperator, papa,
Simul monachus in cappa
Vult et audet,
Immo gaudet
Mea esse familia;
Cardinales me sequuntur,
Presbyteri me fruuntur,
Vulgus credit
Et oboedit,
Tu quoque fac similia.

7. Quod tantum tibi servivi
Et in tantis oboedivi,
Fletus cogor fundere,
Nam hunc, qui tibi servire
Semper vult et oboedire,
Niteris confundere;
Nil das tuo servitori
Nisi hic et ibi mori,
Heu, sic stultos
Valde multos
Tuo subdis imperio.
Fraudasti primos parentes
Et post hos multos sequentes.
A me ergo
Dato tergo
Fuge cum vituperio.

8. Iam non prosunt blandimenta,
Ibo ergo per tormenta
Sororum subtilium,
Quas saligia ostentat
Et per literas praesentat. —
Ach, harum consilium,
Heu, me miserum deiecit
Et potu mortis infecit;
Sed, o pia
Tu Maria,
Ne peream, me foveas. —
Frustra potes invocare
Hanc, quam cessa sic turbare,
Non evades
Me, sed cades
In laqueos et foveas.

9. Mihi, ut te magis pungam,
Daemonem et carnem iungam. —
Tunc nequeo subsistere. —
Iamiam, care, hic est finis. —
Certe opto, ut his binis
Valeam resistere

Et a tuo solvi hamo;
Ore, voce, corde clamo:
Tu dignare
Me iuvare,
Ut tibi mente libera
Possim, ut decet, servire,
Dulcor suavitatis mirae,
Iesu bone,
A Plutone,
Carne, mundo nos libera.

Collect. ms. Stiriacense saec. 15. Cod. Stiriacen. L 26. [s. n.]. — 1, 13 Quas infelix homo non curat. — 1, 14 mundus. — 2, 6 Si quaeris. — 3, 2 sic me. — 3, 9 Falsitatem et. — 3, 12 est. — 4, 5 tu fehlt. — 4, 6 de beneficio. — 4, 13 et fehlt. — 5, 8 tu fehlt. — 6, 3 emine. — 6, 8 et monachus. — 6, 3 mei fruuntur. — 7, 12 Sic fraudasti. — 8, 13 quam cessas turbare. — 9, 16 Carne et mundo. —

In der Hs. steht Abrenuntians vor Str. 1, 3, 5, 7, vor 8, 6 dann vor 9, 3 und 9, 5; Mundus vor Str. 2, 4, 6, 8, vor 8, 12, Str. 9 und 9, 4. Wo innerhalb der Strophen 8 u. 9 die redende Person wechselt, ist ein Gedankenstrich gesetzt worden.

253. Canticum, quo incitantur servi Dei ad caelestem patriam desiderandam.

1. Urbs sancta Ierusalem,
In caelis locata,
In te Deus Israel
Ponit adprobata,
Fertilis contrata,
Plena bonis Domini,
Tu promissa homini,
Qui servat mandata.

2. Locat in te Dominus
Adprobatos sane,
Te supremus angelus
Perdidit profane,
Vir ex te Dianae
Levi pulsu corruit,
Reverti non valuit
Ob scelus immane.

3. Expoliti lapides
Truduntur pressuris,
Hi plexi ut iaspides
Tuis insunt muris,
Et assueti duris
Facile te rapiunt,
Hi sibimet faciunt
Vim, de te in curis.

4. Nemo coronabitur,
Nisi qui laborat,
Fera cane capitur,
Qui bene odorat,
Qui illam explorat,
Non dat se inertiae,
Sed plenus saevitie
Ululando plorat.

5. Ave, dulcis regio,
Longe te videmus,
In maris periculo
Dura sustinemus,
Te forsan perdemus,
Stantes in hoc dubio,
Circumdati fluvio,
Sic metum habemus.

6. O beata civitas,
Strictam habens stratam,
Paupertas, humilitas
Hanc capit contratam,
O urbem beatam,
Quam sensus non colligit,
Visus non se porrigit
Ad tuam stimatam.

7. O dies pulcherrima,
O vita beata,
Nulla tibi vespera,
Dies dilatata,
Luce adornata,
Quando te videbimus,
Qui in scaeni gemimus
Foetida contrata?

8. Te securam patriam
A longe videmus,
Tremo, ne ob acria
Plura te perdemus,
Poenam sustinemus,
Timor nos humiliat,
Quia nemo, qui sciat,
Qui in te intremus.

9. Viam habes arduam
Et hostes habemus,
Qui habent saevitiam,
Et eos timemus,
Paucam spem censemus,
Licet fit mens frigida,
Timet sibi ardua,
Quibus cedit scelus!

10. Nisi Dei dextera
Tres hostes prostrabit,
Mens effecta tremula
Nunquam his obstabit;
Rarus, qui intrabit
Regnum tuum, Domine,
Intrans cum dulcedine
Canticum cantabit.

11. Omne bonum in te est
Sine omni malo,
uventus est grata res
Absque sene cano,
Carent veterano
Tui cives floridi,
Gaudent forma candidi
In corpore sano.

12. Aegritudo nulla est
Ibi nec senectus,
Agnus est illorum rex
Mitis et modestus,
A cunctis acceptus,
Vere magna gloria
Videre per omnia
Nuptiis effectus.

13. Christiana anima,
Quaere sacerdotem,
Confitere crimina
Et habebis dotem,
Habet nemo sortem,
Nisi lotus crimine,
Et probus in opere
Capit vivum fontem.

14. Pulchri erunt facie
Socii angelorum,
Qui hic squalent macie
Pro regno caelorum,
Hos Deus decorum
Coronabit gloria,
Fugabit contraria
Protector eorum.

15. Elevatus erit sol
Stans in oriente,
Septuplum splendidior
Propheta censente
Et ab occidente
Pendet luna iugiter
Lustrans septempliciter
Domino iubente.

16. Lux lunae contabitur
Quasi lumen solis,
Lux solis ornabitur
Septemplicis moris,
O quantum honoris
Iusti tunc accipient,
Quando hic propitient,
Sempiternis horis.

17. Et iustorum corpora
Quasi sol fulgebunt,
Propter grata opera,
Dum illustri erunt
Ut sol, nudi erunt,
Qui veste non indiget,
Quae cernit mens, ruminet
Cor, haec quanta erunt.

18. Si sic luna, iusti, sol
Decoris habebunt,
Qualis horum conditor
Erit, quem colebunt?
Tunc omnes videbunt,
Quam est magni muneris
Lux lucis, fons luminis,
Cui inhaerebunt.

19. Nulla maior gloria,
Quam videre regem
Decorum in patria,
Cum tenebit sedem;
O beatam plebem,
Quae videbit Dominum,
Conditorem omnium,
Suum fovens gregem.

20. Haec est dies Domini,
Quam Abraham videbat
Gratam sui animi,
Propter quod gaudebat,
Hinc fidem habebat,
Quod ad hanc perveniat,
Si Deo adhaereat,
Qui mercem spondebat.

21. Merces magna Dominus
Non potest comprehendi,
Si hoc temptat animus,
Dignus reprehendi;
Non licet extendi
Ad impossibilia,
Nam abyssus nimia
Dat causam timendi.

22. Noscitur in hac via
A bonis et a malis
Divina essentia
Patens generalis,
Vis est naturalis
Cunctis nosse Dominum,
Qui creator omnium
Et pater primalis.

23. Videbunt in patria
Dei maiestatem,
Quos ducet ad atria
Monstrans claritatem,
Cernent bonitatem
Patris clementissimi,
Filii altissimi,
Girabunt suum patrem.

24. Sicut est, videbitur,
Et, quod est, scietur,
Sed, quod est, non sequitur,
Quod hoc perscrutetur,
Nam nunquam scietur,
Quod est Deus Sabaoth,
Nemo scit nec sciet hoc
Nec, quantus habetur.

25. Non fuisset Dominus
Magnus et immensus,
Si valeret animus
Hunc capere mensus,
Noster parvus sensus
Quaerens altitudinem
Feret raptitudinem,
Ut arcus stat tensus.

26. Infinitum capere
Res, quae est finita,
Cum temptat hoc facere
Imbibit vetita,
Carebit contrita,
Cadens prae altissimis
Ruptis sibi intimis
Exibit a vita.

27. Reserabis, Domine,
Portam nobis caeli,
Ut sint tutae animae
Ab hoste crudeli,
Fac nos confoveri
In caelesti gremio,
Ubi a daemonio
Nequibimus laedi.

28. Qui cor mundum possidet,
Aditum habebit,
Opes qui non colliget
Et qui nullum laedit,
Nam qui mundus erit
Sine ulla macula,
Hic lucens ut facula
Regnum obtinebit.

29. Sed timendum nobis est,
Ne nos pereamus,
Quia carnis nostrae lex
Negat, quae optamus;
Si hanc stimulamus,
Emittit suspiria,
Cursitat per devia
Studens, ut cadamus.

30. Ad orandum surgere
Caro non permittit,
Si temptamus legere,
Infirma sum, dicit,
Mole mentem vicit,
Claudit vitae ianuam
Nobis per pigritiam
Et gaudet, cum gliscit.

31. Semper vult comdere
Praecellentes escas
Et cogit nos quaerere
Species agrestas,
Nisi illucescas,
Deus, et hanc ferias
Mentique subicias,
Volabit post vespas.

32. Et cum avolaverit,
Nequaquam redibit,
Nam, ritum quem coeperit.
Eo interibit,
Raro usum vicit,
Carne facta stolida
Stulta fit et anima,
Cum non contradicit.

33. Trinitati gloria
Et honor aeternus
Et per cuncta saecula
Et per omne tempus,
Ut dies extremus
Nobis iucundissimus,
Christusque laetissimus
Ac vultu serenus.

34. Si quis cartam rapiat,
Fulmen hunc occidat,
Propter quia appetit,
Quod iustus declinat,
Si cupit, rescribat,
Vetita non rapiat,
Christum mente capiat
Et huic benedicat.

Cod. Wratislavien. II Q 14. saec. 15. — 3, 3 plectis. — 3, 4 Tuis instar muris. — 3, 8 Non detr' in curis. — 29, 2 nosmet pereamus. — Strophe 8 ist eine Art Wiederholung von Str. 5; ob eine von beiden Interpolation?

254. De Morte.

1. Cum sim modo moriturus,
Mihi, Christe, ne sis durus
Mortis in articulo,
Me conturbat timor mortis,
Nam ignoro, quam sit fortis
Et plenus periculo.

2. Hic extinctum corpus iacet.
Decor perit, lingua tacet,
Caro datur vermibus,
Vermes nostri sunt heredes,
Scorpiones et serpentes
Nos corrodunt dentibus.

3. Hinc ignotam regionem
Vadit homo post laborem
Praesentis miseriae,
Adest daemon attractator,
Adest ille seminator
Totius malitiae.

4. Iacet homo in sepulcro
Et nil habet iam de pulchro,
Privatus honoribus,
Putret caro, patent ossa,
Cuncta videns in hac fossa
Repleta foetoribus.

5. Foetor ipse, qui exhalat,
Quis sim egò, nunc declarat
Patenti iudicio,
Visus tuus, quod me videt,
Nisi fallor, multum timet,
Naris claudit padio.

6. Mea tibi sepultura
Semper assit pro scriptura
Et clausura lapidis,
Si, quod dico, bene penses,
Nulli dies, nulli menses
Erunt sine lacrimis.

7. In sepulcro sum inclusus,
Vita mea tamquam fumus
Transiit velociter;
Quis sum ego, et tu eris,
Scito, quia morieris,
Forsitan atrociter.

8. Ubi pater, ubi mater,
Ubi soror, ubi frater,
Ubi sunt confilii?
Dum obissem, doluerunt,
Ad sepulcrum me duxerunt
Voce quadam flebili.

9. Ploraverunt, redierunt,
Ibi me dereliquerunt
Certe multum viliter;
Esca vermis sum effectus,
Cibus eris et electus,
O quam rodunt dulciter!

10. Multi dolent gavisuri,
Nummos meos divisuri
Et domos atque praedia,
Nihil curant de me ipso,
Quando laute stant in disco,
Committunt eusenia!

11. Si affinis sum istius,
Parum dolet, dum totius
Partem solus accipit,
Et si nunc sum praebendatus,
Multis quidem ero gratus,
Quando me mors accipit.

12. Statim currunt ad praebendam
Quasi semper possidendam,
Non pensant pericula;
Clericalem formam sumunt,
Vitam malam semper ducunt
In Petri navicula.

13. Paupertatem detestantur,
Dignitates amplexantur
Et honoris gloriam,
Aurum quaerunt et argentum,
Nullum curant detrimentum
Propter horum copiam.

14. Post hoc autem moriuntur,
Ad ignotos devolvuntur
Cuncta, quae possederant,
Maledicunt eis multi,
Horum bonis errant fulti,
Et mendicos fecerant.

15. Tamquam nihil sunt proiecti,
In sepulcro stant abiecti
Neci dati acriter,
Fluunt crines, cutis scatet,
Frons marcescit, visus latet,
Dentes cadunt pariter.

16. Intestina computrescunt,
Ibi vermes requiescunt
Corrodentes omnia;
Ubi honor huius mundi,
Ubi opes, ubi fundi,
Ubi mundi gloria?

17. Transierunt velut umbra,
Adhuc restat mors secunda
Resurgente corpore;
Ibi cuncta patent cunctis,
Dum resurget omnis cutis
Ad mercedem propere,

18. Caeli regnum acceptura
Vel inferni claustra dura
Attestante Domino:
Veni turba beatorum,
Regnum accipe caelorum
Absque ullo termino.

19. Sed damnatis dicit: Ite,
Maledicti, nunc abite
Ad inferni baratrum;
Prima vox quam laeta erit,
Sed secunda dura ferit,
Dum mittit in tartarum.

20. Primam vocem nos audire
Christus donet, ne in fine
Damnemur cum impiis,
Sed in caelis collocemur
Angelisque sociemur
In aeternis gaudiis.

Collect. ms. saec. 15. Clm. Monacen. 641. — 1, 5 l. Non ignoro? — 4, 4 patunt. — 7, 3 Transit. — 7, 5 Scito quod. — 12, 2 Quam semper. — 14, 4 eis inulti. — 14, 5 erant multi. — 18, 5 Veni regnum. — 19, 6 tartara. — Aufschrift: „Bernhardus".

255. Vado mori.

Vado mori, series ab initio nova non est,
Omne vivens noscat dicere: vado mori.
Vado mori, res certa quidem, nil certius illa,
Hora sed incerta vel mora, vado mori.
Vado mori, sed nescio, quo vel quomodo, quando,
Cum minus puto, tunc dico: vado mori.
Vado mori, videat, quo currat quisque superstes,
Cursor habet memori dicere: vado mori.
Vado mori, praesens transactis aequiparabor,
Sed non transivi, transeo, vado mori.
Vado mori, cinis in cinerem tandem rediturus,
Ordine quo coepi, desino; vado mori.
Vado mori, sectans alios sectandus et ipse,
Ultimus ac primus non ero, vado mori.
Vado mori, rex sum, quid honor, quid gloria regni?
Est via mors hominis regia, vado mori.
Vado mori papa; nam mors, praeparavi diu me,
Non sinit, os cogit claudere, vado mori.
Vado mori miles, belli certamine victor,
Mortem non didici vincere, vado mori.
Vado mori, pugiles doctus superare duello,
Sed mortem nequeo vincere, vado mori.
Vado mori iudex, quia iam plures reprehendi,
Iudicium mortis sentio, vado mori.
Vado mori consul prudens, prudentia mundi
Nulla potest mortem fallere, vado mori.
Vado mori civis, nec opes nec deliciae me
Securum reddent de nece, vado mori.
Vado mori, causas aliorum iuraque fovi,
In me iura fovet mors sua, vado mori.
Vado mori, ceteros mercator saepe fefelli,
Sed mortem nequeo fallere, vado mori.
Vado mori, genitus de sanguine nobiliori,
Nec genus indutias dat mihi, vado mori.

Vado mori pulcher visu, mors ipsa decori
Vel formae nescit parcere, vado mori.
Vado mori medicus, medicamine non redimendus,
Quidquid agat medici potio, vado mori.
Vado mori logicus, aliis concludere novi,
Concludet brevi mors mihi, vado mori.
Vado mori sapiens, sed quae sapientia novit
Astutias mortis fallere? vado mori.
Vado mori stultus, mors stulto vel sapienti
Non iungit pacis foedera, vado mori.
Vado mori dives, aurum vel copia rerum
Nullum respectum dant mihi, vado mori.
Vado mori pauper, nil mecum defero, mundo
Contempto nudus transeo, vado mori.
Vado mori monachus, mundi moriturus amori,
Hunc spernens possum dicere, vado mori.
Vado mori senior, nam finis temporis instat,
Iamque patet mortis ianua, vado mori.
Vado mori iuvenis, quia non valet ipsa iuventus
Ultra metam vitam ducere, vado mori.
Vado mori sperans per longum vivere tempus,
Forte dies haec est ultima, vado mori.
Vado mori gaudens, non gaudens tempore longo,
Mundi dimitto gaudia, vado mori.
Vado mori, non me retinet vitiosa voluptas,
Nec luxus auget vivere, vado mori.
Vado mori epulis variis vinoque repletus,
His utens restat dicere: vado mori.
Vado mori cernens, quod mors cunctis dominatur,
Tensa videns mortis retia vado mori.
Vado mori, non me tenet ornatus neque vestis
Linea nec mollis culcita, vado mori.
Vado mori, quotiens mortem considero certam,
Mortis opus meditor, desero, vado mori.
Vado mori, misero sententia dura, beato
Grata, mori sequitur vivere, vado mori.
Vado mori sperans vitam sine fine manentem,
Spernens praesentem, sic bene vado mori.
Vado mori, miserere mei, rex inclite Christe,
Omnia dimittens debita, vado mori.
Vado mori, rex alme, viam vitae mihi monstra,
Ut vitare queam devia, vado mori.

Orat. ms. Tegurinum anni 1500—1508. Clm. Monacen. 20015. — 52. Iamque pacis mortis. — „Hos versus de morte composuit Dominus Helinandus, qui fuit multum egregius in omnibus dictis suis.“

256. Dialogus Mortis cum Homine.

1. Quis es tu, quem video
hic stare sub figura?
In visu es horribilis
tristisque statura,
In toto tuo corpore
es macies obscura,
Me tua dispositio
perterruit impura.

2. Ego sum, quem metuit
omnis creatura,
Timent me praesentia,
praeterita, futura,
Sum iudex de sententia
strictissima censura,
Non prodest appellatio,
condemno poena dura.

3. Miror, unde venias,
non vidi tibi parem,
Nam habes mentum horridum
et horrendam narem,
Si diu te inspicerem
et approximarem,
In terram forte caderem
nec tandem me levarem.

4. De regione venio
multivariarum
Horribilitudinum,
dolorum et poenarum,
Ubi mihi balneum
Styx parat amarum,
Ministri sunt reptilia
liquorum et aquarum.

5. Quare sic horribilis
deformis et exsistis,
Tuusque intuitus
exstat valde tristis?
Capitis calvitie
et membris inhonestis
Iam inspectis timeo,
ne sequatur pestis.

6. Si non essem horridus,
deformis atque tristis,
Non essetis pavidi;
oportet, quod ex istis
Discernatis exitum,
super quo sum testis,
Eritis consimiles,
qui modo laeti estis.

7. Dic ergo, quae causa est
istius horroris?
Es dentatus turpiter,
(et) labellis cares oris,
Olent tua guttura
plenissima foetoris,
Circumdatus es vermibus
intus atque foris.

8. Quod quaeris, per te poteris
agnoscere profecto,
Nam vitales spiritus
per meam vim resecto
De corpore ex quattuor
humoribus collecto,
Isti sunt vermiculi
corpore tumba tecto.

9. Nunquam nos terrigenae
resistere valemus
Tuis potentatibus
per artes, quas habemus,
Ut in terra iugiter
viventes habitemus,
Nec tuas violentias
omnino formidemus?

10. Stulte quaeris, quia sum
vobis nimis fortis,
Contra me non praevalent,
quae pullulant in hortis,
Sed quodcunque nascitur
in terra, meae sortis
Non evadet laqueos,
quin cissum bibat mortis.

11. Quid est hoc, quod contines
manibus siccatis?
Apparet semicirculus
ab una parte satis
Acutus, sed in reliqua
est plus obtusitatis,
Vellem scire, cuius est
hoc utilitatis?

12. Vidisti nunquam simile
huius instrumenti,
Quod dicitur messorium
et aptum est metenti?
Hoc mitto verus occidens
stans in oriente,
Nunc aquiloni comminor,
nunc australi genti.

13. Si es messor, ideo
non metes nisi messes,
Quae maturae fuerint,
et quandoque cesses?
Contrarium si faceres,
non bonus messor esses
Et meus adversarius
nimium me lacesses.

14. Ne, credas mihi, minime
de hoc ego curo,
Sin mihi placuerit,
in fructu inmaturo
Haec falx operabitur,
in claro et obscuro,
Non obstabunt moenia
dente pro praeduro.

15. Parce, precor igitur,
te nosco iam et vidi
Plures, quos prostraveras,
qui se vix elidi
Crediderant, flebiliter
in tumulos collidi,
Et paene motis pedibus
ego dentes stridi.

16. Non novi vobis parcere,
tamen aliquando
Fit specialis gratia
tempus prolongando
Pro digna paenitentia
pro scelere nefando;
Vigilate itaque,
vos nescitis quando.

17. Qui cunctis animantibus
scis iniuriari
Atque meis subditis
soles dominari,
Sive sit in aere,
terra vel in mari,
Peto mea tempora
modo prolongari.

18. Audisti satis antea,
quod tibi revelavi,
Me fore strictum iudicem
nec ullam perpetravi
Viventibus iniuriam,
sed saepius negavi
Vitam terrae dominis,
nam erant valde pravi.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Lunaelacen.) 3848. saec. 15. „Explicit altercatio animae et corporis“ [sic!] — 4, 6 parat poenarum. — Dies Gedicht befindet sich auch in Cod. Oxonien. Laud. Miscell. 512. saec. 15 mit der Bemerkung: „Explicit brevis sequentia facta et compilata a S. Bernardo.“

257. Quod homo debet cogitare, qualis erit in sepulcro.

1. O qui sine viribus
Iaces in tormento,
Turpior es turpibus,
Te datur retento
Tua caro vermibus
Morsu violento
Et cum tua fraudibus
Superbia vento.

2. Cum te plus inspicio,
Te nunc plus ignoro,
Fronte signum facio
Crucis, tremens ploro
Dicens: in palatio
Stabas et in foro,
Nuper magno pretio,
Nunc stas turpi choro.

3. Non tibi discernitur
Nasus neque vultus,
Tua forma perditur,
Funa stas sepultus,
Et os tibi panditur,
Si fuisti stultus,
In te verus creditur
Esse Deus ultus.

4. Alternatus penitus
Es et denigratus,
A cunctis praeteritus
Iaces hic prostratus,
Cum tuum intuitus
Sum utrumque latus,
Expavesco territus,
Nollem esse natus.

5. Ubi pulchra facies,
Ubi pulchri dentes,
Quorum superficies
Fugat te videntes?
Responde, quid facies,
Si mundi potentes
Transeunt ut glacies
Cuncta relinquentes?

6. Denudato capite
Colla disiunguntur,
Artus verme comite
Cuncti dissolvuntur,
Rupto ventris limite
Viscera panduntur,
Nescio, quo semitae
Tuae diriguntur.

7. Verum, qui te viderit
In tam turpi lare,
De se ipso poterit
Idem cogitare,
Sed si prudens fuerit,
Hic flebit amare
Commissa, post poterit
Secure cubare.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343. anni 1351. — 3, 4 l. vielleicht Fundo oder tumba? 6, 4 solvuntur. — 7, 2 tam turpi loco.

258. Adhortatio „ad terrorem omnium".

1. Ad terrorem omnium
surgam locuturus,
Omnis clerus audiat,
simplex et maturus;
Nihil est, quod timeam,
valde sum securus,
Noster sermo percutit
velut ensis durus.

2. Puniendi praesules
sunt et cardinales,
Abbates et monachi,
sanctimoniales,
Sacerdotes aemuli,
clerici venales,
Congregantes iugiter
opes temporales.

3. Quanto plus adcumulant,
tanto plus marcescunt,
Sunt velut hydropici,
quorum membra crescunt,
Cum plus bibunt, sitiunt
magis, exarescunt;
Sic avari miseri,
nunquam requiescunt.

4. Quid est avaritia,
nisi vilis cultus,
Vanitatum vanitas,
cordium tumultus?
Pereunt divitiae,
perit homo stultus;
Miser postquam moritur,
statim fit sepultus.

5. In sepulcro tegitur
vili tegumento,
Deputatur postea
miser in tormento,
Quatitur suppliciis
ut arundo vento,
Redimi non praevalet
auro nec argento.

6. In mundanis opibus,
quae vos possidetis,
Cuncta transitoria
sunt, quae vos videtis,
Quaerite psalmigraphum
et invenietis:
Nihil horum proprium
est, quae vos tenetis.

7. Plures in hoc saeculo
vidi praepotentes,
Auro, gemmis, vestibus
valde renitentes,
Demum vidi miseros
illos et egentes,
Suis a minoribus
cibum expetentes.

8. Quid in vestris opibus,
miseri, speratis,
Variis induviis
corpus adornatis?
Ecce, pauper postulat
vestem nuditatis,
Quem videre, miseri,
prorsus denegatis.

9. Vos in torreumatibus,
clerici, iacetis,
Cortinis et palliis,
verneis tapetis;
Unum vobis nuntio:
modo si gaudetis,
In futuro saeculo
vae, vae, vae dicetis.

10. Semper carnes carnibus
addere curatis,
Cum pigmentis species
multas madidatis,
Vino meracissimo
sciphis deauratis
Utrem ventris sordidum
saepe recreatis.

11. Quare, dum in prandio,
praesules, sedetis,
Ostia pauperibus
claudere iubetis?
Pauper clamat vocibus
admodum quietis,
Cui vix de reliquo
datur, quod habetis.

12. Homo plus vult metere
quam in agro serit;
Cui plura Dominus
praestat, plura quaerit;
Vitae vobis ianua
semper clausa erit,
Iudicis sententia,
quam tulit, vos ferit.

13. Alios, ut novimus,
scitis admonere,
Lacrimis ut valeant
crimina delere,
Illis paenitentiae
pondus sustinere
Datis, sed non digito
vultis removere.

14. Quid subiectis onera
ferre datis dura?
Acriter authentica
ferit vos scriptura
Ea, qua fueritis
mensi, cum mensura
Metietur Dominus
vobis in tritura.

15. Mundus in discrimine
iacet convolutus,
Norma rectitudinis
totus dissolutus,
Regni sui gloria
rex est destitutus,
Arbiter institiae
iacet quasi mutus.

16. Obfuscatur veritas,
legis lux praeclara,
Immolatur puritas
pectoris in ara,
Non perfecta iudicum
fides, immo rara,
Magis amat munera
larga quam avara.

17. O quam detestabilis
res, cum metu flenda,
Res plena livoribus,
res obstupescenda,
Non est in iudicibus
fides adhibenda,
Suffocat iustitiam
modica praebenda.

18. Qui, cum ordinarii
legum sint censores,
Iudicando populos
magnos et minores
Veritati detrahunt
velut proditores,
[Prodi]gentes omnium
pauperum labores.

19. Vertor ad propositum
his decursis ita:
Sit vobis, pontifices,
aliena vita
Doctrix legum omnium,
auro redimita
Ut in caelis portio
nostra sit unita.

20. Vestra lux resplendeat
luce claritatis,
Ut exemplum conferat
omnis sanctitatis,
Nam, dum caecus sequitur
caecum in peccatis,
Pariter in foveam
cadunt caecitatis.

Collectan. ms. Voravien. saec. 13. in. Cod. Voravien. 376 (136). — 2, 5 tutuli (l. cuculi? Die Lesart aemuli nach dem Cod. Voravien. 374 (306). — 4, 7 Miser quisquam. — 14, 6 menssi. — 16, 3 veritas. — 18, 7 ram gentes, die erste Silbe ganz verschwunden. — Die Strophen 1, 2, 4, 5 zusammengeschmolzen mit den Strophen 8 u. 9 aus „Tempus acceptabile“ (s. die gleich folgende Nummer) bilden in der Hohenfurter Hs. 42 ein eigenes Lied (s. Anal. I. Nr. 52).

In ähnlicher Weise sind in einem Collectan. ms. Voravien. saec. 14. Cod. Voravien. 374 (306) die 6 ersten Strophen des vorstehenden Liedes mit einer Schlufsstrophe, der ich sonst nirgends begegnete, in ein kürzeres Ganze zusammengefafst. Die Varianten der 5 ersten Strophen sind: 1, 5 timeo. — 1, 7 Sermo meus. — 2, 4 nigrae moniales. — 3, 5 Dum. — 3, 6 et arescunt. — 4, 7 Quando dives moritur. — 5, 3 sqq. Dum mutatur potius vilis in tormento | In tormentis quatitur. — Die 6. Strophe ist aus Str. 6 u. 9 unseres Liedes zusammengesetzt; dieselbe nebst der Schlufsstrophe lautet:

6. Cuncta transitoria
sunt, quae vos videtis,
Quaerite psalmigraphum
et invenietis;
Unum vobis nuntio,
quod percipietis:
In futuro saeculo
vae, vae, vae dicetis.

7. Artifex, qui condidit
hominem ex luto
Et linivit oculos
caeci sacro sputo,
Vestras salvet animas
crimine soluto,
Pax sit vobis omnibus,
ego vos saluto.

Unmittelbar daran schliefsen sich ohne jeden Absatz und ohne Überschrift 3 weitere Lieder, von denen das erstere bei der nächsten Nummer zu besprechen ist, die beiden anderen unter Nr. 261 mitgeteilt werden. — Vgl. übrigens die Anmerkung zu Nr. 260.

Cod. Voravien. 374 (306) bietet die Melodie:



259. Adhortatio ad paenitentiam.

1. Tempus acceptabile
tempus est salutis,
Tempus est excutere
regnum servitutis,
Accingamur igitur
gladio virtutis
Resistentes fortiter
hostibus hirsutis.

2. Quasi leo rugiens
hostis investigat,
Variis contagiis
animos fatigat,
Quaerit, quos decipiat,
et deceptos ligat,
Ut aeternis morsibus
miseros adfligat.

3. Graviter offendimus
regem maiestatis
Qui nos per clementiam
summae trinitatis
Suam nobis gratiam
conferendo gratis
Sanet a languoribus,
mundet a peccatis.

4. Res infelicissima,
cur non confiteris?
Dic tuas malitias,
ut iustificeris,
Steriles indutias
et inanes quaeris
Exspectando senium,
forte cras non eris.

5. Carnis pestilentiae
restringamus lora,
Si quae bona facta sunt,
fiant meliora,
Erigamur igitur
ad honestiora,
Ne nos ad interitum
trahat ista mora.

6. Forte tamen cogitas,
vivam decem annis,
Tunc me durioribus
castigabo pannis
Et induar vestibus
Pauli vel Iohannis,
Sic exspectat rusticus,
donec fluat amnis.

7. Quisquis ergo paenites,
lacrimis abunda,
Et corde et opere
tua facta munda,
Istos David lapides
posuit in funda,
Haec est post naufragium
tabula secunda.

8. Cogitate, clerici,
qui vel quales estis
Et quid in iudicio
dicere potestis,
Non erit alicui
locus in digestis,
Idem erit Dominus
iudex, actor, testis.

9. Iudicabit iudices
iudex generalis,
Nihil ibi proderit
dignitas papalis,
Sed foetorem sentiet
poenae gehennalis,
Sive sit episcopus
sive cardinalis.

10. Nihil ibi dabitur
bullae vel scriptori,
Nihil camerario
sive ianitori,
Sed dabuntur praesules
pessimo tortori,
Quibus erit vivere
sine fine mori.

11. Vobis ergo praecipit
conditor caelorum,
Ut vos sitis quilibet
socii iustorum,
Ut columbae simplices
ad exempla morum,
Consortes si fieri
vultis angelorum.

12. Vestros, ait Dominus,
renes accingatis,
Quod est absque dubio
zona castitatis,
Ac lucernam etiam
manibus feratis,
Ut exemplum populo
bonum praebeatis.

13. Viri venerabiles,
servientes arae,
Vobis iubet Dominus
plebem castigare,
Informare moribus,
in spe radicare,
Ut et vos cum populo
possit laureare.

14. Sacerdoti convenit
legem sacram scire,
Plebem vita, moribus,
verbis erudire,
Ut, cum tandem venerit
illa dies irae,
Piam vocem Domini
possit hanc audire:

15. Sacri vos presbyteri,
sacri vos prophetae,
Quod vobis paratum est,
regnum possidete,
Quod vobis paratum est
sine metu metae,
Benedicti filii,
mecum congaudete.

16. Fertur dies Domini
quasi fur venire,
Hic dies miseriae
atque dies irae,
Ad hanc quisque studeat
sese praemunire,
Ut ad caeli gaudia
possit pervenire.

Collect. ms. Campen. saec. 14/15. Cod. Palat. Vindobonen. 883. A. — Cod. Lipsien. 271. add. saec. 13. in. B. — B hat nur die 7 ersten Strophen u. z. in folgender Anordnung 1. 2. 5. 3. 6. 4. 7. — 1, 8 ictibus resutis A. — 2, 3 Vanis contagionibus B. — 3, 3 Sed nos indulgentia B. — 3, 7 Salvet B. — 4, 8 mundet B. — 4, 7 Exspectas decennium B. — 4, 8 forte morieris A. — 6, 2 refrenemus B. — 5, 5 Erigamur ocius. — 5, 7 Nam ad se periculum B. — 5, 8 trahit B. — 6, 1 Tecum forte B. — 6, 2 cum iam decem A. — 6, 5 Tunc assumam habitum. B. — 7, 3 Ore, corde, corpore B. — Nach Str. 7 folgt in B noch:

Quid dicturi miseri sumus ante thronum,
Ante summum iudicem, ante summum bonum?
Tunc non erit aliquis locus hic patronum,
Cum [nostrarum praemia reddet actionum].

Das weitere fehlt. — 10, 5 Et dabuntur A. — 11, 6 exempla suorum A. — 11, 7 fieri fehlt A. — 12, 5 Hanc lucernam A. —

Im Collectan. ms. Voravien. saec. 14. Cod. Voravien. 374 (306) begegnete ich diesem Liede in folgender Strophenordnung: 8, 9, 10, 12, 1, 2, 3, 5, 4, 6. Als Einleitung sind 2 Strophen vorgesetzt des Wortlautes:

Omnes modo deprecor,
ut me audiatis,
Magni atque minimi,
ut intellegatis;
Si non bene dixero,
vos mihi parcatis
Atque supervacua
verba corrigatis.

Reverendi domini,
rogo vos clementer,
Ne unquam turbemini
nec clam nec patenter,
Sed compatiemini
mihi patienter,
Si quid addam carmini
minus competenter.

Den Abschlufs bildet die Strophe:

O vos omnes clerici, cito properate,
Angelorum Dominum honorificate,
Simul avaritiam omnem evitate
Et diem iudicii semper cogitate.

Im Übrigen vgl. die Anmerkungen zur folgenden Nummer.

260. De Extremo Iudicio.

1. Antequam iudicii
dies metuenda
Veniat, sunt omnia
mundi commovenda,
Nam per dies quindecim
modo sunt videnda
Signa nimis aspera,
signa perhorrenda.

2. Relegens Hieronymus
libros Hebraeorum
Ista signa repperit
et ad posterorum
Scripsit haec memoriam,
ut suppliciorum
Convertantur impii
metu futurorum.

3. Namque mundi vespere
venient portenta
Et haec possunt equidem
dare documenta,
Pravis quam crudelia
veniant tormenta,
Semper qui dilexerant
mundi blandimenta.

4. Prima dies saeculo
tale signum dabit:
Mare surget tumidum
undasque levabit,
Quadraginta cubitis
montes superabit,
Terram nec operiet,
sed ut murus stabit.

5. Signum die postera
tale subsequetur:
Mare petet infima
et sic abscondetur,
Quod vix illud oculis
hominum cernetur,
Sed ad statum pristinum
post haec revertetur.

6. Die pisces tertia
super fluctus stabunt
Et mugitus maximos
contra caelum dabunt,
Congregatae volucres
plangent et clamabunt,
Nec non omnes bestiae
planctu resonabunt.

7. Quarta lux horribile
signum exhibebit,
Mare cum fluminibus
omnibus ardebit,
Omne genus hominum
videns hoc pavebit
Et prae metu nimio
pro se quisque flebit.

8. Non minus crudelia
quinta lux monstrabit,
Totam terram sanguinis
sudor occupabit,
Omnis herbae species
sanguine rorabit,
Omne genus arborum
pariter sudabit.

9. Sexta die moenia
cuncta dirimentur,
Turres, domus, oppida
cuncta destruentur,
Instrumentis bellicis
non sic laberentur,
Immo propter proximum
finem confundentur.

10. Die vero septima
lapides pugnabunt,
Et alternis ictibus
invicem crepabunt,
In cavernis homines
metu latitabunt,
Et, ut eos obruant,
montibus clamabunt.

11. Totam terram motui
lux octava dabit,
Qui sic erit validus,
quod cuncta turbabit,
Non homo, non animal
super pedes stabit,
Cuncta simul stantia
ad solum prostrabit.

12. Montes colles lapides
in terram vertentur
Die nona pariter,
cuncta ut aequentur,
In unam planitiem
cuncta redigentur,
Nullaque superflua
sub caelo linquentur.

13. In cavernis homines
prius delitentes
Ibunt die decima
campos per patentes
Et errabunt undique
veluti dementes,
Prae timore nimio
loqui non valentes.

14. Post terrorem siquidem
talium signorum
Die sub undecima
claustris sepulcrorum
Fractis foras salient
ossa defunctorum
Et terrorem facient
oculis vivorum.

15. De supernis partibus
postea pressurae
Die duodecima
mundo sunt venturae,
Fixae caelo quoniam
stellae sunt casurae,
Et per partes aeris
flammae volaturae.

16. Die terna decima
cuncti morientur,
Qui vivi in saeculo
tunc reperientur,
Cum defunctis aliis
ut resuscitentur
Et secundum merita
sua iudicentur.

17. Ignis quarta decima
die succendetur,
Ut, quod homo polluit,
in mundo purgetur,
Ergo superficies
caeli comburetur,
Atque terrae facies
idem patietur.

18. Dies quinta decima
caelum renovabit
Atque terrae pariter
novam formam dabit,
Et post haec angelica
tuba mox sonabit,
Quae defunctos insimul
omnes suscitabit.

19. Axis post incipiet
totus rutilare,
Nam in luce veniens
Christus nubis clarae
Iosaphat videbitur
super vallem stare,
Vivos atque mortuos
omnes iudicare.

20. Current ad iudicium
omnes qui vixerunt,
Tunc videbunt reprobri,
quem reprobaverunt,
Illis et monstrabitur,
in quem pupugerunt,
Iustique prospicient,
quem concupierunt.

21. Hinc occulta cordium
omnium patebunt,
Opes et pecuniae
nihil tunc valebunt,
Amatores saeculi
flebunt et egebunt,
Caelique divitias
iusti possidebunt.

22. Nullus ineffabilem
gloriam sanctorum
Vel dolorem dicere
potest damnatorum,
Iustis erit omnium
patens fons bonorum,
Illis erit omnium
cumulus malorum.

23. Ergo quisquis properet
reus emendari,
Studeat criminibus
lacrimis lavari
Nec se per diabolum
sinat superari,
Sed venturum iudicem
curet venerari.

Clm. Monacen. (ol. Pollingen.) 11601. saec. 14. A. — Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. 14/15. B. — Collect. ms. Campen. saec. 14/15. Cod. Palat. Vindobonen. 883. C. — 2, 1 Perlegens B; Beatus Ieronymus C. — 2, 2 libris C. — 2, 4 et apostolorum C. — 2, 5 Describit memoriam BC. — 3, 1 Nam in mundi B; Iam in mundi C. — 3, 3 Certa possunt equidem B; Quae haec possunt C. — 3, 5 quod crudelia BC. — 3, 7 Qui nunc tantum diligunt B. — 4, 3 turgidum B, turbidum C. — 4, 3 surgens BC. — 4, 4 undas elevabit C; sursum se levabit B. — 5, 1 Signum erit postera A. — 5, 2 tale quod sequetur A. — 5, 5 vix ipsum B. — 5, 7 Et ad statum A. — 5, 8 statim revertetur B. — 6, 1 Pisces die tertia BC. — 6, 4 versus caelum BC. — 6, 7 Cunctae quoque bestiae BC. — 7, 7 Et mens metu nimis AC; Ac prae metu nimio B. — 7, 8 per se quisque C; quisque flens stupebit B. — 8, 1 Signum nimis horridum B; Non his minus horridum C. — 8, 3 Herbas cum arboribus B. — 8, 4 sanguis occupabit B. — 8, 5 sqq. in B:

Omne genus avium se coadunabit
Nil gustans, sed nimium pavens formidabit.

9, 3 Domus, turres, moenia A. — 9, 4 castraque solventur BC. — 9, 6 non ita labentur A. — 9, 5 sqq. in B:

Nec machinis bellicis ita destruentur,
Igneaque flumina ubique spargentur.

10, 3 alternis vicibus C; Contra se ad invicem B. — 10, 4 collisi crepabunt B. — 10, 7 Et ut se operiant B. — Str. 11 lautet in AC:

Totam terram tremere lux octava dabit,
Super pedes animal suos nullum stabit,

Cunctis terrae partibus nova lux aequabit
Et defunctos insimul omnes suscitabit.

Str. 12 fehlt AC. — 13, 2 prius latitantes B. — 13, 4 per campos vagantes B. — 13, 6 sicuti B. — 13, 8 non audentes C. — 14, 1 horrorem B; terrorem et fidem A. — 14, 5 foris B, fossis C. — 14, 7 horrorem C. — Str. 15 lautet in B:

Die duodecima stellae sunt casurae
Scintillas[que] flammosas ubique sparsurae,
Cunctae quoque bestiae per campos visurae
Nil gustantes penitus, sed vocem daturae.

16, 1 tertia decima A. — 16, 3 Qui viventes in A. — 16, 5 sq. Et cum ante mortuis mox resuscitentur B. — 16, 7 Et tunc secundum opera B. — 17, 1 Die quarta decima BC. — 17, 2 ignis succendetur BC. — 17, 3 Et quod A; Ut si quid reliquum B. — 17, 5 Caelum nihilominus B. — 17, 6 simul comburetur B. — 17, 7 Terrae quoque facies B. — 18, 1 Die A. — 18, 4 novam formam B. — 18, 6 tuba resonabit B. — 18, 7 Et defunctos C; Et sic omnes mortuos B. — 19, 1 Postmodum incipiet B; Postea videbitur C. — 19, 2 mundus rutilare BC. — 19, 3 Et cum nube veniet BC. — 19, 5 sq. und 7 sq. umgestellt A.

Von Str. 20 an verläuft jede Handschrift anders. Der Text folgt A. — 20, 3 Hic videbunt A. — 22, 7 Iugis frts omnium A. — Nach 22, 8 folgt noch: Et aeternis [sic] cruciatus omnium malorum. — 23, 1 Ecce quisque A. — 23, 7 sq. fehlen A. — Nach Str. 23 in A:

Et nos defendat, qui per omnia saecula regnat,
Amen, solamen Michael dat mihi per Amen.

Verlauf des Gedichtes in B von Str. 20 an:

20. Christus [tunc] cum maxima
veniet potestate
Mirabilisque gloria
atque claritate,
Durus patens reprobis,
iustis lenitate
Placens, [sed] cum omnibus
utens aequitate.

21. Current ad iudicium
omnes, qui vixerunt;
Hic corona, lancea
crux et clavi erunt,
Tunc videbunt reprobi,
quem reprobaverunt,
Iustique prospicient,
quem concupierunt.

22. Iudicis ad dexteram
boni statuentur,
Mali per oppositum
ad laevam ponentur,
Ut ad lucem tenebrae,
sic hi secernentur,
Et quibus(cum)que dabitur
iuste, quod merentur.

23. Cunctis cuncta cordium,
arcana patebunt,
Cuncti conscientias
cunctorum videbunt,
Puritate mentium
iusti tunc gaudebunt,
Sed pollutis mentibus
impii lugebunt.

24. Non hic excusatio,
non hic advocatus,
Planctus, luctus, lacrimae,
fletus ac precatus,
Honor, opes, munera,
genus, potentatus
Non iuvabit miseros
vel cuiusvis status.

25. Audire vel facere
bona nolebamus,
Sed mala peragere
non metuebamus,
Docentes salubriter
nos deridebamus,
Idcirco perenniter
mala toleramus.

26. Olim non putavimus
haec loca subire,
Quando vix credidimus
nos vitam finire,
Sed mox in nos irruit
terror mortis dirae
Et ad ista compulit
tormenta venire.

27. Ibi cum daemonibus
sumus computati,
Qui nos igne cruciant
simul cruciati,
Et, quorum paruimus
semper voluntati,
Cogimur perpetuas
cum his poenas pati.

28. Nunc ergo, carissimi,
Deum diligamus
Et cavendo noxia
bona faciamus,
Ut non post cum impiis
male pereamus,
Sed cum sanctis omnibus
semper gaudeamus.

Verlauf des Gedichtes in C von Str. 20 an:

20. Quid dicturi miseri
sumus ante thronum,
Ante tantum iudicem,
ante summum bonum?
Non erit alicui
locus in patronum,
Dum nostrarum praemia
redde(n)t(ur) actionum.

21. (Dum) ante thronum stabimus
iudicis severi,
Non erit distantia
laici et cleri,
Nulla tunc exemptio
poterit tueri,
Cum perventum fuerit
ad examen veri.

22. Nulli erit licitum
quidquid allegare,
Neque fas excipere
neque replicare
Nec ad apostolicam
sedem appellare,
Reus condemnabitur,
nec dicetur quare.

23. Nihil ibi dabitur
bullae vel scriptori,
Sive camerariis
sive ianitori,
Sed dabuntur divites
pessimo tortori,
Quibus erit vivere
sine fine mori.

24. Iudicabit iudices
iudex generalis,
Nihil ibi proderit
dignitas papalis,
Foetorem quando sentient
ignis gehennalis,
Sive sit episcopus
sive cardinalis.

25. Ad terrorem omnium
surgam locuturus,
Omnis clerus audiat
simplex et maturus,
Nihil est quod timeo,
valde sum securus,
Sermo meus percutit
velu tensis durus.

26. Puniendi praesules
sunt et cardinales,
Abbates et monachi,
nigrae moniales,
Sacerdotes aemuli,
clerici venales,
Congregantes insimul
opes temporales.

27. Quanto plus adcumulant,
tanto plus marcescunt,
Sunt velut hydropici,
quorum membra crescunt,
Dum plus bibunt, sitiunt
magis et ardescunt,
Sunt avari miseri,
nunquam requiescunt.

28. Homo, postquam moritur,
statim fit sepultus.
Quid est avaritia
nisi vanus cultus,
Vanitatum vanitas,
cordium tumultus?
Pereunt divitiae,
perit simul stultus.

29. Apud nostros iudices
iura subvertuntur,
Et qui leges faciunt,
lege non reguntur,
Non attendunt miseri
mala, quae sequuntur,
Nam, qui damnant alios,
primi damnabuntur.

30. In sepulcro tegitur
vili tegumento
Deportatur postea
miser in tormento,
Patitur supplicia
ut arundo vento,
Redimi non praevalet
auro vel argento.

31. Ergo cor aponere
magis non debetis
In mundanis opibus,
quae non possidetis;
Cuncta transitoria
sunt, quae vos videtis,
Quaerite psalmigraphum
et invenietis.

32. Cogitate, divites,
qui et quales estis,
Quid in hoc iudicio
dicere potestis,
Non utemur codice,
libro vel digestis,
Idem erit Dominus
iudex, actor, testis.

33. Semper carnem carnibus
implere curatis,
Cum privatis opibus
multa devastatis,
Vino meracissimo
scyphos vacuatis,
Ventrem ventis sordidum
saepe reseratis.

34. Ut decet presbyterum
sint pudici renes,
Testis est Ieronymus,
testis Origenes;
Tu quoque, qui princeps es
et qui mira tenes,
Dimitte mulieres
veluti sirenes.

35. Vos, qui in cherucibus,
clerici, iacetis
Sericis et palliis,
lanois tapetis,
Unum vobis nuntio:
qui mundo gaudetis,
In futuro saeculo
vae, vae, vae dicetis.

36. Currunt ad iudicium
omnes, qui vixerunt,
Tunc videbunt reprobi,
quem reprobaverunt,
Et eis monstrabitur,
in quem peccaverunt,
Iustique prospicient
quem concupiverunt.

37. Tunc occulta cordium
omnium patebunt,
Opes et pecuniae
tunc nihil valebunt,
Amatores saeculi
flebunt et egebunt,
Sed caeli divitias
iusti possidebunt.

38. Nullus ineffabilem
gloriam sanctorum
Vel dolorem dicere
posset damnatorum,
Illud quod fons omnium
erit his bonorum,
Illis erit cumulus
omnium malorum.

39. Ergo quisquis properet
reus emundari,
Studeat criminibus
omnibus lavari
Et venturum iudicem
curet venerari,
Ut in die valeat
mala liberari.

Der Text von Strophe 20 an stellt sich in B als eine Erweiterung dar, in C als eine Interpollation aus verschiedenen fremden Bestandteilen, die namentlich den Liedern „Ad terrorem omnium“ (Nr. 258) und „Tempus acceptabile“ (Nr. 259) entlehnt sind, und zwar entsprechen sich die Strophen in folgender Weise:

Str. 23 = 259, 10; 24 = 259, 9; 25 = 258, 1; 26 = 258, 2; 27 = 258, 3; 28 = 258, 4; 29 = ?; 30 = 258, 5; 31 = 258, 5; 32 = 259, 8; 33 = 259, 10; 34 = ?; 35 = 258, 9. — Strophe 36 ff. sind die Schlufsstrophen des Liedes in A.

Noch krauser und bunter ist die Form dieses Liedes oder vielmehr dieser Lieder in der Gestalt, wie sie Du Méril (Poésies populaires latines du moyen âge, p. 122 sqq.) nach der Pariser Hs. 7011 anni 1343, und Wright (The latin poems commonly attributed to Walter Mapes, p. 52 sqq.) nach Flacius Illyricus mitteilt. Abgesehen von den Varianten und Umstellungen

einzelner Verse ist dort die Reihenfolge oder vielmehr Vermischung der Strophen aus disparaten Liedern die nachstehende (die erste Zahl bezeichnet die Nummer des Liedes im vorliegenden Bande, die zweite Zahl die betreffende Strophe):

Du Méril, „Quid dicturi miseri“: 260 C, 20; 21; 22; 259, 8; 9; 10; 260 C, 29; ‖ 258, 1; 2; 3; 4+5 (zusammengezogen u. verderbt); 6 (umgeändert wie 260 C; 31); ‖ 259, 13; 11; (dann eine wohl anderswoher entlehnte Strophe: Vos qui vultis populo); 14; 15.

Wrihgt, „Tempus acceptabile“: 259, 1; 1; 3; 5; 6; 4; 7; ‖ dann wie bei Du Méril: 260 C, 20; 21; 22; 259, 8; 9; 10; 260 C, 29; ‖ es fehlt alsdann der Passus aus „Ad terrorem omnium“ ‖ ; darauf 259, 11; 12; (Vos qui vultis populo); 13; 14; 15.

Die angezogene Strophe lautet nach der Pariser Hs:

Vos, qui vultis populo Domini prodesse (l. praeesse),
Immo vultis potius populo praeesse (l. prodesse),
Eius curam agere decet indefesse,
Pios, largos, humiles, dignos, iustos esse.

Vgl. R. Peiper im Archiv für Litteraturgesch. herausg. v. Schnorr v. Carolsfeld, IX, 1880, S. 177 ff. Peiper meint „drei verschiedene Gedichte zu erkennen, von denen das eine das andere zur Voraussetzung hat“ und zwar in der Reihenfolge: I. Antequam iudicii dies metuenda; II. Quid dicturi miseri; III. Tempus acceptabile. Dem steht indes gegenüber, dafs in älteren Hss. die drei Lieder Nr. 158—160 jedes als abgerundetes Ganze ohne nachweisbare Einschiebsel aus älteren Liedern und ohne irgend eine Strophe mit einander gemeinsam zu haben (betreffs Nr. 260 kommt hier selbstredend nur die Hs. A in Betracht), sich vorfinden. Betreffs des Liedes „Quid dicturi miseri“ gesteht Peiper selbst: „Ich kenne noch keine Hds., welche das Gedicht selbsständig enthielte; es erscheint entweder in I (Antequam iudicii) eingeschoben . . ., oder mit III (Tempus acceptabile) verbunden“ (a. a. O. S. 122). Also für selbständige Existenzberechtigung fehlt ein durchschlagender Grund, während vieles oder alles dagegen spricht. — Warum hingegen „Ad terrorem omnium“ nicht als selbständiges Lied anzusetzen sei, läfst sich nicht ersehen. Schon die Aufschrift zum Liede „Tempus acceptabile“, die bei Wright (a. a. O.) lautet: „Praedicatio Goliae ad terrorem omnium“ weist auf einen geläufigen Liederanfang hin. — Nebenbei sei bemerkt, dafs Chevaliers Repertorium hymnologicum über alle diese echten oder zweifelhaften Liederanfänge nichts zu berichten weifs, trotz der reichen Litteratur; nur das einzige „Ad terrorem omnium“, aber in seiner gekürzten und umgemodelten Fassung, wie es Anal. I. Nr. 52 mitgeteilt ist, findet sich registriert. — Vgl. aufserdem Sommer, Zeitschr. f. deutsches Altertum III, 532, und Mone, Schausp. d. MA. I, 320.

261. Exhortatio bona ad clerum.

1. Omnes, qui assistitis,
senes et periti,
Me audire, deprecor,
sitis expediti,
Lingua tamquam gladio
minime muniti;
Nihil enim exsequar,
quod sit dignum liti.

2. Sed, si audieritis
quidquam me errare
Sive per ambagines
vobis iusultare,
Vobis erit licitum
illud emendare
Atque supervacuum
quidque resecare.

3. Incarnato Domino
propter peccatores,
Ut prophetae memorant
nobis seniores,
Obtulerunt munera
mystica pastores,
Pacis et concordiae
veri sectatores.

4. Parvum in cunabulis,
plenum sanctitatis,
Collaudarunt angeli
psalmis decantatis:
Gloria in sedibus
summae maiestatis
Atque pax hominibus
bonae voluntatis.

5. Haec pax, dilectissimi,
super vos quiescat
Et ad bona opera
iugiter lacescat,
Si quid crevit hactenus
mali, nunc decrescat
Et ad instar pulveris
prorsus evanescat.

6. Vestris in praecordiis
sit voluntas bona,
Quae virtutum omnium
dicitur matrona,
Ac si temporalia
vos habetis dona,
Date et cingimini
caelibi corona.

7. Non sint, qui remurmurent
intra se dicentes:
Quid solvemus Domino
nihil possidentes?
Cum non tantum munera
quantum puras mentes
Conditor respiciat
dirigens agentes.

8. Invicem diligite,
sicut nos dilexit
Christus, qui pro populo
mori non despexit,
Quod, qui die tertia
postquam resurrexit,
Vectes rumpens inferi
mortua conquexit.

9. Solvite altissimo
hanc humilitatem,
Qui pro nobis induit
carnis vilitatem,
Exhibentes omnibus
veram caritatem
Prout habueritis
rerum facultatem.

10. Hominem famelicum
cibo recreate
Vel, si potum sitiat,
illum sibi date,
Lacrimanti nudulo
vestem erogate
Et infirmos debiles
crebro visitate.

11. Larga vobis tempora
vitae non fingatis,
Ne sub spe ambigua
bonum neglegatis,
Nescientes . . . .
quando corruatis
Aut in quali postmodum
sede quiescatis.

12. Nam si bonum fuerit
penes vos inventum,
Ibitis ad gloriam
et non ad tormentum,
Sed si patiemini
mali detrimentum,
Lividis trademini
dentibus serpentum.

13. In caminum igneum
impii trudentur,
Ubi a tortoribus
saevis punientur,
Nec prece nec pretio
mali redimentur,
Nam clientes Satanae
nulli miserentur.

14. Verum nihil comparo
gloriae divinae,
Ubi nil tristitiae,
ubi nil ruinae,
Sed perenne gaudium,
regna sine fine;
Felix, qui servierit
maiestati trinae.

15. Ergo bono nitite,
fratres, insudare,
Ut, cum princeps venerit
terram iudicare,
Vestra possint opera
iudicem placare,
Ut vos secum faciat
iugiter regnare.

Collect. ms. Voravien. saec. 14 Cod. Voravien. 374 (306). — 2, 3 ambagies. — 2, 5 erat. — 6, 6 non habetis. — 6, 8 caelibi = caelesti. — 15, 1 bonum licite.

Dieses Lied ist in der Hs. an 2 andere unmittelbar angefügt, an „Ad terrorem omnium“ (s. Anmerkung zu Nr. 258) u. „Omnes modo deprecor“ (s. Anm. zu Nr. 259). Bemerkenswert ist die gleichartige Einleitung in allen dreien. — Als viertes reiht sich ebenso unmittelbar an ein scharfes Rügelied, dessen Inhalt an die Schmähllieder im Band XX der Analecta erinnert. Hier möge es seinen Platz finden, da es völlig unbekannt zu sein scheint:

1. Lyram, quam suspenderam
carmine sopito
Ritu fretus catuli
cursibus attrito,
Plectro regam pristino
canens imperito
Et perito coetui,
quem invitus vito.

2. Ergo clerum deprecor
teuerae aetatis,
Ut sermonem audiat
meae pravitatis,
Nam stridente cithara
chordis temperatis
Audiet, quid noverim
loqui de praelatis.

3. Vobis tamquam fratribus
referam decreta,
Quae sancivit gentium
pastor et athleta,
Pontifex Honorius,
maior quam propheta,
Rei tamen serie
penes suos spreta.

4. Inito concilio
papa praesidente
Et astante simplici
plebe competente,
Verius ut fatear
ipso me vidente,
Solvitur silentium
papa sic dicente:

5. Dei dilectissimi,
sitis benedicti,
Legem vobis tradimus
facilis edicti,
Quibus in subsidium
sumus hic relicti,
Ut solvamus vincula
veteris delicti.

6. Nostris cardinalibus
et eorum servis,
Nostris ianitoribus
piis, non protervis,
Hospitum res modica
detur a catervis,
Ne servire desinant
dissolutis nervis.

7. Verum quidquid cedere
nobis est consuetum,
Amputare penitus
nostrum est decretum,
Ne quis fiat cupidus
propter rerum metum
Locum nostrum visere
gratia repletum.

8. Unde ad pontificem
sacrosanctae sedis
Ite confidentius
cruentati foedis
Operum contagiis
perpetratae caedis,
Ne vos ulla terreat
quaestio mercedis.

9. Hoc sermone pontifex
clerum consolatus,
Dolo vulpis perfidae
intra se armatus
Terminat concilium
et fit sermo gratus,
Per quem clerus fuerat
caute laqueatus.

10. Istam indulgentiam
vilem et obscaenam
Triplicat, ut omnium
congreget amenam,
Castigare cupiens
divitum crumenam
Et capsellam pauperum
raro nummis plenam.

11. Consulo, ne laqueos
istos incidamus,
Sed hanc indulgentiam
irritam sciamus ;
Certe procul dubio,
quod, si nil feramus,
In Romana curia
vane laboramus.

12. Ibi bullae traditor,
ibi ianitores
Reddunt se difficiles
et recludunt fores,
Omni pleni vitio
palam laudatores,
Sed accepto munere
prorsus detractores.

13. Papa, quod reliquerit
veritus pudorem,
Extorquere servulum
iubet viliorem,
Seu spadonis phalerae
sitiens nitorem,
Seu mantellum [cupiens]
propter pennae florem.

14. Cum sic papa caespitet
caput praelatorum,
Frandem fraude cumulat
propter spem lucrorum,
Et cum per astutiam
nactus non per forum,
Non est tutum credere
verbis Romanorum.

15. Languescente capite
venter cruciatur,
Cui individue
semper copulatur,
Errantem pontificem
clerus imitatur,
Et sic doli species
magis augmentatur.

16. Ergo, cum ad curiam
istam transeamus,
Consulo et moneo,
ut nos muniamus
Vasculis argenteis,
quae distribuamus,
Vel, si desint munera,
domi maneamus.

Zu vermerken sind die Varianten: 1, 5 Plectro regum. — 1, 7 Et peritos. — 8, 3 Ut confidentius.

262. De Novissimis.

1. Homo, Dei creatura,
Cur in carne moritura
Est tam parva tibi cura
De aeterna gloria?
Illa quanta sit, si scires,
Praeter eam nil sitires
Nec post mundi sic abires
Cito transitoria.

2. Et si poenas infernales
Cognovisses, quae et quales,
Tuos utique carnales
Appetitus frangeres,
Et innumera peccata,
Dicta, facta, cogitata
Mente tota consternata
Merito deplangeres.

3. Tot sunt gaudia sanctorum,
Tot tormenta miserorum,
Quod immanitas amborum
Nullo sensu capitur,
Donec anima post mortem
Aut bonorum sumat sortem,
Aut malorum ad cohortem
Improvise rapitur.

4. Quando caro sepelitur,
Heu, de spiritu nescitur,
Utrum gaudet vel punitur,
Non fit magna mentio;
Luctus quidem simulatur,
Sed substantia vastatur,
In propinquis generatur
Zelus et contentio.

5. Mors est bonis, mors et malis,
Sed sors nimis inaequalis
Subinfertur aeternalis
Vitae vel interitus;
Exsequiae celebrantur,
Si vel noti convivantur,
Nil defuncto suffragantur,
Si tunc est immeritus.

6. Nullum tempus paenitendi,
Hora nulla revertendi
Neque locus fugiendi
Miseris supererit;
Si vis sursum, detraheris,
De abyssis extraheris,
Iudicanti praesenteris,
Nec quidquam intererit.

7. Si non Iesum dilexisti
Et Mariae servivisti
Nec patronum quem petisti
Tibi in subsidium,
Quis orabit pro delicto,
Quis spondebit pro convicto,
Quis iudicio tam stricto
Fiet in praesidium?

8. Pacis angeli astabunt,
Sicut scriptum est, plorabunt,
Tamen flignam affirmabunt
Iudicis sententiam;
Et, quod sonat magis dure,
Omnes Dei creaturae
Adgravabunt iusto iure
Malam conscientiam.

9. Sed haec factis ex scelestis
Est ipsius gravis testis
Nullam iudicis in gestis
Intuens iniuriam;
Hinc horrendi mox tortores
Tot incutiunt terrores,
Quod iam sentiens dolores
Vertitur in furiam.

10. Tunc a bonis reprobata,
In seipsa desperata
Et in toto desolata
In profundum mergitur,
Ubi chaos hoc firmatur,
Quod nunquam egrediatur,
Sicut Abraham testatur;
Huc illuc non pergitur.

11. O quae lingua explicare,
Vel quis sensus cogitare,
Quis audet dinumerare
Mala multiplicia,
Quae perversis sunt creata
Et diversis deputata,
Prout singula peccata
Exigunt et vitia?

12. O peccator, vis audire
Et de multis pauca scire,
Quae permisit hic sentire
Quendam Dei gratia?
Qui, cum Deum precaretur,
Ut hic ita purgaretur,
Quod post mortem duceretur
Ad caeli palatia,

13. Quamvis nimium peccavit,
Deus tamen hoc donavit
Et illaesum conservavit
Corpus in certamine.
Nam, cum Satan hoc videret,
Quod conversus paeniteret
Et quod Domino placeret,
Huius pro examine

14. Tecta miscuit tormenta,
Quod ad ipsa temptamenta
Supra mundi elementa
Invisa conficeret.
Aestum, fluxum, flatum talem
Sensit frater inaequalem,
Ex portentis infernalem
Aperte coniceret.

15. Ignem quendam sentiebat,
Cuius flammam non videbat,
Ipsum tamen exurebat
Satis mirabiliter,
Ignem gessit et urentem
Et gravissime prementem,
Velut lapidis urentem (sic!)
Flantem horribiliter.

16. Sub quo iacuit astrictus
Et per grandes eius ictus
Tam potenter est adflictus,
Ut ignis uredinem
Quasi nullam advertebat,
Quia flamma sic fremebat,
Quod calori praeferebat
Plagas et gravedinem.

17. Fratris huius et in cella
Torrens ignis ut procella
Influendo fecit bella
Dura et magnalia;
Flamma quoque hunc obstruxit,
Quae ter ita eius suxit,
Quod mirando non eduxit,
Illius vitalia.

18. Liquor ardens igne pluit,
Et grando in ipsum ruit,
Chaos tale quod non fuit
Videns ab initio.
Ista saepe dum sentiret,
Accidit, quod nil plus sciret,
Quam quod totus interiret
Mundus hoc supplicio.

19. Ut tonitrua tonabant,
Tanta fulgura micabant
Et quam plura his constabant,
Quae carent mundi nomine;
Frater vero sic plagatus
Mox fuisset conquassatus,
Si non Dei sustentatus
Fuisset tunc munimine.

20. Corpus sopor adligavit,
Sed cor suum vigilavit,
Deus enim dispensavit
Hac in paenitentia,
Nunc passurum roborando,
Nunc illaesum relevando,
Poenas semper temperando
Cum sua clementia.

21. Hostes saepe furientes,
Malleis percutientes,
Tamquam laminas cudentes
Ipsum fabricaverant,
Sed ad Deum sic correptus
Cum clamaret, est ereptus
Et post pauca readeptus
Vires, quas hi straverant.

22. Saepe frater praenotatus
Est sub terram transportatus
Et in locis malleatus
Nimis horribilibus,
Ubi tenebrae condensae,
Voces durae et immensae,
Et scintillae sunt succensae
Flantes in fabrilibus.

23. Locus ingens et umbrosus,
Foetor ardens et fumosus
Rumorque tumultuosus
Et abyssus sitiens,
Terror illic assistenti
Nec tormenta patienti,
Tantum monstra haec videnti
Esset crux sufficiens.

24. Ignem vidit praeinfulsum
Velut turbine perculsum
Aut in follibus impulsum,
Flammantem forinsecus,
Qui sic flagrans insanivit,
Quod agnoscere nequivit,
Si purgandasque punivit
Animas intrinsecus.

25. Prunas vivens ibi grunit,
Si quos caput subtus unit
In abysso, sua punit
Non flamma motabiles,
Sed carbones sunt grandaevi
Ad urendum nimis saevi,
Tam profundi, ut in aevi
Saecula durabiles.

26. Idem raptus extra mundum
Tartarum ad gemebundum
Locumque ad sitibundum
Et aestu plenissimum,
Ubi quidam laborantes,
Quidam dure imperantes,
Aestus onera portantes
Et iugum gravissimum.

27. Erant autem viri lassi,
Vultu nigri tamquam assi,
Defluentes pice crassi,
Nec in his contentio,
Nam laboribus attriti
Loquebantur vix inviti,
Arefacti magna siti
Sudabant silentio.

28. Ad haec opera coactus
Frater fuit tabefactus,
Nam ab aestu ipse tactus
Mox coepit destitui,
Invocata vere dia
Matre Domini Maria
Statim eius prece pia
Meruit restitui.

29. Locum vidit et impurum,
Grandem nimis et obscurum
Et ingressum valde durum
Quasi portam inferi,
Quem anhelans hunc allexit
Magis magisque invexit,
Deus tamen hunc erexit
Flagitantem egeri.

30. Tot sunt loca tenebrosa,
Tot occulta monstruosa,
Quod haec terra spatiosa
Et cuncta visibilia
Quasi nulla sunt miranda
Nec ad illa comparanda,
Nam ista quidem narranda,
Sed haec indicibilia.

31. Hostes saepe de profundo
Poenas ferunt exeundo,
Ut praemissi in hoc mundo
Inferant supplicia,
Quia peccatorum multa
In hoc mundo fiunt multa,
Nam abyssus et oculta
Dei sunt iudicia.

32. Multi, qui iam migraverunt,
In hoc mundo mala ferunt,
Quod peccata commiserunt
Nobis ignorantibus.
Plures animae plangentes,
Ad hunc brevi venientes,
Assumpserunt adfligentes
Poenas cum flammantibus,

33. Ut sic ipse purgaretur
Et illis compateretur
Magisque recordaretur
In missis et precibus;
Unde quaedam valde gratae
Sibi visae sunt renatae,
Evolantes ut purgatae
Suis iam a faecibus.

34. Flammam etiam fumantem,
Terram ipsam devorantem,
Fundamenta revelantem
Ab imis emergere,
Ignem nubibus condensum,
Ventum ignibus accensum
Et tremore comprehensum
Populum dispergere;

35. Sacramentum ab altari
Vidit sursum elevari
Et in iudicem mutari
Multum ineffabilem,
Quo ad iudicandum mundum
Fecit iustis se iucundum
Et iniustis iracundum
Necnon importabilem.

36. Haec cum frater ut videret
Et examen hoc timeret,
Rogavit, ut plus paeniteret,
Vitae indulgentiam,
Nam commissa sic deleta
Et omissa sic completa
Sensit, quod iam mente laeta
Spectasset sententiam.

37. Sic a visu revocatus
Adhuc multis est vexatus,
Donec plenius purgatus
Replevit fiduciam,
Nam cotidie punitus
Velut lapis est politus,
In adversis eruditus
Per multam astutiam.

38. Semel multi convenerunt,
In cellam eius irruerunt,
Ipsumque operuerunt
Daemonum tentoria,
Fratre autem his subnixo
Adhaerebat corde fixo
Christo Iesu crucifixo
Cum clara memoria.

39. Unde simili gaudebat,
Quia, quidquid sustinebat,
Hoc ad crucem repellebat
Eundem recurrere,
Illic omnibus a malis
Christi tegebatur alis,
Nec quibat locus hinc talis
Tam tutus occurrere.

40. Quando gessit graviora,
Tanto plus subtiliora
Sibique devotiora
Solebant clarescere,
Tunc maligni fabulosa
Loquebantur vel iocosa,
Ut a prece fructuosa
Hunc possent compescere.

41. Saepe tubae cum clangore,
Venti magni cum ardore,
Hostes multo cum clamore
Loquentes nefaria
Cellam eius adimplebant
Et diversis adfligebant,
Tamquam stipulam vertebant
Potestate varia.

42. Ipsum ferro pupugerunt,
Plagis multis ceciderunt,
Pluries flagellaverunt
Diris scorpionibus,
Ut gigantes quidam stabant,
Comminantes blasphemabant
Et frendentes sic tonabant
Comminationibus.

43. Ita iacuit attritus,
Quod si nullo plus punitus
Suffecisset is auditus
Solus improperii,
Verbis quidem increpabant,
Sed sic ventum agitabant,
Quod verbis ipsum verberabant
Zelo vituperii.

44. Quidquid vero sic ferebat,
Hoc in spiritu fiebat,
Nemo enim audiebat
Istis de rumoribus,
Nisi Deus occultasset,
Fratres omnes dementasset
Et vicinos convocasset
Cum remotioribus.

45. Sed cum mentem paenitentis
Non fregissent, a tormentis
Accesserunt blandimentis,
Ut ipsum deicerent,
Mundi huius vanitatem,
Iuvenum iucunditatem
Rerumque formositatem
Monstrant, ut allicerent.

46. Eius lectulo astabant,
Vasis musicis cantabant,
Chorisales simulabant
Multiplex tripudium,
Multae cantu serenarum
Adfuerunt feminarum,
Paenitentis ut amarum
Permutarent studium.

47. Strato saepe ingesserunt,
Nudi se applicuerunt,
Totum illum infecerunt
Veneno libidinis,
Qui ab eis inflammatus,
Mox fuisset inquinatus,
Non exsistens praearmatus
Virtute formidinis.

48. Sed et incubi nefandi
Gravi corpore tam grandi
Ipsum causa fornicandi
Viribus nequissimis
Oppresserunt amplexantes,
Tamquam virginem amantes,
Illuserunt osculantes
Rostris immundissimis.

49. Pauper vero his punitus
Valde sustulit invitus,
Magnos emisit rugitus
Ad Dei clementiam,
Quem ex corde dum rogavit,
Ipsum cito liberavit
Et malignos effugavit
Suam per potentiam.

50. Quidam vero ut dracones,
Rugientes ut leones,
Non oscula, sed agones
Attulerunt callidas,
Super ipsum incumbebant,
Saevis dentibus frendebant,
Sicut praedam substringebant
Vires iuxta validas.

51. In aures eius clamaverunt,
Guttura dilataverunt,
Fumum foedum spiraverunt
Gutturis et narium,
Corpus vero non portabant,
Sed ex igne, quem gestabant,
Et aere conglutinabant
Corpus voluntarium.

52. Sic figuram bestiarum
Assumpserunt plurimarum
Et naturam singularum
Scierunt rectissime,
Hominum loquacitatem,
Brutorum ferocitatem,
Suam tamen falsitatem
Prodentes novissime.

53. Vocem fratris suffocabant,
Cum oraret, subsannabant
Et post ipsum iterabant
Verba sacratissima,
Simulabant se lugere,
Bona plurima habere,
Pellem ovis induere
Monstra ferocissima.

54. Ex eius capite suxerunt
Et virtutes extraxerunt
Et inanem reliquerunt
In semidementia;
Quod hos posse tunc probavit,
Cum notorie erravit,
Tamquam porcos illos pavit
Sua neglegentia.

55. Ipsum saepe permingebant
Et squalore perfundebant
Et diversa impingebant
In hunc latrocinia,
In ore eius stercosa,
Nausida et foetorosa
Miscuerunt et lutosa,
Plena ignominia.

56. Unde propter foedum lutum
Tota die fecit sputum,
Seque horrens sic pollutum,
Quod ob reverentiam
Corpus Christi non sumpsisset
Neque missam tunc legisset,
Patris sui si audisset
In hoc complacentiam.

57. Semel equus immodestus
Gehennalis et molestus,
Cuius non equinus gestus,
Sed fera grandissima,
Hic os suum dolo plenum
Dilatavit in egenum,
Ipsum lambens ut abenum
Cum lingua amplissima.

58. Canis magnus non canino
Latrans sono sed bovino
Tamquam taeda de camino
Ardescens interius
Ascendebat ex inferno,
Quem hic voto cum interno
Praehortatus a superno
Praevenit celerius.

59. Canem magnum requisivit,
Qui hunc nimium attrivit,
Quidnam vellet, et audivit
Famem illum gerere,
Nil plus tantum esurire
Nisi monachos glutire
Et, quos posset invenire
Magis pingues, quaerere.

60. Canes multi cum latratu
Et voraci apparatu
Sicut currunt in venatu
Ad ipsum irruperant,
Qui velocem per occursum
Stantes sursum et deorsum
Amarissimum per morsum
Plus semicorruperant;

61. Sed ad Dominum dum flevit,
Eius gemitum non sprevit,
Sed salvavit, ut assueivt,
Ipsum integraliter,
Sic, quod nusquam devoratus
Visus est aut vulneratus,
Sed nimirum sic plagatus
Erat spiritaliter.

62. Nam et animae pollutae,
Sine carne, sine cute
Lacerantur iam exutae,
Sic huius exsistentiam
Inexperti ne miremur,
Sed in istis recordemur,
Quod divinam confitemur
Plus posse potentiam.

63. Frigus triplex hic probavit,
Quiddam fluxit, quiddam flavit
Et utrumque cruciavit,
Sed plagis attrocius
Frigus ternum praeter motum,
Nec in mundo tale notum,
Ipsum congelasset totum
Non raptum velocius.

64. Saepe ibi scorpiones
Et terribiles buffones
Importunas torsiones
Et taedas intulerant,
Super nudum praereptarunt,
In aures eius coaxarunt,
Nefas suum prolongarunt,
Quod secum attulerant.

65. Et serpentes venenosi
Colubrique tortuosi,
Tam igniti quam amnosi
Erant in temptamine,
Ab his huius incolatus
Multum fuit prolongatus,
Dum ad tempus desolatus
Esset pro examine.

66. Nam et omnia flagella
Reputavit quasi mella
Quoad ingravata bella,
Quae gessit interius,
Cum a Deo dereclitum
Et a malo per conflictum
Formidaret se devictum,
Quo nihil est deterius.

67. Tunc cognovit, quid damnari,
Quid a Deo separari,
Quid sit facie privari
Et Dei clementia;
Cuncta sunt ad istud parum,
Quidquid geritur poenarum,
Nil sentitur sic amarum
Ut Christi carentia.

68. Nam infirma spe dum fuit,
In quamcumque poenam ruit,
Laetabatur nec quid luit
In gratiae prasentia;
Si infernum quis iniret,
Nihil prorsus tunc puniret,
Si divina se sentiret
Frui influentia.

69. Si quocumque quis locorum
Non haberet divinorum
Affluentiam bonorum,
Mox ferret tristissima,
Sicut tempore praefato
Fratri parum desolato
Visum est Deo sublato
Se pati gravissima.

70. Tunc terrae promissionis
Typum, transmigrationis
Novit et regressionis
A terra Babylonia,
Quam bonum hereditare,
Quam amarum transmigrare,
Quam iucundum remeare
Sit in sanctimonia.

71. Tunc in specie draconis
Vidit regem Babylonis
Exeuntem cum coronis
Et suis complicibus,
Vias Sion dissipabant
Et virtutes captivabant,
Sed non diu sic regnabant
Locis in supplicibus.

72. Nam cum frater id sentiret,
Quod malignus introiret
Et interius saeviret,
Dolens amarissime
Coepit angelos rogare,
Sanctos omnes invocare,
Christo Iesu supplicare
Et matri piissimae,

73. Donec virtus sanctae spei
Parva remearet ei.
Tandem bonitate Dei,
Non suo luctamine,
Sensit hostes effugari,
Se in intimis mendari
Et celeriter iuvari
Sacrosancto flamine.

74. Sic flagella peccatorum
Partim patent miserorum,
Quae salute pro cunctorum
Merito sufficerent,
Si non homines caecati
Essent et sic indurati,
Quod in istis excitati
Postrema prospicerent.

75. Eia, homo temporalis,
Audi, pulvis et mortalis,
Qui tam vanis mundi malis
Delectari audeas,
Etsi sensum Salomonis,
Fortitudinem Samsonis
Triumphumque Gedeonis
Te habere gaudeas,

76. Sive formam Absalonis,
Vel sophismata Platonis.
Nil in rebus aut personis
Mortis scit condicio,
Sola merita manebunt
Et humilia placebunt,
Iusti quia vix parebunt
In Dei iudicio.

77. Aeger, pauper et leprosus
Plus quam dives et formosus
Apparebit gloriosus,
Si suam inopiam
Propter Christum baiulavit,
Crucem secum hic portavit,
Quia Christus huic paravit
Gaudiorum copiam.

78. Ut a malis memoratis
In hoc mundo liberatis
Et in caelo collocatis
Aeterna suscipiunt,
Quae nec auris hic audivit,
Nec videre quisquam scivit,
Nisi qui in caelis vivit,
Hi soli conspiciunt;

79. Qui sint angelorum chori,
Et electi quam decori,
Quid vivere, nunquam mori,
Quid aeterna gloria,
Quid perpetue gaudere,
Summo bono inhaerere,
Malum ultra non timere,
Quo mali nec memoria.

80. Sine senio iuventus,
Nullus ibi turbulentus,
Quivis sua stat contentus
Vitae certitudine,
Plenus illic interiectus
Quia Domini conspectus,
Implet omnium defectus
Sua plenitudine.

81. O quam felix ille, cui
Datur conditoris sui
Vultu tam iucundo frui
Ut est, non aenigmate!
Quique crucis hic amorem
Christi portant et dolorem,
Quem videbunt tunc splendorem
Quolibet ex stigmatè!

82. Nam mirandam claritatem
Omnes et iucunditatem
Sumunt et suavitatem
De Christi vulneribus,
Sed et plures hic electi,
Quamvis carne sint despecti,
Iam ut angeli electi
Vivunt his muneribus.

83. Sic de corde Christi potus
Manat, quivis ut devotus
Hic praelibat, donec totus
Suis commensalibus
In perenni copuletur,
Ut de cibo satietur,
Quo ad horam hic laetetur
Quasi temporalibus.

84. Hos in poenis adhuc mundi
Saepe spiritus iucundi
Consolantur laetabundi
Miris et obtutibus.
Quam benigni sunt affatu,
Quam praeclari apparatu,
Quam de nostro sancto statu
Gaudent et virtutibus!

85. Adiurati vix testantur,
Qui ab ipsis visitantur,
Nam in Christo gloriantur,
Non plus in hoc saeculo,
Illi quam plures arcana
Carne gustant in humana,
In qua quasi sub membrana
Vident vel in speculo.

86. Suavem quidem organorum
Sonum, dulcem musicorum,
Cantum quidem angelorum
Atque delectabiles
Quosdam caelicos sapores
Ut aromatum odores,
Quasi paradisi flores
Carpunt adamabiles.

87. Sed his notis sic attendunt,
Ut aeterna comprehendunt;
Nam praedicta nitranscendunt
Cuncta mutatoria,
Nutum quendam dum praetendunt,
Formam pulchram dum ostendunt,
Cor videntis plus incendunt,
Quam ulla transitoria.

88. Unde plures his acciti,
Hoc necare hic potiti,
Ut languentes vel sopiti
Suspirant ad aethera.
Quod idcirco post effamur,
Ut post mala, quae testamur,
Bona quaeque prosequamur
Iam nova, iam vetera,

89. Ut utrisque partim notis
Semper meritis et votis,
Verbis, factis, rebus totis
Ac iugi memoria
Abnegemus peritura,
Quod mens singulorum pura
Conversetur absque cura
In perenni gloria.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. $^{14}/_{15}$. A. — Strophe 1—11 auch in Thomae Saillii Thesaurus Litaniarum et orationum sacer, Parisiis 1599. fol. 106. sqq. B. — 1, 5 quanti B. — 1, 8 Vana transitoria B. — 3, 2 reproborum B. — 4, 2 nil scitur B. — 5, 5 ff. fehlen A. — 6, 3 Nec tunc locus B. — 6, 7 Iudici ut B. — 6, 8 Nihil tibi proderit B. — 7, 1 Si Iesum non B. — 7, 3 quaesivisti B. — 8, 3 Iustam tamen approbabunt B. — 9, 1 celestis A. — 9, 2 Est tui ipsius testis B. — 9, 5 Tunc horrendi B. — 9, 6 incutient B. — 9, 8 Vertatur B. — 10, 3 Anima sic desolata B. — 10, 5 chaos obfirmatur B. — 10, 6 Ut nunquam B. — 11, 1 lingua vel narrare

B. — 11, 3 Quis vel audet numerare B. — 11, 5 Quae damnatis sunt parata B. — 17, 6. Gemeinsames Obiect. vitalia? — 18, 4 vivens A. — 24, 7 quas A. — 31, 3 promissi A. — 31, 4 Inferunt A. — 32, 6 Ad hunc freni A. — 32, 8 Poenis A. — 36, 6 Nec omissa A. — 37, 2 Dum adhuc A. 41, 1 clamore A. 51, 4 naribus A. — 58, 6 cum fehlt. — 59, 8 pinguis A. — 69, 3 Affluentia A. — 69, 4 ferre A. — 73, 7 se iuvari A. — 77, 7 hic paravit A. — 83, 7 Quoad honorem A. — 85, 5 Hii quam A. — 88, 7 Bonae quaedam A. — Verlauf des Liedes in B von Strophe 12 bis Schlufs:

12. Ignis, frigus procellarum,
Sulphur, foetor tenebrarum,
Iugis luctus animarum
Pars earum calicis;
Sempiterna mors, dracones,
Fames, daemones, buffones
Amarissimos agones
Superaddunt miseris.

13. Tot sunt loca tenebrosa,
Tot lamenta monstruosa,
Quod haec terra spatiosa
Atque visibilia
Quasi parum sint miranda
Nec ad illa comparanda,
Ista quippe enarranda,
Haec indicibilia.

14. Sic laetitia sanctorum,
Iucunditas angelorum,
Dei gloria deorum
Est inenarrabilis;
Eris clare Deum videns,
Fruens et amore tenens,
Potens, sciens, placens, gaudens,
Fulgens, liber, agilis.

15. Ubi conditoris tui
Vultu semper possis frui;
Felix prorsus, illa cui
Visio conceditur,
A qua nunquam separatur,
Sed perpetuo laetatur,
Mali nihil formidatur,
Nec quis ibi laeditur.

16. Illic angelorum chori,
Sancti facie decori,
Vivere et nunquam mori,
Mortis nec memoria,
In aeternum sed gaudere,
Summo bono inhaerere,
Cuncta bona possidere
In aeterna gloria.

17. Nunquam auris hic audivit,
Nec videre quisquam scivit,
Solum, qui in caelis vivit,
Scit experientia,
Quid a malis liberati
Et in gloria locati
Ipsi possident beati
In Christi praesentia.

18. Sed his paucis propalatis,
Partim tactis et narratis,
Quae tum sanctis tum damnatis
Praeparata legimus,
Iam prudentius agamus,
Sanctam vitam eligamus,
In hoc mundo defleamus
Mala, quae peregimus.

19. Non vivamus ut iumenta,
Ne post mortem ad tormenta
Veniamus et lamenta
Intollerabilia;
Modo veniam precemur,
Mortem Christi meditemur,
Ad superna praeparemur
Desiderabilia.

20. Ecce, mundus evanescit,
Decor eius iam arescit,
Et cotidie vilescit
Fallax eius gloria,
Quae demergit ad inferna,
Ergo gloria superna;
Vita nobis sempiterna
Iugis sit memoria.

21. Ut defuncti sublevemur,
Cum caelitibus laetemur
Et in Deo gloriemur
Summo delectabili,
Qui solus glorificandus,
Et amandus et optandus
Laudeque magnificandus
Est interminabili.

Dafs das Gedicht nicht von Dionysius Carthusianus sein kann, beweist A; B schreibt es einem Dominicus Chartusianus zu, was wohl ein lapsus calami für Dionysius sein dürfte. Für Merlo-Hostius (Paradisus animae) war sichtlich B die Quelle.

263. Versus de Adventu Antichristi.

1. Antichriste, quid moraris?
lam a cunctis tam avaris
Ut Messias adoptaris
More tuo causaque.
Nonne vides iam secundum
Legem tuam totum mundum
Laborare sitibundum?
Tibi praeparavit se.
Veni super certa spe;
Aufer tecum tantum bona
Et his large cuncta dona,
Statim rege cum corona,
Mundus coronabit te.

2. Miror multum, an ignores,
Quod tam male iam maiores
Vivunt et regunt minores,
Nec Christus curatur quid.
Si qui verbo Christo credunt,
Facto tamen iam recedunt,
Plus mandata Dei laedunt,
Legem tuam firmat id.
Veni, cum iam tempus sit;
Simonia cum usura
Iam coluntur tamquam iura.
Si qua poena sit ventura,
De hoc nullus timor fit.

3. Praestolantur te magnates,
Protestanturque primates,
Universae potestates
Te poscunt, ut natus sis.
Si ut monstrum eris natus,
Propter caput eris gratus,
Dando fies exaltatus,
Nec cura, si nihil scis.
Veni, si iam dare vis;
Inter clerum principales,
Cum his omnes laicales
Parva pro re sunt venales
Et tibi credunt, si das his.

4. Times sedem tu Romanam
Atque fidem christianam?
Curam illam linque vanam,
Timor est stultorum mos.
Times fidei praelatos
Atque iuris literatos?
Scias illos iam placatos,
Postquam subrogatur dos.
Veni, cur suspendis nos?
Clero dic, quod simonia
Iusta sit et multum pia,
Fides Christi vana via.
Sicut vis, habebis hos.

5. Antichriste, vis venire?
Scias tibi opus mire,
Mundus novit superbire,
Ad hoc debes sibi res.
Dato, scias divinare
Et defunctos suscitare,
Multo plus te praefert dare;
Ergo vide, quid tu des.
Veni, si venturus es;
Nemo tibi impugnabit,
Et si manus tua dabit,
Totus mundus protestabit:
Huc sit tibi levis pes.

6. Antichriste, huc festina,
Cum sit clerus in ruina,
Sine omni disciplina,
Cuius decet esse vas.
Evangelium ignorat
Nec pro ovibus exorat,
Philargyria laborat,
Favet tibi, si tu das.
Veni, neque differ cras;
Nam, si fiet inter clerum,
Quod, ut debet, noscat verum
Nihil cupiatque rerum,
Si tunc venis, male stas.

Clm. Monacen. 24514. „Modo completum sub anno Domini 1377 feria sexta post Vincentii Martyris.“ — 6, 3 Et sine. — 6, 6 orat.

264. Lessus Damnati.

1. O vos omnes, qui transitis,
Figuram hanc inspicite
Memoresque mei sitis
Et mundum hunc despicite;
Hoc considerate templum,
Quod me mersit in profundum.
Relictum vobis sum exemplum
Deceptis per hunc falsum
mundum.

2. Mundus mihi repromisit
Multis annis vivere,
Nunc in poenis me collisit,
Sic solet decipere;
Heu, quam male sum deceptus,
Habens annos iuveniles
Non sum penitus adeptus,
Quos speraveram, seniles.

3. Multos male hic defellit
Variis conatibus
Et in mortem sic compellit
Multis cum reatibus;
Heu, nunc mors me supplantavit,
Quando minime credebam,
Vitam mihi amputavit,
Dum securus incedebam.

4. Vitiorum fui cultor,
De bonis nulla fuit cura,
Sed nunc reddit iustus ultor
Mihi plus quam cum usura;
Quidquid boni intellexi
Vel ab aliis audivi,
Plane tamen hoc neglexi,
Quia carni deservivi.

5. Curam carnis semper egi,
Vanam gloriam amavi,
Sic in poenam hanc repegi,
Sero novi, quod erravi;
Quondam eram gloriosus,
Habens aurum et argentum,
Nunc a vermibus corrosus.
Quam horrendum testamentum!

6. Vorax et luxuriosus
Semper fui in hac vita,
Igitur sic copiosus
Ignis me torquebit ita;
Nullus unquam comprehendit,
Quanta patior tormenta,
Nec cor hominis attendit,
Quanta malis sunt retenta.

7. Heu, quod unquam fui natus,
Miser, miser miserorum,
Sine fine qui damnatus
Sum in poenis infernorum;
Heu, quod unquam fui natus
Recens labe peccatorum,
Qui daemonibus sum datus,
Factus socius eorum.

8. Heu, quod unquam fui natus
Particeps daemoniorum,
Desperando desolatus
In tormentis tormentorum;
Nigriores quam carbones
Sunt hi pessimi tortores,
Animarum sunt praedones,
Quas seducunt in errores.

9. Quod damnandis est dicendum
Magna cum severitate,
Et a vobis sit timendum;
Vos iam ergo praeparate,
Praeparate vos instanter
Iamiam in praesenti hora,
Cito, statim, festinanter,
Nam veniam sine mora.

Orat. ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Maihingen. I 2. 8° 19. — 2, 5 quam fehlt, — 4, 3reddat. — 7, 7 Qui de omnibus. — 9, 8 Nam periam sine.

265. De Excidio Hierosolymorum.

1. Plange, Sion et Iudaea,
Plangant, quotquot sunt in ea,
Quod triumphat Idumaea,
Et Aegyptus fert tropaea;
Amalech invaluit,
Ierusalem corruit,
Loca sancta polluit
Proles Cananaea.

2. Infidelis gens et rea
Servos Christi ut Medea
Istos vendit in plataea,
Illos truncat sub romphea;
Probitas evanuit,
Nostra virtus aruit,
Arcam Dei rapuit
Procax Philistaea.

3. Plebs pagana debacchatur,
Nomen Christi blasphematur,
Rachel tristis lamentatur,
Eam nemo consolatur;
Christianus populus
Mactatur ut vitulus,
Senex, virgo, parvulus
Ut bos immolatur.

4. Alathia superatur
Et a pseusti decalvatur,
Aurum Christi conculcatur,
Nomen Dei detestatur:
Pendet in patibulo
Iesus sine titulo,
Ab ignavo populo
Item sauciatur.

5. Evanescit in tormentis
Multitudo nostrae gentis,
Iacet absque vestimentis,
Manus abest miserentis;
Exclamant: Attendite,
Qui tansitis, sistite,
Miseros inspicite
In excessu mentis.

6. Lingua Christum confitentis
Nunc truncatur persequentis,
Ecce, plaga pro pulmentis
Et pro pane stridor dentis;
Mundi reges, currite,
Captivos redimite
Et caput conterite
Christum conterentis.

7. Rex Aegypti, male legis
Flores campi summi regis,
In despectu nostrae legis
Nostri necas oves gregis;
Surge, rector superum,
Fabricator siderum,
Audi preces pauperum,
Rex, qui cuncta regis.

8. Pie Deus, cesset ira,
Verberasti, iam aspira,
Si sit manus adhuc dira,
Quis narrabit Christi mira?
Interfectis fratribus,
Captivatis ducibus
Pendet in salicibus
Organum cum lyra.

9. Peccatorum pro offensis
Telo cadit Aconensis,
Regis pedes et littensis
In compedibus sunt densis;
Impii carnifices
Sunt iniqui iudices,
In sacros pontifices
Debacchatur ensis.

10. Militibus comprehensis
Capitur urbs Peritensis,
Miles, cliens et burgensis
Absconduntur in condensis;
Destructa sic Syria
Suscepit Sicilia
In misericordia
Lacrimas Tharsensis.

Epp. ms. S. Hieronymi saec. 11. Cod. S. Petri Salisburgen. a IX 20. add. saec. 13. c. neumis. — 9, 4 sunt condensis. Zu vergleichen ist die kürzere Fassung dieses Liedes, umfassend die Strophen 1, 2, 3 u. 8 (Anal. XXI, 165) mit dem Anfange Lugent Sion et Iudaea.

266. Threni captis Hierosolymis.

Indue cilicium, sedeas in pulvere, mater
Orba, replens orbem fletibus ecclesia,
Dic vae, dic vae, vae, nec enim tibi talis ab Evae
Est data temporibus materies gemitus.
Filia Ierusalem, lamentum sume super te,
Te cecidisse gemas, virgo decora Sion.
Plangite, perculsi rectores ecclesiarum,
Lugubris hoc famae vos meruisse malum;
Clerus, plebs, monachi, nuptae, viduae, moniales,
Flete gravem Domini vos tetigisse manum.
Ecce, locus, templum, domus, atria, terra redemptrix,
Incola turba cadit gentibus exposita.
Terra salutari cruce, corpore, sede sepulcri,
Montis Oliveti dote beata fuit;
Plena sacramentis, signis, fidei documentis
Gente sub ignota sunt temerata loca.
Humanum si iudicium, rex Christe, subires,
Causari de te plurima posset homo:
Miror, ait, cur dotatam tibi sanguine terram
Caede profanarit barbara nequities,
Teque sinente manum validam princeps tenebrarum
Miserit in sanctos, qui tibi lux fuerant,
Hos feriendo dolis, alios circumveniendo
Et misero mortis illaqueando metu.
Fertur enim fidei prolapsum vulgus ab arce
Te repulisse Deum, conciliasse deos.
Extentas vidisse manus in deditionem
Est dolor, est miserum plasma perire tuum.
Ecce, decus ligni, nostrae quo viva salutis
Hostia pendebas, barbarus hostis habet;
Depopulata iacet structura monasteriorum,
Clerus ubi, monachus, virgo sacrata fuit.
Quid iuga tantorum memorem decursa laborum?
Nocte dieque tuae vim patiuntur oves.
Cladibus his quem quando dabis, Iesu bone, finem,
Cum pius exsistas vel potius pietas?
Tene preces et amara tuae suspiria sponsae
Ad pietatis opem flectere posse negas?
Ipse iubes tibi vota dari, tua dona precari,
Totus opem mundus flagitat, et refugis?
Haec modo non audis, sed et orbi viscera claudis?
Hinc stupor, inde dolor, hinc pudor, inde timor.
Id solum resonat, Babylon rex cuncta subegit,
Opprimit Israel dextera Salathiel.

His ita respondet ratio, Deus in ratione:
„Haud dubie nosti corde, fidelis homo,
Quanta Deus tulerit gratis pro te redimendo
Seque patri pretium morte sua dederit.
Quas super his grates, quae laudis munia solves?
Munere pro grandi grandia debueras.
Sed cum praeter te nihil exquirat Deus a te,
Est breve mandatum: Dilige, salvus eris.“
Nunc secus in terris agitur, respersa venenis
Nequitiae est mundi lata superficies.
Viribus, arte, minis, incestu, caede, rapinis
Turpia moliri sunt benefacta viri.
Laudatur, qui nunc fraudes, periuria, furta
Dictat, amat, peragit pectore, voce, manu.
Dic, ubi ius, ubi fas, ubi lex, ubi foedera pacis?
Esse malum decus est, dedecus esse bonum.
Ordo monasticus, ecclesiasticus ordinis expers
Mundo non Christo militat ore, manu.
Talibus, heu, studiis hominum quod vita rotatur,
Nos pater in virga visitat, ut revocet.
Utens ergo malis in opus pietatis et usum
Cepit ab arce Sion nec ratione vacat.
Terra etenim nostrae consummativa salutis
Morbi communis debuit esse parens,
Ut, quibus commune malis instare, sit ipsis
Et commune pati compatiendo bonis.
Constantinopoleos Romanave moenia capta
Sive cremata parem nunc parerent gemitum.
Ergo solum natale suum, loca sancta profanis
Tradita praedari seque secundo pati
Maluit in membris, ut amore Dei redimentis
Viscera cunctorum compatiantur eis.
At, pia si vel nuda vel est obscura voluntas,
Luce vacans operis, luce caret meriti;
Luceat ergo foris interni robur amoris,
Splendeat officium, prodeat in medium.
Evigilate, viri, consurgite, state virili
Pectore pro Domino proque ruente domo!
Unde salutis opem mundo fluxisse videmus,
Unde suas vires sumpsit habetque fides,
Primus et in primis veniat caput urbis et orbis,
Praesul apostolicus consiliis, precibus,
Non armis pugnando quidem sed in arma citando,
Hortatu, monitis eliciendo viros.
Orbis et imperii decus augustum, Fridericus,
Lux, via, dux plebis emicat e tenebris.

Armis, ingenio, titulo virtutis, honore
Inclitus, excelsus, clarus, ubique potens,
Vita placens cuius nostris servata diebus
Muneris e caelo creditur esse genus.
Ipse facultatum redditus fabricasque domorum
Schemate regali contulit imperio.
Maiestatis apex, claris diuturna triumphis,
Praelia concludens lassus hebet senio,
Iamque fatiscentis sunt membra fovenda quiete,
Militis haec ratio postulat emeriti.
Res miranda, senex Christi iuvenescit amore
Tam re quam signis ora ferens aquilae,
Non sibi, non partis opibus natisve paratus
Parcere, sed laetum carpere mortis iter.
Hic vir, hic hostiles numeroso milite fines
Instrans innocui sanguinis ultor erit.
Quo duce prudenti populum spes tanta sequetur,
Partis ut adversae colla subacta putet.
Signifer ipse Dei cum stabit in arce tropaei,
Luminis aetherei porta patebit ei.
Quae poterit vox, Christe, tuas recitare cohortes,
Reges, pontifices, cum ducibus comites?
Robusti cordis iuvenes, a finibus orbis
Ite, ferite reos, nil metuatis eos!
Im[me]mores aetatis, opum, thalami subolisque
Ite, subito, crucem restituendo crucem.
Spes veniae fructus vitae, diadema perenne
Reddent totius suave laboris onus.
Felix militia, cui donativa rependet
Verax sermo Dei; laus, honor, hymnus ei.

* *
*

Obsecro lectorem, cum legerit haec mea, dicat:
Carminis auctorem Deus Erbonem benedicat.

Collectan. ms. Gottwicen. saec. 12. Cod. Vindobon. 984. A. — Collectan. ms. incerti originis saec. 15. Cod. Vindobonen. 3358. B. — 8 hic famae B. — 10 nos tetigisse A. — 22 Miserat A. — 26 consiliasse A. — 29 nostri A. — 43 sq. fehlt B. — 48 patri dederit morte sua pretium B. — 52 salus eris B. — 54 est fehlt B. — 56 Turpia quaeque geri A. — 57 qui non fraudis A. — 59 ubi vis, ubi lex, ubi fas A. — 71 Constantinopolis B. — 73 et loca B. — 87 in fehlt B. — 98 lassusque senio B — 103 partis quibus natisve A. — 105 numeroso limite A. — 109 dum stabit B. — 111 Quae vox Christe tuas poterit B. — 112 ducibus proceres B. — A fügt am Schlusse den Schreibervers bei:

Eugenii scribae pariter, lector, memorare,
Semper ut a Christo mereatur, Amen, benedici.

Statt dessen in B: „Explicit Erbo in die festi Sebastiani martyris anno Domini 1477." Leider stehen nähere Daten über den Dichter Erbo noch aus. — Aus A publizierte vorstehendes Lied R. Röhricht in „Mitteil. d. Instituts f. österreich. Geschichtsf." XII, 1891. S. 485 f.]

267. Planctus pro diuturna captivitate terrae transmarinae per Saladinum.

1 a. Miror, cur tepeat,
Cum debeat
Lex planctus crescere,
Querorque lacrimas
Iustissimas
Vix ulli fluere;
Sit par causae fel dolorum,
Nam grex Babel, faex errorum,
Nodis angustiae
Sion, heu, nexuit,
Dum atrox irruit
In solum gratiae.

1 b. Gemat ecclesia,
Quod gloria
Terrarum omnium
Diu polluitur
Et premitur
Iugo gentilium;
Erubescant nostri duces,
Quod non sumunt cursim cruces
Pro Iesu nomine,
Cum Ierosolyma
Sit confusissima
Turcarum turbine.

2 a. Ha, tempus asperum
Cladis tam stabilis,
Tamen cessabilis
Bonorum operum
Remedio;
Ferveat compunctio.
Pluat luctus fortiter,
Sint preces humiliter,
Donec vulgus impium
A locis fidelium
Summus pellat arbiter.

2 b. Urbs quondam inclita
Multis insignibus,
Nostris urgentibus
Peccatis perdita,
Diripitur,
In praedam redigitur,
Sepulcrum dominicum
Per manus carnificum;
Quid tantae miseriae
Nuntiant historiae
Vetustorum apicum?

3 a. O si threnis eiulans
Ieremias viveret!
Spinas cordis panderet
Vox lamenta baiulans,
Quam flens vates promeret;
Hic si usquam propter Deum
Sciret novum Macchabaeum,
Contra diros ob tropaeum
Ensem rursus tenderet.

3 b. Nomen habet sine re
Capta pacis visio,
Tot annorum spatio
Cernitur pestiferae;
Catervae possessio:
Tractant arcam Philistaei,
Muros tenent Cananaei,
Consonant Madianei
Loth utrique filio.

4 a. Sed iam Christi potentia
Vim paganorum conterat,
Iam Cyrus noster conferat
Regressum christianis;
Veri David clementia,
Quae mansuete tolerat,
Iam salvat a profanis
Ablata sanctuaria.

4 b. Revertamur ad Dominum
In sacris et cineribus,
Ut trusis procul hostibus
Tellus alma purgetur
Et dono patris luminum
Sacris dicata cultibus
Devota conservetur
Usque ad caeli terminum.

Cod. Trecen. (ol. Claraevallen.) 990. saec. 12. add. saec. $^{12}/_{13}$. — 3 a, 6 Hi. Vielleicht ist zu lesen: Hic, si usquam, propter Deum | Ciret = Cieret i. e. würde erwecken, sich erheben lassen.

III.

APPENDIX.

268. Thronus Salomonis.

1. Thronum grandem ebore
Salomon construxit
Aurumque purissimum
super hoc induxit,
Opus illi simile
mundo non illuxit,
Libro regum tertio
rumor hic effluxit.

2. Salomon pacificus
hic interpretatur,
Per quem Dei filius
vere designatur,
Nam per eum gentibus
pax in terris datur,
In excelsis gloria
Deo cum cantatur.

3. Throni retro summitas
se curvat in gyrum;
Ne quis homo reputet
sermonem delirum,
Audiat et videat,
quod inclinat, mirum,
Nam matrem significat,
quae nescivit virum.

4. Per ebur intellege
donum castitatis,
Elephas nam continet
vim frigiditatis,
Auri notat puritas
ignem caritatis,
Regem pacis decuit
thronus iste satis.

5. Opus huic consimile
Deus non creavit,
Cuius verbum Gabriel
quando nuntiavit,
Vox per aurem virginis
uterum intravit,
Sic in isto solio
Dominus regnavit

6. Quid per manus geminas
caeli notat diva,
Ni quod vita duplici
fuit ipsa viva?
In amore proximi
nam vixit activa,
In mandatis Domini
semper contemplativa.

7. Leones a latere
quam habent naturam?
Duplicis custodiae
gerunt hi figuram;
Nam Ioseph ferrarius
matris egit curam,
Deinde discipulus
post crucis torturam.

8. Per gradus intellege
sex ascensionis
Proximi sex opera
miserationis,
Istis quia sedula
virgo fluit bonis,
Thronus esse meruit
veri Salomonis.

9. Bis seni leunculi
supra gradus stantes
Totidem apostolos
sunt repraesentantes,
Pacem terrae finibus
evangelizantes,
Regem huius saeculi
Christum praedicantes.

10. Huius throni summitas
quod signum intendit?
Ecce, sanctum spiritum,
qui dudum ascendit
In beatam virginem
et lumen accendit,
Per quod hanc ab impetu
saeculi defendit.

11. Summitatis edocet
forma artis talis,
Quod sit idem spiritus
almus aeternalis
Aeterno in circulo,
nam initialis
Non apparet terminus
sic neque finalis.

12. Finis in principio
rei non videtur,
Sed cum invisilibis
Deus adfirmetur,
Et cum Deus spiritus
idem adprobetur,
Sic throni per occiput
spiritus notetur.

13. Hoc de caelo genitor
emittat spiramen,
Sua quoque gratia
sacrum assit flamen,
Cum filio genetrix
nobis det iuvamen
Per gradus ad solium
claritatis. Amen.

Collect. ms. Stiriacense saec. 15. Cod. Stiriacen. L 26 [s. n.]. — 7, 5 frarius. — 11, 2 durch Korrektur unleserlich. — 11, 3 Quod sint.

269. De Eleemosyna Vagis danda.

1. O cleri collectio,
quare non attendis,
Quod honoris solium
potenter ascendis?
Dona spiritalia,
gratis apprehendis
Et misericordiam
vagis non ostendis?

2. Te ditavit dotibus
Christus eius miris,
Tu per patrimonium
ipsius nutriris,
Pro quo tulit varios
dolores ut iris,
Dum ab infidelibus
damnaretur viris.

3. Illud patrimonium
commissum est tibi,
Ut egenos nutrias,
quos elegit sibi.
Vagus in cenaculo
non debet scribi,
Si vis intellegere
quid sit scriptum tibi.

4. Illud evangelium
dictum si notares,
Verbum hoc turpissimum
nunquam adfirmares,
Quidquid histrionibus
et vagis donares,
Quod hoc daemonibus
totum immolares.

5. Deus nullum separat
divitis a pane,
Quia dicit homini
largo semper mane:
Non sinas, quod aliquis
fundat preces vane,
Sed cunctis petentibus
tribue te plane.

6. Sic in largitatibus
natus Dei ludit,
Quod a mensa divitis
neminem retrudit,
Pro quo suum sanguinem
pretiosum fudit;
Peccat omnis igitur,
qui vagum excludit.

Collect. ms. Stiriacense saec. 15. Cod. Stiriacen. L 26 [s. n.]. — 3, 3 nutries. — 3, 6 fehlt eine Silbe; ebenso 4, 7 — Ein Vagantenlied.

270. De Duobus Gladiis.

1. Quondam duo gladii
simul concordabant,
Causas huius saeculi
recte iudicabant;
Maiores cum minimis
Christum invocabant,
Angelorum homines
panem manducabant.

2. Omne mundi gaudium
versum est in luctum,
Semen iam agricolae
parvum praebet fructum,
Segetes et gramina,
flores et vineta;
Nihil iam in saeculo
mente vivit laeta.

3. Deviat in ordine
totum, quod movetur,
Labitur, exoritur,
viribus deletur,
Stellae negant radios,
aves adgravantur,
Ferae tardant cursibus,
nemora curvantur.

4. Nos purgavit crimine
Christus passione,
Iacet sua passio
sub oblivione,
Dixit ad discipulos:
tunicas vendatis,
Calceis et vestibus
gladios ematis.

5. Magister et Domine,
tunicas vendemus,
Duos autem gladios
nobiscum habemus. —
Dixit ad discipulos:
plures non quaeratis,
Illos sub custodia
vos retineatis.

6. Nobis duos gladios
reliquit in signum:
Spiritalem gladium,
iustum et benignum,
Posuit per ordinem,
ut esset supremus,
Saecularis gladius
post illum extremus.

7. Isti duo gladii
simul decreverunt,
Et per cuncta saecula
iura perierunt,
Innocentem sanguinem
omnes effuderunt,
Plurimas sententias
falsas produxerunt.

8. Heü, sponsa Domini,
quomodo nunc sedes
Carens omni gaudio,
nudos habens pedes?
Tuis es sponsalibus
omnibus exuta,
Speciosa facies
lacrimis polluta.

9. Transeuntes per viam
colaphis te caedunt,
Verbis et operibus
maxime te laedunt,
Praelati cum laicis
. . . . . .
. . . . . .
iura retrocedunt.

10. Iura specialia
retrocedunt; quare?
Saeculare brachium
facit haec errare,
Extra fores clerici
iam proiciuntur
Et a cuncto populo
nimis persequuntur.

11. Praelati, pontifices
poenas meruerunt,
Iudae sub officio
Christum vendiderunt,
Dona spiritalia
gratis non dederunt,
Super ipsos scandala
plurima venerunt.

12. Baculum pontifices
curvum deiecerunt,
Ad eorum brachia
lanceas emerunt,
Galeam pro infula
superposuerunt,
Casulam sanctissimam
loricam fecerunt.

13. Producunt in pectore
clipeum pro stola,
Tempore novissimo
gravis erit mola.
Heü, sponsa Domini,
modo sedes sola,
Iura spiritalia
sordent quasi nola.

14. Surge, pater, caelitus,
vigila pro clero,
Si non surgis citius,
surgis nimis sero,
Praebe tuam dexteram
viris literatis,
Sedent iam in saeculo
linguis conseratis.

15. Nolunt hoc attendere
iudices terrarum,
Solent iam colligere
res ecclesiarum;
Tales, quos constituit
patres animarum,
Tenebris obtenebrant
regna tenebrarum.

16. Ordinant incendio
templa sacra Dei
Et in omni spolio
nolunt esse rei,
Raro praebent patribus
loca requiei,
Nunquam solent quaerere
„miserere mei“.

17. Iudicabit iudices
iudex generalis,
Nihil ibi proderit
dignitas papalis,
Sed foetorem sentiet
poenae gehennalis,
Sive sit episcopus
sive cardinalis.

18. Vestros, ait Dominus,
renes accingatis,
Hoc est sine dubio
zona castitatis,
Ac lucernam ardentem
manibus feratis
Et exemplum populis
bonum praebeatis.

19. Sacri vos presbyteri,
sacri vos prophetae,
Quod vobis paratum est,
regnum possidete,
Quod vobis paratum est,
sine metu metae,
Benedicti, Domino
semper congaudete.

Collect. ms. Stiriacense saec. 15. Cod. Stiriacen. L 26 [s. n.]. — 3, 7 tradant. — 4, 5 discipulis. — 5, 1 At ille Magister etc. — 15, 7 Tenebris et'nar. — 16, 7 Et nunquam. — 18, 3 sq. stehen hinter 18, 8. — 18, 5 Lucernam ardentem in. — Str. 17 bis Schlufs sind entlehnt aus „Tempus acceptabile“ (Nr. 259).

271. Carmen episcopi Brunonis invehentis contra papam.

1. Pater, fili, spiritus,
Deus septiformis,
Regum rex altissimus,
Iesu, numquid dormis?
Nonne mundum prospicis,
quam nunc est enormis,
Quot et quantis maculis
factus est deformis?

2. Papa pavor pauperum
est [iam] diffinitus,
In eo grammaticae
perturbatur ritus,
Nam qui fore debuit
gratiae dativus,
Factus est ecclesiae
rerum ablativus.

3. O subtilis logica,
quid ad haec vis fari,
Quae nos doces speciem
non posse mutari?
Nonne pastor ovium
vult lupus vocari,
Minare de cetero
non vult, sed minari?

4. O dulcis rhetorica,
dole peritura,
Tua iam simpliciter
infringuntur iura,
Decimam ecclesia
iure receptura
Sub tributo ponitur
decimam datura.

5. Numquid et tu pateris,
o geometria?
Per papam indebite
mensuratur via,
Per quem in ecclesia
fit haec simonia;
Da succursum breviter,
o Iesu Messia.

6. Dolet arithmetica,
quod ipsa gravetur,
Quod docet, per numerum
ut res ordinetur;
Papa clerum numerat,
ut non conservetur,
Immo quod ecclesiae
rebus spolietur.

7. Nonne doles, musica,
prorsus depravata,
Per clerum antiquitus
dulciter prolata?
Papa tibi nocuit
decima rogata,
Voce lacrimabili
nunc es subplantata.

8. Taceant astrologi
amplius probare
Solem astris ceteris
lucem ministrare,
Papa, sol ecclesiae,
studet hoc falsare,
Qui totam ecclesiam
vult obtenebrare.

Collect. ms. Stiriacense saec. 15. Cod. Stiriacen. L 26 [s. n.]. — 1, 6 qua nunc. — 2, 4 rivus. — 6, 1 arismetica. — Nicht ohne einige Lesefehler in: Sitzungsberichte der Wiener Akademie der Wissenschaften LIV, 313 u. f.

272. Laudes Studii Scholaris.

1. Nemo valet congruis
verbis explicare,
Quam sit honorabile
studium scholare,
Quod videtur inclitos
viros procreare,
Qui solent ecclesiam
Christi gubernare.

2. Schola primum docuit
papam, cardinales,
Schola saepe barbaros
facit curiales,
Ad honores provehit
agrestes et rurales
Et pagenses efficit
gnaros et legales.

3. Otium scholasticum
est negotiosum,
Tale namque otium
non est otiosum,
Nam dat suo servulo
munus speciosum
Quem facit industrium
et ingeniosum.

4. Septem artes liberales
nullus unquam scivit,
Nec donum sapientiae
quisquam acquisivit,
Qui non scholae limina
primitus attrivit
Et suos didascalos
fideliter audivit.

5. Qui iuvenis fideliter
ad scholas properavit
Et suam pronus ferulae
cervicem subiugavit,
Hunc fortuna saepius
ad ardua levavit
Et variis honoribus
digne decoravit.

6. Multi, quos inglorii
parentes genuere,
Quia tamen fervide
in scholis studuere,
Cernuntur in sedibus
altis residere
Et honoris titulis
splendide fulgere.

7. Canonici, presbyteri,
praepositi, primates,
Clerici, diaconi,
priores et abbates
Deo primum et post hoc
scholae ferte grates,
Quae vos fecit habiles
ad hos dignitates.

8. Cum tot schola soleat
viros parturire,
Qui solent ecclesiam
Christi redimire,
Quis tam corde vacuus
et tam mentis dirae
Coetum hunc scholasticum
poterit odire?

9. Coetus iste clauditur
saeptis sive muris,
Nec vagari sinitur
ad amoena ruris,
Sed ibi corripitur
flagris saepe duris.
Tantis laeta congruit
immiscere curis.

10. Solet namque studium
scholasticum gravare
Hunc qui modum congruum
nescit observare,
Quare ludis placidis
decet inhiare
Atque suo tempore
solaciis vacare.

11. Hic est dies iubili,
quem tempore longaevo
Statuit antiquitas,
ut a iugo saevo
Relaxentur paululum
et a virgae naevo;
Salve, festa dies
toto venerabilis aevo.

12. Cum vos sitis itaque
in statu dignitatis,
Clara vos praeconia
consequi sciatis;
Si in arta clausula
diu fatigatis,
Emicet aerarium
vestrae largitatis.

Cod. Sangallen. 656. add. saec. 15. A. — Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14529. saec. 15. B. — Collect. ms. Henrici Schedelii saec. 15. Clm. Monacen 237. C. — 2, 6 honestos agrestes et rurales A. — 3, 5 suo simili A. — 3, 6 pretiosum B. — 6, 3 sq. fehlen B. — 6, 4 in fehlt A. — 6, 7 honore A. — 7, 2 und 4 vertauscht BC. — 7, 5 post hunc C. — 7, 6

referte B. — 8, 1 solet B. — 8, 5 Qui tam A. — 8, 6 dirae mentis B. — 9, 6 saepe flagris saepe duris C. — 10, 3 congruum modum A. — 11, 4 ut fehlt A. — 11, 5 Scholares paululum relaxentur ABC. — 12, 1 itaque fehlt A. — Nach Str. 11 u. f. scheint das Lied für das Schülerfest des hl. Nicolaus gedichtet zu sein.

273. Dogmatile Puerorum.

1. Laus et honor pueris
   solet evenire,
   Qui dimittunt otia
   et se student munire
   Literis, scientiis,
   quae nequeunt perire;
   Ergo tu ad studium,
   fili, debes ire.
   Laus est quid scire,
   laudem discendo require.

2. Haec est ars egregia,
   quae nunquam decrescit,
   Sed cum suo domino
   melius senescit,
   Sensus enim remanet,
   sed res evanescit,
   Ars est rebus melior,
   nam amitti nescit,
   Perdere quam nescit
   aliquis, nisi dum iuvenescit.

3. Ergo tibi iuveni
   monita ministro:
   Tu semper in omnibus
   oboedi magistro,
   Non ei tantummodo
   sed eius ministro,
   Multa bona capies
   ex eius registro,
   Si sua verba capis
   recto, non corde sinistro.

4. Disce, fili, literas
   et vires earum,
   Quia sine litera
   homo valet parum,
   Litera te faciet
   genere praeclarum,
   Omnibus amabilem
   atque Deo carum,
   Hortus cunctarum
   fit litera deliciarum.

5. Filius artificis
   summi praesulatus
   Acquirit officium,
   si est literatus;
   Fili, si quid scieris,
   fies memoratus,
   Scias, quod per literas
   eris sublimatus,
   Moribus ornatus
   modica fit sorte beatus.

6. Si praeclarus subito
   nondum potes esse,
   Vix tibi stipendium
   potest superesse,
   Multae sunt ecclesiae,
   quibus est necesse
   Literati hominis,
   his potes praeesse,
   Donec de messe
   tibi vult sors mitis adesse.

7. Si te gravat forsitan
   regimen scholarum,
   Nam tibi de pueris
   derivatur parum,
   Accedas ad ordines,
   si tibi sit carum
   Adligatum vivere
   curae animarum,
   Utilitas quarum
   fructum non reddit amarum.

8. Si vero ecclesiam
   non potes habere,
   Cum praelato forsitan
   poteris manere
   Et vices presbyteri
   secum adimplere,
   Et ita te litera
   non sinet egere;
   Si bene vis legere,
   fortunae munera quaere.

9. Forte tu invenies
claustrum monachorum,
Qui cantant devotius
et frequentant chorum;
Si vis ita vivere,
ut est mos eorum,
Cum his potes facere
bene tuum forum,
Consilio quorum
acquires regna polorum.

10. Si vero non poteris
esse sub abbate
Prae chori frequentia
et prae gravitate,
Vade ad Templarios,
hi depellent a te
Corporis penuriam
magna caritate;
Sic ab egestate
te solvet litera, nate.

11. Si vero non poteris
ferre monachatum
Propter mensam tenuem,
propter durum stratum,
Quaeras, ubicunque vis,
tibi locum gratum,
Claustrum regularium,
quod te det beatum;
Litera semper habet
vestes panemque paratum.

12. Vel si tu totaliter
vis esse devotus
Et a cura saeculi
omnino remotus,
Ad Minores propera,
ubi fluit potus
Spiritus paracliti
sanctis tantum notus,
Quem bibit aegrotus
et erit mox crimine lotus.

13. Vel si vis corrigere
peccatorum mores,
Te potes adiungere
ad praedicatores,
Qui sunt in hoc saeculo
clericorum flores
Atque reconciliant
Deo peccatores,
Ipsos qui fugiunt,
nunquam comitantur honores.

14. Si vero non poteris
ferre tantam curam
Propter tuam forsitan
debilem naturam,
Adhuc docet litera
artem profuturam,
Eleganter pingere
scilicet scripturam,
Vitam securam
capies scribendo figuram.

15. Si non habes oculos,
quod possis formare
Literas, tunc studeas
plenius cantare,
Canticis organicis
organa parare,
Te per hoc officium
potes exaltare,
Et bene solfare
discas post grammatizare.

16. Sed si voce careas,
non sis verecundus,
Iura legis adeas
et esto facundus,
De hoc exercitio
gaudet modo mundus
Et suis cultoribus
reddit auri pondus,
Quae si scire cupis,
grammatica sit tibi fundus.

17. Si vero grammaticam
nequis scire plene
Defectu ingenii,
defectu crumenae,
Horas et psalterium
discas valde bene;
Scholas, si necesse est,
puellarum tene.
Corporeae poenae
dat pondus litera lene.

18. Adhuc sunt officia
fructuosa satis,
Quae bene conveniunt
parum literatis,
Orare psalterium
quia non fit gratis,
Hoc opus exterminat
onus paupertatis,
Litera parva satis
fructum dat officiatis.

19. Si tibi penuria
forte dat gravamen
Et in nullo poteris
habere iuvamen,
Aliquam custodiam
quaeras ad solamen;
Multae sunt, quae maximum
praestant sublevamen,
Ubi custos dicere
nescit plus quam „Amen“.

Cod. Guelfenbyteran. Helm. 1140 saec. 15. A. — Cod. Vindobonen 4117. saec. 15. A. — Cod. Berolinen. Arch. 8° 833. C. — Collect. ms. Campen. saec. 14/15. Cod. Vindobonen. 883. D. — Collect. ms. SS. Udalrici et Afrae saec. 15. Clm. Monacen. 4428. E.

1, 3 omittunt vitia CDE. — 1, 4 et fehlt A; se fehlt B; et solent se D. — 1, 5 Litera, scientia B; Literis, scientia E. — 1, 6 quae nequit perire ADE. — 1, 9 sq. fehlen BC. — 1, 9 Et laus quid A; Est laus quid D. — 2, 1 ars scientiae A. — 2, 4 potius marcescit C. — 2, 5 remonet E. — 2, 6 nam nos manescit E. — 2, 7 sq. fehlen A. — 2, 8 omitti E; nam dicto perdi nescit B. — 2, 9 sq. fehlen C. — 2, 10 aliquis fehlt A; aliquis dum vinescit E. — 3, 5 sq. fehlen C. — 3, 7 capias E. — 3, 9 sq. fehlen C. — 3, 9 verba tenes E. — 3, 10 recte AB. — 4, 4 valet homo DE. — 4, 6 facie praeclarum D. — 4, 7 omnibus affinibus B. — 4, 9 Decus cunctarum ABC. — 5, 2 summo C; summe E. — 5, 3 Acquirat D. — 5, 4 si sit CDE. — 5, 6 fis morigeratus BC; sis morigeratus DE. — 5, 8 exaltatus D. — 5, 10 modico E; subito fit D. — 6, 1 praelatus E. — 6, 1—5 fehlen D. — 6, 2 possis E; tu non potes C. — 6, 3 sq. fehlen C. — 6, 6 sunt necesse B. — 6, 7 homines BE. — 6, 8 personam praeesse D. — 6, 9 sq. fehlen D; dafür: Et tibi stipendium non potest deesse E. — 7, 3 a pueris D; Tibi non de pueris B. — 7, 4 donatur parum E. — 7, 5 ordinem D. — 7, 7 Allegatim A. — 7, 8 Curas A; curis E. — 7, 9 sq. fehlen D. — 7, 9 Utilitas fructum AB; harum C. — 7, 10 cunctis non reddit AB. — 8, 1 Si tamen B; Si forsan D. — 8, 2 poteris E. — 8, 3 Cum praelato poteris D. — 8, 4 forsitan manere D. — 8, 5 vicem A; Ad vitam E. — 8, 7 Itaque te litera D. — 8, 8 sinit BD. — 9, 1 Forsitan invenies D. — 9, 2 claustra A. — 9, 3 cantas B. — 9, 4 frequentas B. — 9, 5 sq. und 9, 7 sq. umgestellt B. — 9, 5 Et si tu vis vivere C. — 9, 6 mos est E. — 9, 7 sq. fehlen D. — 9, 10 inquiris A; requires E. — 10, 1 Quodsi tibi sit grave B; Si tibi sit grave E. — 10, 3 Pro BE. — 10, 4 pro BE. — 10, 5 Vadas BE; ad cruciferes E; I ad hospitarios D. — 10, 6 depellunt A; depellant B. — 10, 8 largitate B. — Str. 10 und 11 umgestellt BDE. — 11, 1 Si tamen non B; Forte si non poteris D; Si tu non poteris E. — 11, 4 et propter B; et ob durum D. — 11, 6 locum tibi BE. — 11, 8 dat A. — 11, 10 panem quoque D. — Str. 12 und 13 umgestellt BE. — 12, 1 tu fehlt B; Ut [lies At] si D. — 12, 1 sq. tu vis totaliter E. — 12, 4 omnimode remotus B; omnino semotus C; modo semotus E. — 12, 5 ad Nudatos DE; properes B. — 12, 6 ubi spirat totus D. — 12, 7 paraclitus D. — 12, 8 sanctis bene notus D; sanctitate totus A; sanctis tantum votis B. — 12, 9 Quilibet aegrotus D. — 12, 10 et mox erit E; erit illo [1: illico] crimine lotus D. — 13, 1 Sed si tu vis peccatorum B; Et [1: At] si vis D; Si vis arguere E. — 13, 2 corrigere mores B. — 13, 3 Poteris adiungere A; Te licet adiungere B; Debes te adiungere DE. — 13, 5 Hi sunt B; in hoc tempore E. — 13, 7 conciliant B. — 13, 9 Isti quos fugiunt E. — 13, 10 mundi comitantur D; mundanos honores E. — 14, 1 potes B; Et [1: At] si tu non poteris E. — 14, 2 tantam ferre B. — 14, 3 tuam debilem B. — 14, 4 forsitan naturam B — 14, 5 solet litera D. — 14, 6 profecturam B. —

14, 7 Elementa pingere AE; Elementa scribere D. — 14, 8 fili tu scripturam B; solet scripturam D. — Nach Str. 14 schiebt A folgende manke Strophe ein:

Haec ars est egregia, quae satis decorat,
Qui scit bene scribere, pretium implorat
Acquirens cum pretio, quod gens hunc honorat.
Quod petit, implorat, bene qui scribendo laborat.

15, 1 oculos fehlt D. — 15, 2 posses tu formare B; quod potes formare D. — 15, 3 Literas tu studeas B; Tunc studebis cantica D. — 15, 4 dulcissimus cantare B. — 15, 6 praeparare B. — 15, 7 Hoc te per B. — 15, 8 possis D. — 15, 9 solfisare AB; solvare E; cantare D. — 15, 10 per DE. — 16, 1 Et si A; Quod si D. — 16, 3 leges D; Nam leges E; Vita lege audias B. — 16, 4 esto et B. — 16, 5 sq. fehlen B. — 16, 7 custodibus B. — 16, 8 reddit uui pondus B; anni pondus E. — 16, 9 Quae fehlt E; Quod si DE; Quae iura si cupias A. — 16, 10 scire sit tibi gratia fundus A. — 17, 1 Si vero tantam gratiam B. — 17, 2 bene BE; scire nescis plene A; nequeas habere D. — 17, 4 defectuque D. — 17, 8 puerorum B. — 17, 9 Corpore te plene D. — 18, 3 sq. fehlen D. — 18, 5 Legere psalterium B; Ligare psalterium DE. — 18, 6 cui non fit A; quod non facis B; quod non fit E; quia non est gratis D. — 18, 7 opus exercere B. — 18, 8 pondus paupertatis B. — 18, 10 multum dat AB; victum dat D. — 19, 1 penuries E. — 19, 2 ferre dat D. — 19, 3 sq. fehlen ACDE. — 19, 5 sq. und 7 sq. umgestellt B. — 19, 6 consolamen B. — 19, 7 maxime AE. — 19, 9 Ubi custos nihil scit C; Unde custos dicere D. — 19, 10 nisi Amen AE. — In D folgt noch:

Ethica Ludolphi fine iam modesto
Gaudet scribi, sed tamen a viro honesto.
Moralitas (recta) praetacta scribitur in anno
Domini millesimo ter centum, ut in panno
Vili erat volutus Christus, Dei summi
Filius, tricesimo nono simul [1: stilo?] plumbi
Committebatur scripturae ethica praedicta
(D)a nativitate(m) Christo(!) primitus depicta.

Ob sich diese Verse auf obiges Gedicht beziehen und dies den Titel Ethica Ludolphi führte? Dogmatile puerorum nennt es Cod. Guelfenbyteran. 212 (Helm. 185). — Nach Str. 10, 5 entstand das Lied zur Zeit des Templerordens; der Reim mundus u. pondus (Str. 16, 6 u. 8) weist auf einen französishen Dichter.

274. Status Clericalis aliis praeferendus.

1. Vide fabrum, fili mi,
quomodo sit pictus
In vultu carbonibus,
viliter amictus,
Nam de die in diem
sudat propter ictus,
Ut sit ei modicus
et non lautus victus.

2. Vide carpentarium,
qualiter intentus
Sit labori manuum,
prout dat iuventus;
Nil valet in senio,
quia tunc est lentus,
Et tunc lucrum deperit
ei quasi ventus.

3. Videas pellificem
male coloratum,
Fere prae vigiliis
oculis orbatum,
Nunquam habet requiem,
nisi super stratum,
Dum quiescit modicum,
dicit se beatum.

4. Sutoremque videas,
qualiter sit unctus,
Manibus et pollice
saepe male punctus,
Soccis atque subulis
tota die iunctus,
Apparet in facie
quasi sit defunctus.

5. Licet satis utiles
mundo sint textores,
Sunt tamen hominibus
cunctis viliores,
Quamvis lucrum habeant,
non tamen honores,
Nam corrupti furfures
propinant livores.

6. Mercatores videas,
quali cum labore
Vivunt, ut familiae
praesint cum honore,
Undas maris transvolant
magno cum timore,
Ubi res et corpora
perdunt cum dolore.

7. Piscatoras videas,
qualiter in mari
Et in aquis aliis
solent naufragari,
Arte cum laboribus
vix queunt ditari,
Quorum, dum nil capiunt,
dies sunt amari.

8. Vide tabernarios
nequiter viventes,
Ipsi sunt divitias
male possidentes,
Ad aeterna gaudia
non adponunt mentes,
Sed per mundi spatia
sic defraudant gentes.

9. Laborare proprium
est agricolarum,
Quamvis bonum opus sit,
tamen est amarum
Fame, siti, frigore,
aestu pluviarum,
De quorum miseriis
non est loqui parum.

10. Vide, fili, comites
et barones terrae,
Qui semper in armis sunt,
quod est durum ferre,
Et semper conveniunt
interesse guerrae,
Hanc autem miseriam
dolor est referre.

11. Vide, fili, clericos
purpura splendentes,
Ipsi sunt divitias
vere possidentes,
Ad dolores aliquos
non adponunt mentes,
Ipsi cantant altius
nummos possidentes.

12. Dum matronae veniunt
ad altare flentes,
Ipsi possunt inopes
iuvare parentes,
Ipsi sacrificia
sunt suscipientes,
Sunt, qui fiunt clerici,
vere sapientes.

Cod. Guelfenbyteran. Helmstadien. 1140. saec. 15. A. — Collect. ms. Campen. saec. 14/15. Cod. Palat. Vindobonen. 883. B. — Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Lunaelacen.) 4117. saec. 15. C. — Collect. ms. SS. Udalrici et Afrae saec. 15. Clm. Monacen. 4428. D.

1, 1 fili mi fabrum A. — 1, 2 depictus A. — 1, 5 In incude feriens A; Suadet[!] ut feriat B; Quot in die feria D. — 1, 6 sudat miser ictus A; sudet miser ictus D; in die mille ictus B. — 1, 7 fehlt A; Ut vitae suae modicos B; Ut non sit modicus D. — 1, 8 fehlt A; sibi quaerat victus B; et plane victus D. — Nach Str. 1 schiebt B ein:

Pistor in ecclesia nunquam Deum orat,
Sed in foro continue multum laborat,
Illi rara requies, nisi sit in thoro,
Si sic salvat animam, timidus ignoro,

2, 4 prout dat eventus C; brachiis intentus B. — 2, 5 in semine B; ingenio D. — 2, 7 fehlt A; Et ei tunc deperit B. — 2, 8 fehlt A; lucrum quasi ventus B. — Nach Str. 2 schiebt B ein:

Lapicidam pluribus vide fatigatum
Manibus et cruribus, dorso incurvatum,
Similem pecoribus vultu inclinatum,
Caementis et pulveribus semper maculatum.

Str. 3 und 4 umgestellt D. — 3, 2 gloriatum D. — 3, 4 privatum C; turbatum B. — 3, 5 habens B. — 3, 7 Cum A. — 3, 8 se dicit esse beatum C. — 4, 1 Sutorem considera BD. — 4, 3 pollicis D; Manibus et facie AB. — 4, 4 et licet sit functus B. — 4, 5 fehlt B; Pici atque sotulae D; vetis atque subula C. — 4, 6 fehlt B. — 4, 7 Apparens A; Ipsius officio B. — 4, 8 tamen est defunctus B. — 5, 1 Unde [1: vide] licet utiles C. — 5, 5 Lucrum quamvis CD. — 5, 6 non habent honores D. — 5, 7 Corruptis forficibus C; Nam corrupto furfure B; Sed ut corrupti spurii D. — 5, 8 propinant odores BD. — 6, 6 cum dolore C. — 6, 7 res cum corpore C. — 6, 8 cum horrore C. — Str. 6 fehlt B; steht hinter Str. 9 CD; beide haben statt dessen hoc loco;

B: Arte de carnificum parum est dicendum;
Illi quasi toti sunt (ad) prompti ad edendum,
Cibum parant populo et dant ad emendum,
Quod sic salvant animam, satis est timendum.

C: Arte [de] carnificum parum est dicendum;
Isti quasi famulo dant ad comedendum
Et currunt per campos, quod bene est sciendum,
Infecti pinguedine, cum stant ad vendendum;
Istorum de anima valde est timendum.

D: Arte de carnificum parum est dicendum;
Isti quasi toti sunt qui ad comedendum,
Bene parant populo et dant ad emendum,
Quod sic vendunt animas, satis est timendum.

Str. 7 fehlt B. — 7, 3 Et in aquis saepius A. — 7, 4 studes naufragari C. — 7, 5 Arte et C; Arte nec labori D. — 7, 6 nequeunt ditari CD. — 7, 7 nil dum A; Quorum dum meridies D. — 7, 8 sunt satis amari D. — Str. 8 und 9 umgestellt D. — Str. 8 fehlt AB. — 8, 1 tribunalibus C. — 8, 3 conquirentes D. — 8, 4 praemia D. — 9, 3 Quamvis opus semine B; Quod opus sit fructuum C; Licet opus b. s. D. — 9, 4 his tamen est B. — 9, 5 sq. fehlen AB. — 9, 6 aestu poenarum D. — 9, 7 fehlt A; De eorum miseria B. — 9, 8 fehlt A; non licet fari parum B. — 10, 1 Videas et comites B; Videas et milites CD. — 10, 2 militesque terrae B; nobilesque terrae CD. — 10, 3 sqq. fehlen B. — 10, 3 Quod semper A. — 10, 4 dolor est referre CD. — 10, 5 Istis semper convenit C; Ipsis bene conveniunt D. — 10, 6 litesque et guerrae D. — 10, 7 De quorum iniustitiis C; De quorum miseriis D. — 10, 8 dolor est referre CD. — 11, 1 sq. fehlen B. — 11, 3 delicias B. — 11, 4 recte D. — 11, 5 Ad dolores alios A; Ad laborem aliquem D. — 11, 5 sqq. fehlen B. — 11, 7 sq. Sunt, qui fiunt clerici, vere sapientes CD. — Str. 12 fehlt BCD. — Das Gedicht bildet in AD ein eigenes Stück; ist in C angehängt an „Laus et honor pueris“ (Nr. 273) und in B mit letzterem zusammen an die Ethica Ludolphi.

275. Proverbia.

1. Ampulla vitrea
Sub mole saxea
Cito confringitur;
Et per convicia
Impatientia
Bene perpenditur.

2. Si desit stimulus,
Non vadit asinus
Pressus pigritia;
Cedat correctio,
Semper in otio
Est pueritia.

3. Si tuba canitur,
Cervus revertitur
Exspectans catulos;
Quae mors est animae,
Laus vera minime
Delectat populos.

4. Mus leve capitur,
Quod semper utitur
Uno refugio;
Leve decipitur,
Qui semper utitur
Uno consilio.

5. Ovis in frigore
Posito vellere
Leniter moritur;
Et si post studium
Succedit otium,
Labor amittitur.

6. Post mortem socii
Non nubit alii
Turtur, sed moritur;
Sic amicitia
Fida per omnia
Nunquam dissolvitur.

7. Stridor hirundinum
Quietem hominum
Turbat et somnium;
Stulta loquacitas,
Si frenum adimas,
Turbat collegium.

8. Qui pomum viride
Carpit improvide,
Maturum neglegit;
Carebit praemio
Pro beneficio,
Qui laudes diligit.

9. Sic pullos alios
Nutrit ut proprios
Columbae bonitas;
Congaudet prosperis,
Condolet asperis
Proximi caritas.

10. Quisquis ad citharam
Instruit asinam,
Hostis est fidium;
Qui stulto praedicat,
Hic sibi vindicat
Risum et taedium.

11. Sabulum seminat
Fur, ut aes audiat,
Quod nequit cernere;
Et per convicia
Mordet invidia,
Quos nequit caedere.

12. Si furem redimis
Et mortem adimis,
Acquiris odium;
Et si servieris,
Quem nequam noveris,
Non dabit praemium.

13. Volens evadere
Non timet scindere
Castor virilia;
Nec timet tollere
Fluxuma corpore
Quaerens caelestia.

14. Vaspo panniculis
Fit api similis,
Sed non mellifera;
Sic foris fertilis,
Sed intus sterilis
Omnis hypocrita.

15. Si panem sedulo
Dederis catulo,
Te semper sequitur;
Sic fur stultissimi
Leniter proximi
Domum ingreditur.

Cod. Parisin. 15155. saec. 13.

276. De Fraude Mulierum.

1. Dicat nobis primus homo,
Qui deceptus est in pomo:
Sum eiectus Dei domo;

2. Uxor mea me fraudavit,
Paradiso me privavit,
Quando pomum praesentavit.

3. Dic tu, Loth dilecte, verum,
Quanta fraus sit mulierum.
Heu, deceptus sum per merum;

4. Me delusit nata mea,
Nam induxit fraudis rea
Commisceri me cum ea.

5. Dic tu, Samson, et fatere,
Quid sentis de muliere?
Sum per eam lapsus vere;

6. Tonsis pilis defraudatus,
Sum per hostes excaecatus,
Aede fractus et necatus.

7. Numquid David, rex propheta,
Castitate rupit spreta
Leges Dei et decreta?

8. Patet teste Salomone:
Mulieres raro bonae
Plenaeque deceptione.

9. Mulierum contra tela
Sume fugam pro medela,
Tutior non est [cautela].

10. Heu, pro certo scio verum,
Mille fraudes mulierum,
Sumo testem totum clerum.

11. Mulieres sunt loquaces,
De natura sunt nugaces,
Sed de more sunt fallaces.

Collect. ms. Campen. saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Palat. Vindobonen. 883. — Vielleicht ging eine einleitende Strophe voraus.

277. De Corvo s. Vincentii.

1. Hispalis orbe sub occiduo
Limine vergitur exiguo,
Obtinet haec sibi regna duo,
Nomine sed spoliata suo
Prodigio nitet assiduo.

2. Urbs igitur simul et patria
Aequivoce nova Sybilia
Ultima dicitur Hesperia,
Pro deitate colens varia
Sacrilega prece daemonia.

3. Hac tamen in regione Deus,
Quem colimus, pater aethereus,
Quae facit utpote basileus,
Si taceam, reor esse reus;
O placeat sibi sermo meus.

4. Cella procul bidui spatio
A populi manet hospitio,
Sancta monastica religio
Degit in hac velut exsilio
Nullius indiget auxilio.

5. Sola Deo vacat haec eremus,
Fert scopulos aridumque nemus,
Mons supereminet aerius,
Oceanum videt inferius,
Nil monachis libet exterius.

6. Mons etiam capit ecclesiam
Inter utrumque decus mediam,
Claustra decoris habent faciem,
Cuncta boni retinent speciem
Et specietenus almitiem.

7. Hic Vincentius armipotens,
Cui Dominus Deus omnipotens
Vincere carnifices tribuit,
Lipsana dum sua deposuit,
Nobilius caput exposuit.

8. Post rabiem canis indomiti,
Post diadema datum capiti,
Militis illius emeriti
Membra Valentia promeruit,
Huc deitas caput applicuit.

9. Audiat orbis et omnis homo
De placita tibi, Christe, domo,
Quale decus sibi contuleris,
Quam sibi dapsilis exstiteris,
Muneris id cui praestiteris.

10. Audiat hoc pius et stupeat,
Noverit impius et doleat,
Vel Dacianus id invideat,
Quid Vincentius exhibeat,
Quid caput illius obtineat.

11. Novimus hic Satanae famulus
Nequitiaeque suae cumulus
Quod validum Domini pugilem
Vincere non potuit vigilem,
Aeris istius visibilem.

12. Laniat hunc, cremat et perimit,
Supplicium neque mors redimit;
Est modicum, quia sic moritur,
Rursus eum lupus aggreditur,
Membra per aequora persequitur.

13. Mergitur altius in pelagus,
Erret ut amodo fluctivagus,
Et mare praebuit officium,
Unda fuit leve navigium,
Litus ei parat hospitium.

14. Interea Deus eximias
Servat ab aethere reliquias,
Corvus adest, facit exsequias,
Hinc abigit volucres alias
Necne feris movet insidias.

15. Excubat ales et obsequitur,
Stat lugubris, quia compatitur,
Esse nefas putat illicitum
Tale relinquere depositum,
Dum foret ordine compositum.

16. Mira referre coram videor,
Miror et ipse, coram fateor,
Martyris ad caput ambrosium
Corvus adhuc regit officium
Ut venerabile mancipium.

17. Quodque bonum dominum sequitur
Atque fideliter obsequitur,
Quam bona praemia consequitur,
Deliciis domini fruitur,
Non senuit nec adhuc moritur.

18. In patris ergo monasterio
Non sedet absque ministerio,
Credimus illius imperio,
Qui per avem similem vario,
Helia, te fovet edulio.

19. Ad quod opus satis angelicum,
Saecla per omnia glorificum,
Ne sit ei grave, vel modicum,
Sanctus ei levat officium,
Namque parem dedit ac socium.

20. Nunc igitur, quid agat volucris,
Audiat orbis amans alacris.
Mane quidem seu diluculo
Impiger excutitur loculo
Cum pare vel potius famulo.

21. Prodit uterque monasterio
Veridico satis augurio,
Sancta vacat schola psalterio,
Hi peragrant agili studio,
Quanta subest eremi regio.

22. Si peregrinus amore Dei
Atque calore suae fidei
Ad capitis thalamum rosei
Dona ferat precis aut olei,
En, veniunt, famulantur ei.

23. Non alios laqueos adeunt,
Qui loca devia praetereunt,
Sed facies hominum fugiunt,
Agmina perfida despiciunt
Deque fidelibus excipiunt.

24. Hos igitur sibi conciliant
Hisque sagaciter adpropriant,
Partibus ex quibus adveniant,
Qui cruce salvifica radiant
Martyris ac meritis inhiant.

25. Et quia nulla notabiliter
Pervia semita signat iter,
Fertur enim quod et in propriam
Plurima tollit arena viam,
Qualiter aura movet Lybiam,

26. Alter eis alacris facie
Angelica velut in specie
Iungitur et volitans leviter
Sponte piger graditur pariter
Praevius aut bene dictat iter.

27. Mittitur alter ad ecclesiam,
Accelerat magis ille viam,
Qui veniens sedet in solio
Et facili satis indicio
De solito monet hospitio.

28. Ilicet ille sacer cuneus
Hospes adest, quibus ipse Deus
. . . . . .
Alitis huius ad auspicium
Non adhibent breve scrutinium.

29. Quisque libens animo properat,
Quo sua munia prima gerat,
Qui det aquam frigidam manibus,
Qui calidam laceris pedibus,
Qui calices ferat hospitibus.

30. Ad mare curritur interea,
Gaza requiritur aequorea,
Ut venientibus hinc agapes,
Hinc valeant adhibere dapes,
Quomodo mellificatis apes.

31. Nil minus abnegat oceanum,
Fit melius super Eridanum,
Praeda libens venit ad calamum,
Novit amatque replere manum
Piscis et ipse requirit hamum.

32. O satis et super egregia,
O nimis inclita prodigia,
Quot Deus advehit huc famulos,
Tot tribuat mare pisciculos
Iuxta pares hominum titulos.

33. Non magis et minus accipiunt,
Retia mittere qui veniunt,
Quam venientibus eveniunt,
Nam numerum numeri inveniunt
Votaque consona proveniunt.

Cod. Duacen. (ol. Marchianen.) 362. saec. 12. — Unvollständig.

278. Proteus.

1. Proteüs hic sapiat,
non quod scripto [prodo],
Varias sententias
hic quia corrodo,
Proteüs in formulas
quo se vertat modo.
Quo teneam vultus
mutantem Protea nodo?

2. Humilis cum servuli
de statu deponor,
Praepotentis Domini
gloria coronor,
Pluris mihi pretii
quam res constat honor,
Et mihi res, non me
rebus subiungere conor.

3. Hoc experientia
larga doctus scivi,
Quod cum prae stultitia
certant reges divi,
Sentiunt incommoda
populi declivi;
Quidquid delirant
reges, plectuntur Achivi.

4. Nescio, quid agere
nos simus parati,
Quo possimus vivere
merito beati
Uti prisco tempore
viri approbati;
Nos numerus sumus,
fruges consumere nati.

5. Frequentare turpia
qui nimis assuescit,
Sic illius anima
revera sordescit,
Veri quod notitias
subintrare nescit;
Sincerum est nisi vas,
quodcunque infundis, acescit.

6. Tuus quando socius
unus fit de primis,
Atque tibi loculus
remanet inimis,
Inde tuus animus
non turbetur nimis,
Invidus alterius
rebus marcescit opimis.

7. Quando cessas agere
commissa priora,
Et totum te flectere
vis ad meliora,
Noli bona linquere,
si sors sit in mora,
Grata superveniet,
quae non sperabitur, hora.

8. Aere quando loculi
mei sunt imbuti
Nec sunt unquam patuli
mihi vel minuti,
Ad quid prosunt corpori
mentisve saluti?
Quid mihi fortuna,
si nod conceditur uti?

9. Conspicis ut poculo
vini me refertum,
Ne mireris illico,
os quod sit apertum
Meum et plus solito
se dicit expertum;
Fecundi calices
quem non fecere disertum?

10. Cum patrem familias
te videmus entem,
Et monstrare cupias
ita te prudentem,
Ut per ullum nequeas
falli servientem,
Atria servantem
postico falle clientem.

11. Quid mirum, quod alius
hunc tibi praeponat,
Cuius bursa nummulis
plus quam tua sonat?
Nam vulgus divitiis
deditum coronat,
Et genus et formam
regina pecunia donat.

12. Qui possessionibus
multis est intrusus,
Ipsis uti nescius,
magis est illusus,
Quam quem largum funditus
matris nutrit fusus,
Pauper enim non est,
cui rerum suppetit usus.

13. Criminum qui sordibus
est imbutus dudum,
Ab ipsis se protinus
nisi reddit nudum,
Ipsum iure possumus
reputare crudum,
Nec lusisse pudet,
sed non incidere ludum.

14. Coronatur merito
bonitatis flore,
Qui abhorret ideo
pravo frui more
Nec virtutis nitido
fulgeat splendore,
Oderunt peccare boni
virtutis amore.

15. Cui detur gratia
operandi bene,
Nunquam cesset talia
perpetrare plene,
Ni laedentis verbera
sentiat habere;
Oderunt peccare mali
formidine poenae.

16. Vir perfectus reputat
numen tam severum,
Pro ipso quod deserat
profiteri verum,
Et mortis immineat
si virus austerum,
Hoc sentit „moriar“;
mors ultra limina rerum.

17. Nulli laudis nimium
impendas honorem,
Ne, si mutet optimum
operum colorem,
Per quod apud populum
amittit favorem,
Incutiant aliena tibi
peccata pudorem.

18. Tua cum vicinia
foras suum lar det,
Sic ut eius flammula
damnum tibi par det,
Tua ne industria
vigilare tardet,
Nam tua res agitur,
paries dum proximus ardet.

19. Luxu cum te fervido
accensum sentires,
Deceret, ut ilico
prudentem adires,
Cuius te consilio
emendare scires,
Nam neglecta solent
incendia sumere vires.

20. Non concordant homines
turpes et formosi
Nec prorsus ignobiles
atque generosi
Neque pusillamines
nec non animosi,
Oderunt hilarem
tristes tristemque iocosi.

21. Liberalis socius
cum dicit, propina,
Nam dum meus stomachus
sentit bona vina,
Non eget alterius
rei medicina,
Alter rixatur
de lana saepe caprina.

22. Dum per loca varia
vagantes discurrunt,
Illis nova plurima
in viis occurrunt,
Meliora studia
raro sed incurrunt,
Caelum non animum
mutant qui trans mare currunt.

23. Voce rudis canere
nititur ut gallus
Vultque libros legere
durus quis nec callus,
Rusticus et quaerere,
quid prosit corallus,
Optat ephippia bos,
piger optat arare caballus!

24. Non decet ut clericus
saevum tollat Martem,
Nec ut miles strenuus
libri discat partem,
Sed decet his legibus
ambos ut coartem:
Quam scit uterque, libens,
censebo, exerceat artem

25. Cumulant id singuli
ut ignem vis flabri
Artium didascali
motu sui labri,
Sucum quod est veluti
curam membri scabri,
Promittunt medici,
tractant fabrilia fabri.

26. Ludis, gulae vitiis
qui sat adhaesisti
Tempore, quo iuvenis
recens floruisti
Nec aetatis fragilis
limen attigisti,
Lusisti satis, edisti
satis atque bibisti.

27. Animo te lacrimis
dare debes udum
Ac acerbis virgulis
caedere te nudum
Pro peccatis singulis,
quae gessisti dudum,
Et tempestivum
pueris concedere ludum.

28. Ex dictis Horatii
possent ampliora
Paradoxa colligi,
si daretur hora,
Sed quia fastidii
mater exstat mora,
Ergo legas grana,
quae noveris utiliora.

Collect. ms. Campense saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Vindobonen. 883. — Die Schlusshexameter der Strophen sind Entlehnungen aus Horaz: 1, 7 sq. Ep. I 1, 90. — 2, 7 sq. Ep. I 1, 19. — 3, 7 sq. Ep. I 2, 14. — 4, 7 sq. Ep. I 2, 27; 5, 7 sq. Ep. I 2, 54. — 6, 7 sq. Ep. I 2, 57. — 7, 7 sq. Ep. I 4, 14. — 8, 7 sq. Ep. I 5, 12. — 9, 7 sq. Ep I 5, 19. — 10, 7 sq. Ep. I 5, 31. — 11, 7 sq. Ep. I 6, 37. — 12, 7 sq. Ep. I 12, 4 — 13, 7 sq. Ep. I 14, 36. — 14, 7 sq. Ep. I 16, 52. — 15, 7 sq. Ep. I 16, 53. — 16, 7 sq. Ep. I 16, 79. — 17, 7 sq. Ep. I 18, 77. — 18, 7 sq Ep. I 18, 84. — 19, 7 sq. Ep. I 18, 85. — 20, 7 sq. I 18, 89. — 21, 7 sq. Ep. I 18, 15. — 22, 7 sq. Ep. I 11, 27. — 23, 7 sq. Ep I 14, 43. — 24, 7 sq. Ep. I 14, 44. — 25, 7 sq. Ep. II 1, 116. — 26, 7 sq. Ep. II 2, 214. — 27, 7 sq. Ep. II 2, 142. —, 1, 1 huic. — 12, 5 Quam qui. — 14, 5 virtutes. — 19, 3 Diceret.

279. Philomela.

1. Aurea frequenter lingua
in sublimi aethera
Tinniboat atque strepat,
agmina angelica
Iugi voce regem laudant
regnantem in saecula.

2. Clara sonant circumcirca
organa cum cantica,
Illuc melos nova tuba
plaudet vox harmonia,
Civitas sancta superna,
micant luminaria,

3. Cum non cesset operata
absque Dei opera
Creans sphaera et in ipsa
sidera lucentia,
Separavit fundamenta
arida ab aequora.

4. Omnia creavit simul
cum summa potentia,
Ad honorem plasma sua
quae fecit in saecula,
Volucres et universa
sub caelo reptilia.

5. Pulcher valet ver in silva,
florigera tempora,
Quando humus fert herbarum
copia titanica,
Vernat silva frondosarum
species virentia.

6. Ibi cantant tunc caterva
volucrum lustrantia,
Ex quarum una plus manet
corporis exigua,
Nomen clara ac robusta
philomela nuncupat.

7. Saliendo nemorosa
petit alta haec silva,
Dies φιλῇ titubando
arborum cacumina,
Nocte nunquam cessat, densa
clangit aremenia.

8. Prolixa, non rauca, mittit
voce saepe sibila,
Plura canit vi cantando
follium pro stipula,
Gliscit mirabilis membra
ludens menia carmina.

9. „Ozi“, parva, cur non cessas
clangere, avicula?
Aestimas nunc superare
omni arte musica,
Aut quid cum lyra contemnis
dulciflua sonora?

10. Ultra vires ioca cuncta
luctas tympanistria,
Te auscultant vigilando,
regalis insignia
Laudat procerum caterva
tua plura antea.

11. Cessa, cessa fatigando
lassata iam buccula,
Quia premis dormizantes
clam iugiter nausea,
Omni hora pro quid canis
digna, ovas sidera!

12. Misera, infelix illa,
tam tenuis, viscera
Quae nec tumes satiata
ob prima cibaria,
Speras cantizando cunctis
imperare gratia.

13. Iam cessa te laborando,
non praemittit brachia
De cunctis, auscultat nemo,
nemo dat iuvamina,
Nisi ipse, qui te finxit,
propria spiramina.

14. Parce vatem iam secura,
eiularae tardita,
Conticesce, conticesce,
nec crepando clangita,
Anxiata vires mollis,
locum tuum propera.

15. Illa vero stringens pauca
modulorum garrita
In aestate, stupefacta
pro natorum gloria,
Bruma tegit sibulosa
corpus sua funera.

16. Trinitas sancta superna
nostra purget crimina,
Ut ad alta poli summa
introducat limina
Regnareque nos concedat
per saecla in aethera.

Trop. ms. Martialen. saec. 10. Cod. Parisien. 1118. — 1, 1 Die Initiale A fehlt. — 1, 2 hetera. — 2, 2 horgana. — 2, 4 armonia. — 2, 6 micha (Cfr. 7, 4 chacumina). — 3, 3 Creans spera. — 4, 1 creauit. — 4, 5 huniversa. — 5, 3 erbarum. — 5, 4 titancia. — 6, 1 tunc fehlt. — 6, 3 Ex ouarum huna. — 6, 5 hac robusta. — 7, 1 Salliendo. — 7, 2 alte eq silva. — 7, 3 Dies phila. — 7, 4 chacumina. — 8, 1 mitit. — 8, 2 voce sipesibila. — 8, 3 nicantando. — 8, 4 foltuum pro stibula (l. folluum?). — 8, 5 Cliscit. — 9, 1 Ozu. — 9, 6 dulcisflua. — 10, 2 thimfanistria. — 11, 2 bucula. — 11, 4 iupiter nausia. — 11, 5 ora. — 12, 3 dumes. — 12, 4 opprima. — 13, 1 cessate laborando. — 13, 3 te cunctis. — 13, 4 nemo fehlt. — 13, 5 fincxit. — 14, 2 heiulare. — 14, 3 Cunctiscesce. — 14, 5 anexiata uires nollis. — 15, 2 modolorum. — 16, 5 regnarique. — 16, 6 l. in aeterna? — Aufserdem ist stets u statt v geschrieben und durchweg langes s, selbstredend auch e statt ae. — Wegen der abenteuerlichen Latinität ist das in Analecta VII, S. 10 ff. Bemerkte zu vergleichen; stellenweise habe ich Änderungen des gar zu Unverständlichen gewagt. Die Einleitung und namentlich die Doxologie dürften erklären, warum diesem mehrfach sehr interessanten Liede wenigstens im Anhange ein Platz gegönnt wurde.

Inhalts-Übersicht.

A. Real-Index.

I. De Sanctis.

	Seite
De omnibus Sanctis	9—19
De ss. Angelis	19—21
De s. Angelo Custode	22—24
De ss. Apostolis	25
De ss. Evangelistis	25
De ss. quattuor Doctoribus	25
De Sanctis privilegiatis	26
De s. Aegidio	27—28
De s. Agnete	29—32
De s. Albano	33
De s. Alberto	33
De s. Alexio	34
De s. Ambrosio	35
De s. Andrea	35
De s. Anna	36—42
De s. Antonio	43
De s. Apollonia	44
De s. Arnulpho Villariense	44
De s. Augustino	45—48
De s. Autberto	48
De s. Barbara	50—58
De s. Bartholomaeo	59
De s. Benedicto	59
De s. Bernardo	60 u. 61
De s. Birgitta	62—65
De s. Bonifatio	65
De s. Brigida	66
De s. Caecilia	66
De s. Christophero	67 u. 68
De s. Clara	68
De s. Corbiniano	69 u. 70
De ss. Cosma et Damiano	71
De s. Cuthberto	72
De s. Dorothea	72—77
De s. Dympna	78 u. 79
De s. Elisabeth	79
De s. Erentrude	80
De s. Fide	82
De s. Gabriele	82
De s. Georgio	83 u. 84
De s. Gertrude	84
De s. Godeleva	85
De s. Gregorio	85 u. 86
De s. Guillelmo	87
De s. Helena	88
De s. Hieronymo	88—91
De ss. Hieronymo, Augustino, Thoma Aquinate	92
De s. Hugone	93
De s. Iacobo Maiore	94 u. 95
De ss. Iacobo et Philippo	96
De ss. Innocentibus	97
De s. Iohanne Baptista	98—101
De ss. Iohanne Baptista et Iohanne Evangelista	103
De s. Iohanne Evangelista	104—106
De s. Ioseph	106 u. 107
De s. Iuda	107
De s. Ivone	108
De s. Katharina	109—126
De s. Laurentio	129
De s. Leonardo	130
De s. Ludovico Alamando	130 u. 131
De s. Margareta	132—136
De s. Maria Magdalena	137—145
De s. Martha	146 u. 147

	Seite		Seite
De s. Martino	149u.150	De s. Sigismundo	169
De s. Mauritio	151—156	De s. Sixto	169
De s. Michaele	158	De ss. Sixto et Sebastiano	170
De s. Nicolao	159—161	De s. Stanislao Casimiritano	171
De ss. Petro et Paulo	161u.162	De s. Stephano	171u.172
De s. Petronella	162	De s. Stephani Inventione	172
De s. Regina	163	De s. Thoma	174
De s. Rosalia	164	De ss. Thoma apostolo et Thoma archiepiscopo	175
De s. Sebaldo	164	De s. Udalrico	176
De s. Sebastiano	166u.167	De s. Ursula	177u.178
De s. Servatio	168u.169		

II. Moralia.

De amore Christi . . . 181
De amore Christi . . . 181
Dialogus Papae et Mariae Virginis . . . 182
Alphabetum de bonis sacerdotibus . . . 186
Alphabetum de malis sacerdotibus . . . 188
Dictamen de presbyteris . . . 190
De statu sacerdotali . . . 193
De pastore et mercenario . . . 195
De malis clericis . . . 198
De religione . . . 198
De vita religiosa . . . 198
De vita religiosa . . . 200
De forma vivendi monachorum . . . 201
Exhortatio ad monachos de contemptu saeculi . . . 208
Speculum claustralium . . . 211
De habitu et conversatione monachorum . . . 216
De patientia habenda in capitulo . . . 217
Oratio dicenda in introitu lecti . . . 218
De bonis operibus . . . 218
De paupere reficiendo . . . 220
De humilitate . . . 220
De vitiis capitalibus . . . 221
De avaritia . . . 222
De malo exemplo . . . 223
Lessus paenitentis . . . 224
Lessus paenitentis . . . 224
Lessus paenitentis . . . 225
Lessus paenitentis . . . 230
Lessus paenitentis . . . 231
Confessio Imbriconis episcopi Wirceburgensis . . . 234
De accusatione hominis erga Deum . . . 237
Modus confitendi . . . 238
De commendatione uniuscuiusque animae . . . 258
De contemptu omnium vanitatum . . . 259
De vanitate mundi . . . 260
De vanitate mundi . . . 266
De vanitate mundi . . . 267
De contemptu mundi . . . 268

Seite

Dolus mundi 269
De malitia temporum 273
De malitia temporum 274
De malitia temporum 274
De malitia mundi 275
Status religiosorum modernus 276
Conflictus mundi et abrenuntiantis 278
Canticum, quo incitantur servi Dei ad caelestem patriam desiderandam 280
De morte 283
Vado mori 285
Dialogus mortis cum homine 287
Quod homo debet cogitare, qualis erit in sepulcro 288
Adhortatio „ad terrorem omnium“ 289
Adhortatio ad paenitentiam 292
De extremo iudicio 294
Adhortatio bona ad clerum 300
De novissimis 303
Versus de adventu antichristi 313
Lessus damnati 314
De excidio Hierosolymorum 315
Threni captis Hierosolymis 316
Planctus pro diuturna captivitate terrae transmarinae per Saladinum . 319

III. Appendix.

Thronus Salomonis 323
De eleemosyna vagis danda 324
De duobus gladiis 325
Carmen episcopi Brunonis invehentis contra papam 327
Laudes studii scholaris 327
Dogmatile puerorum 329
Status clericalis aliis praeferendus 332
Proverbia 334
De fraude mulierum 336
De corvo s. Vincentii 336
Proteus 340
Philomela 343

B. Verbal-Index.

Seite

Adeptus quisque munere 216
Adest triumphus nobilis 57
Ad laudem tui nominis 117
Ad mensam resides summus . . 220
Adonai Deus sis laudabilis . . 164
Ad patriam caeli suspirans . . 200
Ad perennis vitae fontem . . . 186
Ad terrorem omnium 289
Ad vitam claustralium 211
Age Deus causam meam . . . 258
Alma Deum Dympna 78
Alme Christe rex immense . . . 273
Ampulla vitrea | Sub mole . . . 334
Angele qui meus es custos . . 24
Antequam iudicii dies 294
Antichriste quid moraris 313
Antoni pater sanctissime . . . 43
Aquarum meis quis det 188
Audi mi Deus piissime 237
Aurea frequenter lingua 343
Autberti vita inclita 48
Ave Agnes generosa 31

	Seite
Ave Anna laude magna	39
Ave Anna radix Iesse	39
Ave custos mihi datus	24
Ave dulcis Magdalena	144
Ave dux Sebastiane	166
Ave Dympna virgo	79
Ave felix o Regina	163
Ave flos Rosalia	164
Ave gemma claritatis	103
Ave gemma sacerdotum	149
Ave martyr gloriosa	85
Ave mater humilis | Ancilla	68
Ave mater virginis	131
Ave pastor et patrone	70
Ave Pater Augustine	45
Ave pater et Domine	169
Ave peregrinorum Birgitta	65
Ave rosa sanctitatis	54
Ave sacratissima | Dei creatura	182
Ave trini lucifera	57
Ave tu virtutum tumba	72
Ave venerabilis | Virgo	114
Ave virgo generosa | Ave	32
Ave virgo gloriosa | Ave rosa	132
Ave virgo Katharina	115
Ave virgo micans rosa	114
Ave virgo nobilis | Gloriosa	136
Baptismale inquinavi	255
Barbara virginitatis | Decus	54
Brigida nomen habet gemino	66
Caecus ego sequens caecum	266
Caeli regem veneremur | Voce	88
Caeli sacri principatus	16
Caritate vulneratus	61
Christophori collo sedeo	67
Christus nobis tradidit	201
Clamat ecce supplex mea	225
Claritatis speculum	113
Clarum pater Augustine	46
Collaudemus digna laude	161
Confessorem veneremur	149
Contemplator trinitatis	171
Coram choris angelorum	19
Corde malum cogitavi	251
Cor tumens superbia	220
Cum bene perpendo quid sim	234
Cum sim modo moriturus	283
De gula me reddo ream	245
Deprecor ut damnes	218
Deus conditor benigne	244
Deus mundi fabricator	241
Deus qui vis creaturam	242
Dicat nobis primus homo	336
Dionysi radius Graeciae	26
Duae stellae claritatis	175
Ecce mundus moritur	264
Eia qui terra premeris	65
Exstas vir egregie | Oriundus	27
Exsultet caelum laudibus	88
Felix quae caeli solio	143
Fidei integritatem	255
Fideles huc attendite	84
Florido quondam tempore	78
Fulta fide Dorothea	73
Gaude Christi sponsa Agna	32
Gaude felix Barbara | Virgo	53
Gaude felix Magdalena	142
Gaude felix Margarita	133
Gaude fili Zebedai	94
Gaude Martha laudabilis	146
Gaude nunc Caecilia	66
Gaude praesul sanctitatis	131
Gaude sponsa Dorothea	74
Gaude sponsa gloriae	62
Gaude virgo Christi grata	74
Gemma Dei pretiosa	116
Georgi mirabilis victor	83
Gratulare ave care angele	24
Guilelmus flos nobilium	87
Hispalis orbe sub occiduo	336
Homo Dei creatura	303
Hymnos psalmos concinamus	91
Iacobe tu maior gaude	95
Iesu bone sic dispone	39
Iesu Christi Domini | Confessor	59
Iesu Christi famula Barbara	52
Ille pastor optimus | Merito	195
Inclite caeligena Michael	158
Indue cilicium sedeas in pulvere	316
In virtute maiestatis	22
Iohannes Christo proximus	104
Iohannes vox gratiae	98
Karismalis Dei cella	113
Katharina o regina	121
Kosti regis filia felix	112
Laus et honor pueris	329
Lux doctorum norma morum	48
Lyram quam suspenderam	302
Magne pater o Gregori	85
Malum feci per sermonem	249
Maria spes veniae pia	140
Martha Iesu hospita	147

	Seite
Martyr Christophore	68
Michaelis interventu	158
Miror cur tepeat | Cum debeat	319
Multa scelera patravi	253
Multi sunt presbyteri	190
Mundi fides iam frigescit	275
Mundus deciduus et homo	267
Mundus errat ut apparet	223
Nemo valet congruis verbis	327
Nobilis Corbiniane	69
Nobilis egrediens hospes	44
Nobilis et iusta mitis	77
Nobis in munus se donet	19
Nunc ad pessimum accedo	250
Nunc confiteor peccata	253
Nunc conabor confitendo	246
Nunc protestor quod sum rea	256
O Albane Deo grate	33
O Ambrosi serve Christi	35
O animarum medici	71
O Anna dulcissima	37
O Antoni sancte pater	43
O Barbara sanctissima	52
O beata Anna clara	40
O beata Katharina	114
O beata mater Anna	36
O beata trinitas | Rectrix	9
O beate angele | Comes	22
O beati Innocentes	97
O bone claustralis Christi	207
O caelestis o beata	51
O candens stella vernans	44
O Christi martyr pia	58
O Christi martyr Ursula	178
O cleri collectio quare	324
O Deus omnipotens rea	230
O dilectrix Iesu Christi	139
O doctores spiritales	25
O doctorum doctor ave	90
O dux Mauriti qui clarior	152
O felix evangelista	106
O felix legio | Quae surgum	153
O Gabriel laudabilis	82
O generose domine	91
O Iohannes gloriose	99
O Iohannes gloriose	100
O Iohannes gloriose	100
O Iohannes vir summi meriti	104
O Ivo consors caelice	108
O Katharina nobilis	119
O Katharina regia	109

	Seite
O laudanda gloriosae	79
O Laurenti martyr Christi	129
Olim nostrum ordinem	276
O Margarita splendida	134
O Maria Magdalena	145
O Martha Christi hospita	147
O Martine flos praesulum	150
O medici piissimi	71
O Michael sancte precor	158
O milites angelici	21
O miranda Dorothea	77
O miranda vanitas	264
O mi sancte pater Alberte	33
Omnes modo deprecor	294
Omnes qui assistitis	300
Omnes sancti dirigite	18
Omnipotens miserere	18
O odorifere narde	60
O pater Deus aeterne	231
O pater ingenite	15
O patrone pastor bone	169
O patroni venerandi	170
O pia regina laesi cordis	114
O piissima peccatrix	138
O praesul mitissime	168
O quam mira refulsit	167
O quam splendifera	154
O qui sine viribus	288
O redolens narde pater	61
Ore tuo Christe benedictus	218
O sancte Sebastiane	167
O sanctorum splendor	172
O si possem et vi nossem	29
O sugentes Innocentes	97
O veneranda trinitas	106
O viri apostolici	25
O virtutis infinitae	20
O virum ineffabilem	150
O vos Iacobe Philippe	96
O vos quos antiquus	221
Papa beatissime nobilis	26
Parce flenti et dolenti	224
Pater fili spiritus	327
Per invidiam caecata	240
Petre gregis Christi pastor	162
Petre Paule congaudete	161
Plange Sion et Iudaea	315
Pratum vidi spatiosum	222
Proteus hic sapiat	340
Quamvis arguentis dure	248
Quamvis culpa blasphemorum	247

	Seite
Qui crucis in ligno	200
Qui rerum considerat	260
Quis es tu quem video	287
Qui transitis monachi	207
Quondam duo gladii	325
Quo sine fine manes	25
Rea nimis coram Deo	250
Rea nimis et iniqua	254
Recognosco quod erravi	238
Religio sine corde pio	198
Saepe malum quod patravi	249
Salve decus feminarum	62
Salve dulcis Magdalena	137
Salve felix Petronella	162
Salve flos ecclesiae	86
Salve Iesu generosa	50
Salve lumen radiosum	137
Salve Magdalena mundo	137
Salve norma monachorum	93
Salve pater et patrone	168
Salve pater pietatis	130
Salve praesul bone	176
Salve praesul gloriose	160
Salve proles Zebedaei	105
Salve redemptor Domine	18
Salve rosa puritatis	80
Salve sacratissime mulierum	98
Salve salve praeelecta	41
Salve sancta Anna | Vitae	42
Salve sancte Iohannes	101
Salve sancte martyr Dei	151
Salve sancte pater Cuthberte	72
Salvete principes omnes	17
Salve virgo Katharina	110
Salve virgo speciosa	84
Sancta Fides virgo clara	82
Sancte Dei flos	159
Sancte Ioseph fili David	107
Sancte pater Augustine	47
Sancte Thoma princeps	174
Sanctum Iudam collaudemus	107
Sanctus hic vir Sigismundus	169
Seraphim quae sunt amanda	21
Sertum tibi plectitur	126
Si mihi vis firmare	181
Si quis aures habeat	268
Si vis bonus fieri	198
Si vis esse coenobita	208
Sponsa Christi Katharina	111
Stella lucens clare	75
Stephanus Israelita	172
Sublimato laureato	129
Surge miser quid dormitas	209
Tabescentis iam immundi	278
Tempus acceptabile	292
Theodosii filia	135
Thronum grandem ebore	323
Tota christianitas	274
Trahunt in praecipitia	198
Tu Iesus es testis	67
Tu qui cor tuum furaris	181
Tu qui digne vel indigne	217
Tu qui formam trinitatis	171
Turba Christi fidelium	156
Unicus ob Christum vivus	218
Urbs gratulare nobilis	130
Urbs sancta Ierusalem	280
Utinam attenderet	274
Ut inter spinas lilium	34
Vado mori series ab initio	285
Vale Venus Agrippinae	177
Vanitatum vanitas	259
Veni creator spiritus | Et mentem	23
Verbis Deum blasphemavi	252
Verbum Dei reseravit	104
Vide fabrum fili mi	332
Virgo Deo cara rosa	57
Virgo fide sana de stirpe	51
Virgo prudentissima Ursula	177
Viri beatissimi sacerdotes	193
Viri fratres servi Dei	269
Virtutibus inserendis	256
Vitae caelibis sacrator	245
Vitae dator et plasmator	224
Vos avete admirandi	92
Votivis Christum laudibus	155

Pierer'sche Hofbuchdruckerei Stephan Geibel & Co. in Altenburg.

Cl. Blume und G. M. Dreves,

ANALECTA HYMNICA MEDII AEVI.

I. Theil: **Cantiones Bohemicae.** Leiche, Lieder und Rufe des 13., 14. und 15. Jahrhunderts nach Handschriften aus Prag, Jistebnicz, Wittingau, Hohenfurt und Tegernsee. 1886. 13 Bogen. M. 6,—.

II. Theil: **Hymnarius Moissiacensis.** Das Hymnar der Abtei Moissac im 10. Jahrhundert. Nach einer Handschrift der Rossiana. Im Anhange: a) Carmina scholarium campensium. b) Cantiones Vissegradenses. 1888. 11 Bogen. M. 5,—.

III. Theil: **Conradus Gemnicensis.** Konrad's von Haimburg und seiner Nachahmer, Albert's von Prag und Ulrich's von Wessobrunn Reimgebete und Leselieder. 1888. 12½ Bogen. M. 6,—.

IV Theil: **Hymni Inediti.** Liturgische Hymnen des Mittelalters aus handschriftlichen Breviarien, Antiphonalien und Processionalien. 1889. 17 Bogen. M. 8,—.

V. Theil: **Historiae Rhythmicae.** Liturgische Reimofficien des Mittelalters. Erste Folge. Aus Handschriften und Wiegendrucken. 1889. 17⅜ Bogen. M. 8,—.

VI. Theil: **Udalricus Wessofontanus.** Ulrich Stöcklin's von Rottach, Abtes zu Wessobrunn, 1438—1443 Reimgebete und Leselieder mit Ausschluss der Psalterien. 1889. 12¾ Bogen. M. 6,—.

VII. Theil: **Prosarium Lemovicense.** Die Prosen der Abtei St. Martial zu Limoges aus Troparien des 10., 11. und 12. Jahrhunderts. 1890. 17¼ Bogen. M. 8,—.

VIII./IX. Theil: **Sequentiae Ineditae.** Liturgische Prosen des Mittelalters aus Handschriften und Wiegendrucken. Erste und zweite Folge. 1890. 14½ und 18½ Bogen. M. 7,50 und M. 8,—.

X. Theil: **Sequentiae Ineditae.** Liturgische Prosen des Mittelalters. Dritte Folge. 1891. 21 Bogen. M. 10,—.

XI./XII. Theil: **Hymni Inediti.** Liturgische Hymnen des Mittelalters. Zweite und dritte Folge. 1891 und 1892. à 17 Bogen. à M. 8,—.

XIII. Theil: **Historiae Rhythmicae.** Liturgische Reimofficien des Mittelalters. Zweite Folge. 1892. 17 Bogen. M. 8,—.

XIV. Theil: **Hymnarius Severinianus.** Das Hymnar der Abtei St. Severin in Neapel. —. **Orricus Scaccabarotius.** Origo Scaccabarozzi's Liber Officiorum. 1893. 17 Bogen. M. 8,—.

XV. Theil: **Pia Dictamina.** Reimgebete und Leselieder des Mittelalters. Erste Folge. 1893. 17 Bogen. M. 8,—.

XVI. Theil: **Hymnodia Hiberica.** Spanische Hymnen des Mittelalters aus liturgischen Handschriften und Druckwerken Römischen Ordos. 18 Bogen. M. 9,—.

XVII. Theil: **Hymnodia Hiberica.** Liturgische Reimofficien aus spanischen Brevieren. 1894. 15 Bogen. M. 7,50.

XVIII. Theil: **Historiae Rhythmicae.** Liturgische Reimofficien des Mittelalters. Dritte Folge. 1894. 17 Bogen. M. 8,—.

XIX. Theil: **Hymni Inediti.** Liturgische Hymnen des Mittelalters aus Handschriften und Wiegendrucken. Vierte Folge. 1894. 17½ Bogen. M. 9,—.

XX. Theil: **Cantiones et Muteti.** Lieder und Motetten des Mittelalters. Erste Folge. 1895. 16½ Bogen. M. 8,—.

XXI. Theil: **Cantiones et Muteti.** Lieder und Motetten des Mittelalters. Zweite Folge 1895. 14⅛ Bogen. M. 7,—.

XXII./XXIII. Theil: **Hymni Inediti.** Liturgische Hymnen des Mittelalters aus Handschriften und Wiegendrucken. Fünfte und sechste Folge. 1895/96. 18¾ und 19⅛ Bogen. M. 9,— und M. 9,50.

XXIV. Theil: **Historiae Rhythmicae.** Liturgische Reimofficien des Mittelalters. Vierte Folge. 1896. 18 Bogen. M. 9,—.

XXV. Theil: **Historiae Rhythmicae.** Liturgische Reimofficien des Mittelalters. Fünfte Folge. 1897. 19 Bogen. M. 9.—.

XXVI. Theil: **Historiae Rhythmicae.** Liturgische Reimofficien des Mittelalters. Sechste Folge. 1897. 18¼ Bogen. M. 9,—.

XXVII. Theil: **Hymnodia Gotica.** Die Mozarabischen Hymnen des alt-spanischen Ritus Aus handschriftlichen und gedruckten Quellen. 1897. 18½ Bogen. M. 9,—.

XXVIII. Theil: **Historiae Rhythmicae.** Liturgische Reimofficien des Mittelalters. Siebente Folge. 1898. 21 Bogen. M. 10.—.

XXIX./XXXII. Theil: **Pia Dictamina.** Reimgebete und Leselieder des Mittelalters. Zweite bis fünfte Folge. 1898/99. 15, 19½, 13⅝ und 15 Bogen. M. 7,50 — 9.50 — 7.— und 7.50.

Als **Ergänzung** erschien:

Hymnologische Beiträge. Herausgegeben von Blume und Dreves.
I. **Gottschalk,** Mönch von Limburg an der Hardt und Propst von Aachen, ein Prosator des XI. Jahrhunderts. 14 Bogen. Gr. 8. M. 7,—.